
NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07136149 1





Leben und Wandel
Karls des Grossen

beschrieben

von

Einhard.

Einleitung, Urschrift, Erläuterung, Urkundensammlung,

in zwei Bänden.

Band II.

Urkundensammlung.

Herausgegeben

von

Julius Ludwig Ideler.

Hamburg und Gotha,
bei Friedrich und Andreas Perthes.
1839.

Gedruckt bei den Gebr. Unger in Berlin.

Verzeichniſs der mitgetheilten Urkunden und Beweisstellen.

1. Cathwulphi Epistola Carolum hortantis ad gratias Deo agendas pro acceptis beneficiis.
2. Epistola Stephani III. (IV.) Papae.
3. Die Sage von Karls Geburt nach Wolter.
4. Epistola IV. Leonis II. Papae ad Carolum Imperatorem.
5. Epistola Stephani II. Papae ad domnum Pippinum Regem et Carolum et Carlomannum.
6. Epistola Stephani II. ad Pippinum, Carolum et Carlomannum. A.
7. Epistola Stephani II. Papae ad Pippinum, Carolum et Carlomannum. B.
8. Epistola Stephani II. — — — —. C.
9. Epistola Pauli Papae ad Pippinum.
10. Epistola Hadriani I. Papae ad Carolum Regem. (A.)
11. Epistola eiusdem ad eundem. (B.)
12. Monachi Sangallensis Gesta Karoli M. II, 28.
13. Saxonum status publicus, ordines, leges, religio.
14. Capitulatio de partibus Saxoniae.
15. Capitulare Saxonum a. 798.
16. Indiculus Superstitionum et Paganiarum.
17. Epistola Pauli Papae ad Pippinum Regem.
18. Epistola eiusdem ad Carolum R.
19. Alcuini epist. ad Carolum R. de praedicatione verae fidei.
20. Eiusd. epist. ad Carol. de expeditione Beneventana.
21. Epist. Adriani Papae de Arighiso duce Beneventano.
22. Epitaphium Araghisi ducis Beneventanorum.
23. Ex Adamo Bremensi de situ Daniae c. 217—228.

Zu Beil. XXXVIII. (Bd. II, S. 120; vergl. Bd. I, S. 234. *Goldast,* Constit. Imperial., Tom. III, p. 136. *Baluze,* Capitular., I, p. 203. *Pertz,* M. G., III, Legum I, p. 14 sq.) füge in einer Anmerkung hinzu: Die lateinische Bibel Karls des Grofsen befindet sich (oder befand sich wenigstens früher) in der Rathsbibliothek zu Zürich, wo sie *Jo. Jakob Wettstein,* der grofse Kritiker, einst benutzte. S. *J. J. Wettstenii, Orthodoxia a falsis criminationibus viri cl. Jo. Lud. Frey, Theol. in Academia Basileensi Prof. extraord., aliorumque vindicata.* Amstelaed. 1733, 4., p. 6. *Illgen's Zeitschrift für historische Theologie,* Jahrg. 1839. Heft I, S. 89.

B e i l a g e n.

I.

Cathwulphi Epistola Carolum hortantis ad gratias Deo agendas pro acceptis beneficiis [1]).

Domino Regi piissimo, gratia Dei celsissimo, Carolo vere carissimo, regno Christi rectissimo, ultimus namque Cathwulphus, tamen vester servulus intimo corde puro in Spiritu salutem sancto. Domine mi Rex, igitur precor te ut illius semper recorderis, sicut credo, qui de nihilo te creavit, etiam ex minimo fecit te maximum..... Propriis etiam beatitudinibus et specialibus, o Rex mi, honoravit te Rex tuus super alteros coaetaneos tuos, et super antecessores tuos corona gloriae beavit te. Prima, de Regis dignitate, Reginaque, sed et insuper, illorum namque precibus specialiter Deum precantium, maxime matris, sicut Deo placuit, inde conceptus et natus, imo a Deo, Rex mi: et hoc verbum diligenter considera. Secunda, quod primogenitus es, et benedictionem illius, sicut scriptum est, accipies iuxta illud, *Omne primogenitum, quod aperit vulvam, sanctum Domino vocabitur* [2]). Tertia, ut de fratris tui insidiis in omnibus Deus te conservavit, ut de Jacob et Esau legitur. Quarta, quod sortisti regnum cum fratre tuo Francorum. Quinta non minimum est beatitudinis signum, quod Deus transtulit illum de regno terreno, et exaltavit te super omne hoc regnum sine sanguinis effusione. Mira pietas et magna clementia Dei in illa die cum exercitu Francorum. Sexta, quod Longobardorum exercitus ante faciem tuam sine publico bello in fugam conversus. Septima, Alpes intrasti inimicis fugientibus, opulentissimam quoque civitatem etiam Papiam cum Rege sine cruoris effusione cum omnibus thesauris eius adprehendisti. Octava, quod auream et imperialem Romam intrasti, et Italiorum regna cum omnibus preciosis cum Rege regnorum suaviter accepisti. Quantis etiam modis ante faciem tuam inimicis in fugam conversis et victor exstitisti, et hoc impletum est de te, quod in Psalmis legitur, quamquam de Christo et de David maxime intelligitur: *Persequar inimicos, et comprehendam illos* [3])..... Nunc igitur, Domine mi Rex, pro his modis beatitudinum nocte et die

---

[1]) *Du Chesne*, II, p. 665. *Bouquet* V, p. 635. — [2]) *Exod.* 13, 2.
[3]) *Ps.* 17, 38.

cura omnibus exercitibus tuis da gloriam Deo Regi regnorum, et gratiarum actiones cum omni regno tuo; quod ipse te exaltavit in honorem gloriae regni Europae, et adhuc etiam maiora praestat tibi horum iamque praedictorum, si illum exaltas cum suis hoc modo. Memor esto ergo semper, Rex mi, Dei Regis tui cum timore et amore, quod tu es in vice illius super omnia membra eius custodire, et regere, et rationem reddere in die iudicii, etiam per te: et Episcopus est in secundo loco, in vice Christi tantum est, etc.

II.

Exemplar Epistolae Stephani III. (IV.) Papae

ad domnum Carolum et Carlomannum Reges directae, in qua continentur uberrimae benedictiones, et pro eorum fraternitatis concordia gratiarum actiones, et de iustitiis S. Petri [1]).

Domnis excellentissimis filiis, Carolo et Carlomanno Regibus Francorum, et Patriciis Romanorum, Stephanus Papa. Benedictus Dominus Deus noster, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolator et propitiator existit omnium invocantium eum in veritate. Ipse enim Redemptor noster, preces clamantium ad se exaudiens, moerentium tribulationes ad gaudium convertit. Quod certe nunc in nobis atque universo peculiari populo sanctae Dei Ecclesiae eius, divinae pietatis clementiam, et misericordiae benignitatem cernimus esse diffusam, in eo quod nostrae orationis vota exaudiens moeroris nostri lamentationem, quam usque hactanus habuimus ex ipsa divisione discordiae, quam antiquus hostis, inimicus pacis, intra vestram fraternitatem immiserat; nunc, Deo propitio, eodem pestifero aemulo confuso, in communem dilectionem et concordiam, ut vere uterinos et germanos fratres, vos connexos esse discentes, in magnam laetitiam convertere dignatus est.

Itaque praecellentissimi filii, magni victoriosissimi Reges, et Dei providentia nostri Romanorum Patricii, coniungentes ad nos fidelissimi ac solertissimi vestri Missi, scilicet Gauzibertus reverendissimus et sanctissimus Frater noster Episcopus, atque Fuchbertus religiosus, et Ansfredus seu Helingarius, gloriosissimi vestri, detulerunt nobis honorabiles et nimis desiderabiles syllabas a vestra a Deo instituta regali. Potentia directas: per quas in-

---

[1]) *Cod. Carolin.* XLVII. *Sirmond*, *Concil. Gall.* T. II, p. 66. *Cointe*, *Annal.* Tom. V, a. 770. §. 4. 5, p. 751 sqq. *Bouquet*, V, p. 539 ff.

notuistis, contentionis rixas ac litigia inter vos versata fuisse; sed, annuente Domino, nunc ad veram dilectionem, et unitatis concordiam, et fraternum amorem conversi exstitisse videmini. Quo audito, magno gaudio atque laetitia, una cum universo populo nostro istius provinciae a vobis redemptae, repleti sumus, et gemina festivitatis gaudia peregimus, immensas Deo nostro omnipotenti referentes gratiarum actiones, atque victricem eius clementiam collaudantes, consonâ cum prophetica voce cantantes atque dicentes: *Benedictus es Domine Deus noster, et benedicta omnia opera tua.* Ecce enim nunc gaudet Deus noster in caelis, gaudet et universus chorus Angelorum, et in terra etiam cunctus exsultat populus Christianus, et solus Diabolus inimicus pacis, et discordiae seminator luget, dum victum se esse et superatum conspicit. Non enim aliter fidelium mentes existimare poterant pervenire, quam quod nunc factum esse gaudemus, si Deus omnipotens illam pacem et fraternam dilectionem in vobis multiplicet, et multiplicatam corroboret, quam suis donavit sanctis Apostolis. Unde de vestra unitate etiam sancta spiritalis mater vestra, Dei Ecclesia, et eius universus populus exsultat. Nam et in his ipsis vestris ferebatur apicibus, tota vestra virtute vos esse decertaturos pro exigendis iustitiis protectoris vestri B. Petri et sanctae Dei Ecclesiae, atque in ea promissione amoris, quae a vestro pio genitore sanctae recordationis domno Pippino eidem principi Apostolorum et eius Vicariis facta est, polliciti estis esse permansuros, et plenarias iustitias sanctae Dei Ecclesiae, atque eius exaltationem esse operaturos. Et quidem nos, excellentissimi filii, Christianissimi magni Reges, omnino de hoc certi, atque in omnibus satisfacti sumus, quod nulla hominum suasio, aut thesaurorum copiosa datio vos poterit destinare, aut ab eadem vestra promissione, quam B. Petro spopondistis, quoquomodo immutare; tamen nunc firmitatem vestram comprobavimus, dum non corruptori et fragili homini, sed Deo omnipotenti et eius Apostolorum principi placere procurastis. Unde obnixe, tamquam praesentialiter, petimus, et coram Deo vivo, qui vos regnare praecepit, coniuramus Excellentiam vestram, ut plenarias iustitias B. Petri sub nimia velocitate, secundum Capitulare quod vobis per praesentes vestros fidelissimos Missos direximus, exigere, et B. Petro reddere iubeatis, sicut et vestra continet promissio, et omnia, quae B. Petro, et eius Vicariis cum vestro sanctae memoriae progenitore promisistis, adimplere dignemini: quatenus, intercedente eodem principe Apostolorum, perfectam ab omnipotente Deo in praesenti vita et futura beatitudinem suscipiatis.

Post Deum in vobis habemus fiduciam, et in vestro amore atque caritatis dilectione firmiter usque ad animam et sanguinis effusionem, una cum universo populo, permanemus atque permanebimus. Tamen et de hoc et de omnibus iustitiis B. Petri praedictis vestris Missis subtilius locuti sumus, vestro regali culmini cuncta enarranda: et iam, sicut terra sitiens imbrem praestolatur, ita vestrum auxilium, et congruum effectum de nostris petitionibus postulamus.

Et videte, excellentissimi filii, quia obtestamur vos per tremendum diem iudicii: etiam B. Petrus per nos vos adhortatur atque obtestatur, ut sub nimia velocitate ipsas iustitias eiusdem principis Apostolorum exigere a Longobardis iubeatis, fortiter eos cum Dei virtute distringentes, ut sua propria idem princeps Apostolorum, atque sancta Romana Ecclesia recipiat. Nam si, quod non credimus, ipsas iustitias exigere neglexeritis, aut distuleritis, sciatis vos de istis rationem fortiter ante tribunal Christi eidem principi Apostolorum esse facturos. Si quis autem vobis dixerit quod iustitias B. Petri recepimus, vos ullo modo ei non credatis. Deus autem omnipotens sua vos dextera protegat, et victoriam vobis de caelo tribuat, suumque Angelum ante faciem vestram mittat, qui vos praecedat, et inimicos vestros coram vestris prosternat vestigiis, atque a Deo instituti regni vestri terminos dilatet, et praesenti regno longaeviter ac prospere gubernacula perfrui faciat: etiam et post huius vitae longaevitatem caelestia vobis regna per infinita tribuat secula possidenda.

III.

Die Sage von Karls Geburt
nach Wolter [1]).

Ortus Karoli Magni talis fuit: Erat quidam Pippinus rex non habens uxorem, valde luxuriosus. Consultum est sibi, ut duceret uxorem, ne deficeret regnum sine herede: annuit consilio quaerens comparem matrimonio. Fama percrebuit de filia regis Theodorici, qui fuit rex Suaviae, Bavariae et Austriae. Illuc mittun-

---

[1]) *Henrici Wolteri, Canonici S. Anscharii Bremensis, Archiepiscopatus Bremensis Chronicon*, ap. *Meibom, Script. rer. German.* Vol. II, p. 20. 21. Vergl. ausser dem zu Kap. IV. angeführten: *Li Reali di Franzia, Venezia, Alvisopoli*, 1821, 8. Lib. VI, cap. 1—17; p. 378—400 und *Parte primera del Libro intitulado Noches de Invierno. Compuesto por Antonio de Eslava. Brusselas, por Roger Velpio, y Huberto Antonio.* 1610, 12. Cap. X.: „*Se cuenta el nacimiento de Carlo Magno Rey de Francia, y Emperador Romano,*“ p. 399—430.

tur legati, cuius consensu regio fiunt sponsiones pro legitimo matrimonio et gavisus confecit. Legatis venientibus ad Pippinum, iterum tres natu maiores remisit cum regio apparatu, ut conscriptis dotalitiis regis filia regi adducatur in connubium. Dum igitur isti Consiliarii regis ambasiatores essent in via, mutuo loquebantur de interfectione filiae regis Theodorici, et ut filia unius istorum ex sorte quaesita regi copuletur, quasi sit illa, pro qua missi forent. Dicebant igitur: ignorat rex, quae sit Theodorici, quae nostra, et habebit unam sicut aliam, et sic in regno habebimus heredem de stirpe nostra, et placuit sermo omnibus. Et tandem venerunt ad regem Theodoricum, ut eis daretur et exhiberetur puella regis filia cum apparatu et multis comitibus et puellis. Dixerunt tandem nuntii ad Regem: non est necesse, ut aliqui de familia vestra nobiscum vadant: habemus enim familiam sufficientem: tantum autem nobis tractatur puella ista vice: sed cum tempus nuptiarum erit, significabimus vobis, et tunc venietis. Rex consentit, et puella eis sola traditur. Cum autem essent in via, venientes iuxta quoddam nemus, ubi nunc est civitas, quae dicitur Karlstat, dicebant ad invicem: nunc est tempus, ut interficiamus puellam. Et duxerunt eam longius a a via ad interiora silvae ut interficerent eam. Dicebat alter: absit, ut puellam nostrae fidei commissam interficiamus. Duo ex eis constanter steterunt in necem virginis, sed tertius dixit: quisquis eam interficiet, hodie me cum illa interficiet, et statim eam inter crura sua suscepit, et gladio evaginato eam defendit. Illi videntes constantiam illius et timentes eum interficere, eo quod ita nobilis et potens erat, sicut aliquis ipsorum, et si interficerent eum, oporteret eos esse exsules, cogitabant eam solam in silvam relinquere, certi quod nunquam posset de silva exire, et quod etiam facile moreretur, vel a feris devoraretur: et sic de habito consilio sola relinquitur. Illa sicut parvula vix XII annorum, flens, eiulans et orans, nescit quid faciat. Cum autem esset circa solis occasum, audivit longe a se sonitum, quasi serantis ligna, et aestimans aliquem hominem ibi esse, declinat illuc, et cernens virum, sedit flens prope eum: qui cum vidisset puellam nobilissimis ornatam vestibus, mirabatur valde: et quaesivit ab ea, quae esset et unde venisset. Illa tacuit, quia intellexit minime, quid loqueretur. Dum autem vir ille cessasset ab opere, et iret ad hospitium suum, puella sequebatur et intravit secum. Ille molendinarius hoc videns, recepit eam, et valde caritative pertractat eam, adiungens eam filiae suae, quae eiusdem fere erat aetatis, tam in lecto, quam in mensa, et quasi filiam

dilexit in omnibus: illa tamen ut ancillam se exhibuit. Illo etenim tempore de scrinio suo, quod circa se habuit, aliqua rara clenodia edidit de serico, et ad vendendum ad civitatem misit, et in huiusmodi filiam villici edocuit, unde se humiliter nutrivit, et pretium expensarum soluit. Interim de filiabus una consiliarorum regi copulatur, ac si sit filia regis Theodorici, unde rex genuit filios et filias. Postea accidit ut Pippinus circa partes illas venaretur, ubi idem molendinarius resedit. Cum vero rex deviasset a suis, et solus esset, casu circa noctem ad domum illius venit, et petiit hospitium: qui receptus est, dissimulans se esse regem. Et cum intrasset, puella illa solvit calcaria, ligat equum, lavat ocreas, mundat etiam et pedes regis: cepit gladium et servavit: coxit etiam panem subcinericium et ad mensam ei servivit et lectum stravit. Postremo ipse rex quaesivit a molendinario, an istae duae puellae essent filiae eius? respondit ita. Et rex, da mihi in hac nocte unam ex eis, quia homo praepotens sum, te et ipsas ditare possum: hoc audiens ille, regis Theodorici filiam sperans ditari sibi tradidit in lectum. Illa tamen gemens et auxia de concubitu flevit amare, quam rex multis blanditiis consolatur, sed non recepit consolationem. Puella ipsa nocte concepit a rege. Mane autem rex ait molendinario, ut curam gerat illius, et nullam sentiat defectum, et dedit ei pecuniam, quam tunc habuit. Addidit etiam rex: Quod si pareret puellam, ipse veniret cum fuso et colo: si vero masculum, cum arcu et sagitta. Annuit pauper et Rex regreditur ad fines suos. Et tempore partus completo sedit rex cum coniuge sua in mensa et rusticus venit cum arcu et sagittat Scyphum in mensa coram regina, et fudit super vester eius. Unde ipsa indignata ait: Amovete istum Karl, nunquam formosus est. Imperator intelligens quid faceret rusticus, ait: Karolus vocabitur. Et iussit ministris, ut rusticum secum locarent, et bene tractarent, et post mensam locutus est secum, et recognovit, quod pulcriorem puerum, quam unquam homo vidit, puella ediderit, ct gavisus est rex, et dedit ei pecuniam: addidit, quod filium nominaret Karolum, et quam cito loqui posset, adduceret ei. Et mirabatur uxor et milites, quod rex solus loqueretur cum rustico. Cum autem puer crevisset et ambulare posset, molendinarius emit ei vestes, et produxit in curiam: et rex adiunxit eum filiis suis, quasi eiusdem staturae et aetatis, et educari fecit, ut filios suos legitimos. Quod odio habuit regina: unde accidit, quod filii eum tamquam illegitimum spernentes graviter percusserunt: sed Karolus repercussit et non sustinuit ipsorum insolentiam, quia repraesentabat in omnibus

aeque nobilem prosapiam. Et tempore procedente fortior illis factus et procerior, et inde factus regi carior, confratribus vindictam fecit. Quod mater videns et dolens filios legitimos superari a Karolo, dixit regi, non possum sufferre, quod adulterinus superet legitimos, sed adhibebo medelam, quia faciam eum alibi nutriri. Rex autem a muliere victus misit Karolum ad curiam regis Theodorici, rogans ut enutriat amore eius filium istum de latere procreatum: Quod et ipse gaudens fecit. Karolus autem et aetate profecit ac animi virtute: et saepe intravit ad molendinarium visitare matrem suam, et quoties respexit eundem flevit amare nec causam filio quaerenti indicat. Rex autem Theodoricus propter affectum, quem ad Pippinum habuit, voluit eum militem facere, sed ipse noluit ab alio nisi patre. Contigit postea, ut Karolus iret visitare matrem suam, et dum respiceret, cum fleret amare, ut semper consueverat, ille quaesivit causam fletus: sed ipsa noluit indicare: tandem vix precibus et minis obtinuit, et mater cum multo fletu et gemitu dixit: Ego sum filia regis Theodorici desponsata Pippino, et per ordinem dixit, quomodo illi tres consiliarii cum ea rem gessissent per omnia enarravit. Ille consolatus est matrem suam dicens, quod res bonam obtineret finem, et statim perrexit ad curiam regis Theodorici et dixit reginae, quod filia sua uxor regis Pippini graviter infirmaretur, et quod statim veniat, si velit eam videre vivam. Illa mox cum apparatu equitum et curruum vadit ad curiam regis. Et dum aulam ingreditur, assurgit ei regina ignorans, quod ipsa sit uxor regis Theodorici, et nesciens ad quid veniret. Regina vero videns, quod ipsa Domina non sit filia sua, amens corruit in terram, et quasi spiritum exhalavit, quam famuli levantes vix refecerunt. Cum autem modicum convaluisset, dixit a syncope, heu, heu, Rex, ubi est filia mea, quam vobis misi et desponsavi? Interea Karolus habuit ibi matrem suam asportatam, et hanc ostendit reginae dicens, quod eam respiceret; si aliquo modo cognosceret. Et ipsa statim eam cognoscens dixit: haec est filia mea: et fama innotuit regi Pippino. Et Karolus recitavit patri regi totique curiae, quid factum sit de matre sua. Unde omnes consenserunt, quod morti traderetur adultera cum filiis suis, et etiam illi, qui consilium dederant: sed mater Karoli supplicavit pro milite, qui eam defensaverat, ut non interficeretur ab aliis. Ipsa autem nocte accepit rex matrem Karoli in uxorem, et Karolum statim fecit militem et regem Franciae, et fecit nuptias in gloria et solemnitate, sicut decet regem. Hic Karolus multa fecit bella: novissime cum Danis, Saxonibus, Ungariis et Hispanis bellum habuisse dicitur.

IV.

Epistola IV. Leonis III. Papae ad Carolum Imperatorem [1].

Domino piissimo et serenissimo, victori ac triumphatori, filio, amatori Dei ac domini nostri Jesu Christi, Karolo Augusto, Leo Episcopus, servus servorum Dei. Remeantes ad nos fidelissimi Missi nostri, quos ad vestram imperialem Potentiam direximus, retulerunt nobis de vestra benignissima bonitate, quam erga B. Petrum Apostolum et eius Vicarium geritis ex intimo cordis amore. Interea obtulerunt nobis honorabiles vestras epistolas et capitularem. Quod vero capitularem, post relectionem duarum epistolarum, reserantes, inter cetera gaudia, qua praefatae epistolae cordi nostro effuderunt, sic primum capitulum eiusdem capitularis cor nostrum relevavit, ut cum Propheta dicere coeperimus: *Domine salvum fac Regem, et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.* Cumque per ordinem ad sextum coniungeremus capitulum, quantum gaudium et laetitiam praedictae epistolae atque cetera capitula nobis ingesserunt, tantum moerore et tristitia postmodum sumus repleti. Continebatur enim in ipso praefato sexto Capitulo quod Missos invenire non valetis qui nobis placeant; de qua re valde tristatur vestra Serenitas; et nullus de ipsis, qui iam ad nos fuit directos, per suam voluntatem amplius Missus erit, excepto quod obedientiam vestram voluntarie unusquisque adimplere cupit. Et non solum Missi vestri timent vestram portare legationem ad nostram pusillitatem; verum etiam alii iam non sunt ausi quaerere a vobis auxilium, quia nullus est, qui vestram quaesivit Clementiam, ut dicunt, qui postmodum ad plenam potuisset pervenire gratiam nostram; et quia plures directos habuistis Missos fideles, ex quibus iam alii mortui sunt, et ipsi blasphemati fuere; et de ipsis qui vivunt, nullus iam sine blasphemio esse videtur; Unde nobis, fili dulcissime, quid aliud agendum est, nisi preces pro his, qui talia vobis mentiti sunt, ad Dominum fundamus? sicut scriptum est: *Orate pro inimicis vestris.* Credat enim nobis vestra Serenitas, quia ea, quae ad animae vestrae salutem cognoverimus, nullo modo tacemus; et si ante tacuimus, nunc autem non cessamus, sive de bonis, sive de malis, vestrae intimare potentiae. Nam qui per mendacium et malas machinationes vult filium separare a matre,

---

[1] *Bouquet* V, p. 600 f. Geschrieben im Jahre 807.

judicium habebit cum ipso clavigero regni coelorum B. Petro Apostolo: quia mihi in hoc mundo nihil pretiosius est quam animae vestrae salus. Sed quia omnia, quae de vestra prosperitate atque exaltatione in corde nostro gerimus, et per singula exarare non valemus, sic nobis omnipotens Deus retribuat, sicut de vestro honore et sospitate cupimus. Verumtamen cum multo amore multaque fide erga vos constringamur, tacere nullo modo possumus, ut vos ipsi pro anima vestra vigiletis, scientes quia ista misera et caduca vita in modicum exterminatur, et finem habet, et omnes rationem reddituri sint Domino de vaniloquiis.

Igitur hominibus non citius credatis ante satisfactionem. Sed tamen si eos bene suscepimus, et bene honoravimus pro vestro amore, Deus nobis retribuat bona, et vos satisfaciat, ut in causis B. Petri Apostoli amplius et amplius decertetis. Et si non vobis nuntiaverint, quomodo eos honorifice suscepimus, quid aliud dicamus nisi ut Deus illis indulgeat? Verumtamen si prope fuissemus, adiuvante Dei omnipotentis misericordia, vos habuissetis veritatem et mendacium discernere; quia talem vobis a Deo datam esse sapientiam credimus, ut tale improperium atque confusionem non habuissemus in faciem nostram. Recordari credimus vestram Serenitatem quia vicibus nobis misistis, quod neminem de nobis male loqui permitteretis, neque locum illi tribueretis. Sed quid igitur restat, nisi ut inter tantas accusationes, quae de nobis et fidelibus nostris, qui aliquem profectum sanctae nostrae Ecclesiae faciebant, vobis dictae sunt, cum lacrymis gratias agam Deo omnipotenti. Nam de illo amore, quem erga vos gerimus, nullus in hac vita nos separare potest nisi sola mors, quandoque nobis obvenerit. Sed quid tantum fastidium facimus auribus vestris? Certissime, in quantum nobis Deus largiri dignatus est, sic in nostro sensu cogitamus, quod nullus de antecessoribus nostris partibus istis cum tanto amore servierit, quantum nos servivimus. Sed nostrum servitium, ut videmus, nemini acceptum fuit.

Da autem accusatoribus Missorum vestrorum, de quibus nos emisistis, ut aut in nostram aut in vestram praesentiam ad discutiendum veniant; si placet Pietati vestrae, Missum vestrum dirigite absque illis, qui omnia liquidius inquirat, et vestrae imperiali Potentiae fideliter nunciet quid aut quomodo istis in partibus egerint, qualem profectum exinde Sancta Dei Ecclesia mater vestra habeat. Verumtamen omnia in vestro committimus sagacissimo arbitrio. His praetermissis, omnipotens et misericors Deus, per intercessionem sanctae suae genitricis Mariae dominae

nostrae, et beatorum principum Apostolorum Petri ac Pauli, tale cordi vestro salubre consilium inspiret, ut oblatio, quam dulcissimus genitor vester dominus Pippinus Rex B. Petro Apostolo obtulit, et vos confirmastis, ipse claviger regni caelestis ante conspectum Dei cum ipsa donatione vobis praesentetur, quatenus gaudia aeterna percipere mereatis. Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

V.

Epistola Stephani II. Papae ad domnum Pippinum Regem et Carolum et Carlomannum

pro defensione sanctae Dei Ecclesiae, quia Haistulfus irritum fecerat pactum, qnod cum eis fecerat, et suum sacramentum non conservaverat, sicut pollicitus eisdem Regibus fuerat, etc.[1]

Domnis excellentissimis filiis Pippino Regi et nostro spirituali compatri, Carolo et Carlomanno item Regibus, et utrisque Patriciis Romanorum, Stephanus Papa. Dum regni vestri nomen inter ceteras gentes erga sinceram fidem B. Petri principis Apostolorum lucidissime fulserit, valde studendum est, ut unde gloriosiores ceteris gentibus in servitio beati Petri vos omnes Christiani asserunt, inde omnipotenti Domino, qui dat salutem Regibus, pro defensione sanctae suae Ecclesiae perfectius placeatis, ut fidem, quam erga eundem principem Apostolorum colitis, adiutricem in omnibus habeatis. Optaveramus quidem, praecellentissimi filii, amplius protelando nostram locutionem dilatare: sed quia pro multis ab iniquo Haistulfo Rege Longobardorum nobis ingestis tribulationibus, cor nostrum omnino atteritur dolore, et taedet spiritus noster: ideo a multorum sermonum prolixitate declinavimus, et unum, quod est necessarium, excellentissimae Christianitati vestrae innotescere studuimus, a Deo protecte nosterque spiritualis compater, et vos dulcissimi filii, pro mercede animarum vestrarum: quemadmodum misericors Deus noster caelitus victorias vobis largiri dignatus, iustitiam B. Petri, in quantum potuistis, exigere studuistis, et per donationis paginam restituendum confirmavit bonitas vestra.

Nunc autem, sicuti primitus Christianitati vestrae de malitia ipsius impii Regis ediximus, ecce iam mendacium, et iniqua per-

---

[1]) *Cod. Carolin.* VII. *Bouquet* V, p. 486 sq. Geschrieben zu Ende des Jahres 754.

versitas, atque eius periurium declaratum est. Antiquus quippe humani generis hostis diabolus eius perfidum invasit cor, et quae sub vinculo sacramenti adfirmata sunt, irrita facere visus est: nec unius enim palmi terrae spatium B. Petro sanctaeque Dei Ecclesiae, vel reipublicae Romanorum reddere passus est. Tanto quippe a die illo, a quo ab invicem separati sumus, nos affligere, et in magna ignominia sanctam Dei Ecclesiam habere conatus est, quanto non possunt hominum linguae enarrare: quia etiam et ipsi lapides, si dici potest, tribulationem nostram magno ululatu flerent: et ita nos visus est affligere, ut denuo in nobis innovata fuisset infirmitas. Nimis namque lugeo, excellentissimi filii, cur verba nostrae infelicitatis non audientes, mendacium plus quam veritatem credere voluistis, illudentes vos et irridentes. Unde et sine effectu iustitiae B. Petri, ad proprium ovile et populum nobis commissum sumus reversi. Omnes denique Christiani ita firmiter credebant quod B. Petrus princeps Apostolorum nunc per vestrum fortissimum brachium suum percepisset iustitiam, dum tam maximum ac praefulgidum miraculum vestris felicissimis temporibus demonstravit, talemque vobis immensam victoriam Dominus Deus et Salvator Jesus Christus per intercessiones sui principis Apostolorum pro defensione sanctae suae Ecclesiae largiri dignatus est. Sed tamen, boni filii, credentes eidem iniquo Regi, quod per vinculum sacramenti pollicitus est, propria vestra voluntate per donationis paginam B. Petro sanctaeque Dei Ecclesiae et reipublicae, civitates et loca restituenda confirmastis. Sed ille oblitus fidem Christianum et Deum, qui eum nasci praecepit, irrita, quae per sacramentum firmata sunt, facere visus est. Quapropter *iniquitas in verticem illius descendit:* patefactus quippe est laqueus, quem effodit, et in eo, pro suo mandato et periurio, incidit.

Coniuro vos, filii excellentissimi et a Deo protecti, per Dominum Deum nostrum, et sanctam eius gloriosam semperque Virginem genitricem Mariam, Dominam nostram, omnesque Virtutes caelorum, et per B. Petrum principem Apostolorum, qui vos in Reges unxit, ut doleat vobis pro sancta Dei Ecclesia, et iuxta donationem, quam eidem protectori vestro domino nostro B. Petro offerre iussistis, omnia reddere et contradere sanctae Dei Ecclesiae studeatis: et nequaquam iam ipsius nequissimi Regis, vel eius Iudicum seductoria verba et illusionis mandata credatis. Ecce enim patefactum est eius mendacium, ut nequaqnam ulterius vires credendi habere possit; sed magis, cognito eius iniquo ingenio et iniqua voluntate, eius fraudantur insidiae, et

quod semel B. Petro polliciti estis, et per donationem vestra manu firmatam, pro mercede animae vestrae, B. Petro reddere et contradere festinate. Beatus denique Paulus [2]) Apostolus ait: *Melius est non vovere, quam post votum non reddere.* Etenim nos omnes causas sanctae Dei ecclesiae in vestro gremio commendavimus, et vos reddetis Deo et beato Petro rationem in die tremendi iudicii, quomodo decertaveritis pro causa eiusdem principis Apostolorum, et restituendis eius civitatibus et locis. Vobis denique, multis iam devolutis temporibus, hoc bonum opus reservatum est; ut per vos exaltetur Ecclesia, et suam princeps Apostolorum percipiat iustitiam. Nullus meruit de vestris parentibus tale praefulgidum munus, sed vos praelegit et praescivit Deus ante tempora aeterna, sicuti scriptum est: *Quos praescivit et praedestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, illos et iustificavit.* Vocati estis, iustitiam ipsi principi Apostolorum sub nimia festinatione facere studete, quia scriptum est: *Fides ex operibus iustificatur.* De omnibus vero tribulationibus nostris, quas passi sumus, vel denuo patimur, Deo auxiliante, Folradus filius, vester Consiliarius, et eius socii enarrabunt vobis: et ita agite de causa B. Petri, ut et in hac vita victores, favente Domino, existatis, et in futuro, intercedente ipso principe Apostolorum B. Petro, gaudia possideatis aeterna. Bene valete, excellentissimi filii.

VI.

Epistola Stephani II. Papae ad domnum Pippinum, Carolum et Carolomannum

directa, in qua continetur

quod Haistolfus irritum fecerat pactum et iuramentum, quod iisdem Regibus de iustitia sancti Petri pollicitus fuerat, cum nimiis adiurationibus, iterum postulans adiutorium obtinere contra eundem [2]).

Domnis excellentissimis filiis Pippino Regi et nostro spirituali compatri, seu Carolo et Carlomanno item Regibus, et utrisque Patriciis Romanorum, Stephanus Papa. Providi et sapientissimi Salomonis prophetica ita fertur assertio: *Nomen bonum super misericordia.* Nomen quippe bonum est, fidem, quam quis

---

[1]) Die Worte stehen im *Pred. Salom.* V, 4.

[2]) *Cod. Carolin.* IX. *Bouq.* V, p. 488—490. Geschrieben am Schluss des Jahres 764.

pollicitus fuerit, immaculato corde et pura conscientia custodire, et operibus implere. Nomen enim bonum est, totis viribus ad exaltationem sanctae Dei Ecclesiae, per quam et salus Christianorum exsistit, decertare. Bonum enim inter omnes gentes de vobis exiit nomen, si operibus fuisset impletum, Redemptor namque noster misericors et multum miserator Dominus illis propitiator exsistit, quos omnino tota mentis integritate fideles et defensores sanctae suae Ecclesiae cognoverit. Qualis remuneratio aut merces sub caelo existimanda et coaequanda est ad eam, quae pro defensione Dei Ecclesiae et domus B. Petri est rependenda? Ideo namque excellentissimam et a Deo protectam Bonitatem vestram super turbas populorum et multarum gentium idem Rex Regum et Dominus dominantium salvos vos instituit, ut per vos sancta Dei Ecclesia exaltetur. Potuerat namque alio modo, ut illi placitum fuisset, sanctam suum vindicare Ecclesiam, et iustitiam sui Principis Apostolorum exigere. Sed quia mentem et conscientiam vestram, a Deo protecte spiritualis compater, et dulcissimi filii, probare voluit, ideo nostram infelicitatem ad vos venire praecepit. Tradidimus enim corpus et animam nostram in magnis laboribus ad viam spatiosam et longinquam provinciam: valde fisi in vestra fide, per Dei nutum illuc profecti sumus, afflicti in nive et frigore, aestu et aquarum inundatione, atque validis fluminibus et atrocissimis montibus, seu diversis periculis. Etenim dum vestris mellifluis obtutibus praesentati sumus, omnes causas principis Apostolorum in vestris manibus commendavimus; quoniam quidem inspirati a Deo, aurem petitionibus nostris adcommodare dignati estis, et vos B. Petro polliciti estis eius iustitiam exigere, et defensionem sanctae Dei Ecclesiae procurare, et ut vere fideles Deo, pura mente pro defensione Dei Ecclesiae dimicandum properastis. Sed omnipotens Dominus, qui conterit bella ab initio, qui superbos humiliat, et humiles exaltat, illico iustitiam B. Petri vestrae Bonitati et omnibus Christianis demonstravit, et tale praefulgidum miraculum ostendit, quale omnino gloriosum est referendum: illi enim inimici Dei et sanctae Ecclesiae, qui in sua ferocitate confidebant, veloces pedes habentes ad effudendum sanguinem, super brevem numerum populi vestri irruerunt, et ita per manum B. Petri omnipotens Dominus victoriam nobis largiri dignatus est, ut illi, qui innumerabiles existebant, a paucis hominibus fuissent interemti. Et humiliati sunt ipsi inimici B. Petri usque ad terram; et ita timorem et tremorem in illis Dominus immisit per intercessiones B. Petri, ut ad nihilum devenirent. Non

enim gladius hominis, sed gladius Dei est qui pugnat. Videns namque suam deceptionem iniquus Haistolfus Rex cum suis a Deo destructam Iudicibus, per blandos sermones et suasiones atque sacramenta illuserunt prudentiam vestram, et plus illis falsa dicentibus, quam nobis veritatem asserentibus, credidistis.

Magno namque dolore et tristitia, excellentissimi filii, cor nostrum repletum est, cur minime Bonitas vestra nos audire voluit. Omnia denique, quae per Dei iussionem vobis locuti sumus, veraciter ediximus, et iam patefacta sunt, ut facta ipsa demonstrant. Etenim sicuti primitus Christianitati vestrae ediximus, iniquus Haistolfus Rex, ingresso in eius perfido corde Diabolo, omnia, quae per sacramentum B. Petro per vestros Missos restituenda promisit, irrita fecit, et nec unius palmi terrae spatium B. Petro reddere voluit. A die enim illo, quo a melliflua Bonitate vestra separati sumus, tantum nos affligere et tribulare visus est, quantum non potest os hominis ennarrare. In magna namque despectione sanctam Dei Ecclesiam, et nostram humilitatem, et vestros Missos habere visus est, quia etiam et ad nostram propriam animam auferendam mala eius imperatio et summissio facta est. Quid multa dicimus? Tantum nos tribulavit, quia etiam, si dici potest, et ipsos lapides pro nobis flerent: tamen omnia vester Consiliarius Folradus Presbyter et Abbas, una cum suis sociis, si Deum prae oculis habent, vobis enarrare possunt. Non enim, quia iam reddere, ut constituit, propria B. Petri voluit, sed etiam scameras atque depraedationes seu devastationes in civitatibus et locis B. Petri facere sua imperatione nec cessavit, nec cessat. Oblitus quippe est Deum, qui fecit eum, et fidem Christianam transgressus est: quomodo alterius credendus est sive ipse, sive eius consentanei, qui tanta Dei mysterii sacramenta praebuerunt et noluerunt conservare. Vere enim omnia vobis praediximus de eiusdem impii Regis mendacio et falsitate: et quemadmodum diximus, manifesta sunt vobis, et periurium eius declaratum est. Pro quo peto vos, excellentissimi et a Deo protecti filii, et nimis obsecro, doleat vobis pro sancta Dei Ecclesia, et B. Petri causa: et quae per donationem B. Petro offerendum promisistis, ei possidendum contradere debeatis. Mementote et semper in vestris praecordiis firmiter tenete quod promisistis eidem ianitori regni caelorum. Nulla iam vos seducat suasio aut acceptilatio. Considerate quam fortis existit exactor idem princeps Apostolorum B. Petrus: videte omnia, quae ei promisistis, et per donationem offerendum polliciti estis, contradere festinate, ut non lugeatis in

aeternum, et condemnati maneatis in futura vita. Vita enim huius mundi brevis est, et sicut vestimentum inveterascit. Illam vitam aeternam, quam vobis B. Petrus pro sua causa et iustitia promisit, tota mente et integro corde quaerite. Decertate bonum opus, quod coepistis, implere, et quae per donationem manu vestra confirmastis, protectori vestro B. Petro reddere festinate, quoniam scriptum est: *Melius est non vovere, quam vovere, et votum non reddere.* Scietis enim quia, sicut chirographum, vestram donationem princeps Apostolorum firmiter tenet, et necesse est, ut ipsum chirographum expleatis, ne dum iustus Index ad iudicandum vivos et mortuos et seculum per ignem advenerit, in futuro iudicio idem princeps Apostolorum idem chirographum demonstrans nullam habere firmitatem, destrictas cum eo faciatis rationes. Sed magis explete quod promisistis velociter, ut iterum vitam aeternam, quam ab ipso principe Apostolorum promissam habetis, possideatis.

Coniuro vos, excellentissimi et a Deo protecti filii, per Deum omnipotentem qui continet omnia sua potentia, et per sanctam eius matrem gloriosam semper Virginem Mariam dominam nostram, atque per Virtutes caelorum, et per beatos principes Apostolorum Petrum et Paulum, atque per tremendum iudicii diem, ubi omnes constricte ad reddendum de nostris factis rationem adsistere habemus, ubi nulla est ingeniosa excusatio, velociter et sine ullo impedimento, quod B. Petro promisistis per donationem vestram, civitates et loca, atque omnes obsides et captivos B. Petro reddite, vel omnia quae ipsa donatio continet: quia ideo vos Dominus per humilitatem meam, mediante B. Petro, unxit in Reges, ut vos sancta sua exaltetur Ecclesia, et princeps Apostolorum suam iustitiam suscipiat.

Magnum desiderium in nostro corde habebamus vestros mellifluos vultus adspicere, et de vestrae iocunditatis laetitia gaudere, iuxta quod sapientissimus ait Salomon: *Per vicos et plateas quaesivi quem dilexit anima mea.* Et certe, quos dileximus, per Dei iussionem invenimus, et quos desideravimus, amplexi sumus, pro quo diffusa est super vos benedictio et gratia B. Petri, ut Domini fuit provisio. Quod nullus de vestris parentibus meruit suscipere, vos suscepistis, et princeps Apostolorum prae ceteris Regibus et gentibus vos suos peculiares faciens, omnes suas causas vobis commisit: et quos reddetis rationem Deo, quomodo pro iustitia ipsius ianitoris regni caelorum decertaveritis. Cunctus namque noster populus Reipublicae Romanorum magno dolore et amarissimis lacrimis una nobiscum tribulantur pro eo,

dum ad tam longam et spatiosam provinciam properavimus et prae fatigio validi itineris caro nostra minuata est: sic vacui et infructuosi, sine effectu iustitiae reversi sumus. Attamen nos infelices iuxta Dominicum praeceptum egimus, et omnes causas B. Petri vobis commendavimus; et vobis pertinet hoc sive ad peccatum sive ad mercedem. Nam et omnes gentes ita firmiter tenebant, quod B. Petrus nunc per vestrum fortissimum brachium suam percepisset iustitiam, et factum non est, et in magno cordis stupore de hoc omnes evenerunt. Sed peto excellentissimam Bonitatem vestram, ut vituperium hoc a gentibus auferatis, et omnibus fidem vestram operibus ostendite, eo quod fides, ut scriptum est, sine operibus otiosa est. Cum qua enim fiducia aut fortitudine ad expugnandos inimicos vestros pergere potestis, si iustitiam B. Petri, ut promisistis et initiastis, non perfeceritis? Si enim, ut coepistis, operibus adimpleveritis, eritis semper victores et fortissimi super vestros inimicos, et praesens regnum per multorum annorum spatia cum bona possidebitis fama, et vitam percipietis aeternam. Tanto operi direximus ad vos Wilharium reverendissimum et sanctissimum Fratrem et Coëpiscopum et fidelem, qui vobis omnia de nostra tribulatione et causa B. Petri proprio ore enarret, cui in omnibus credere iubeatis, et exitum bonum in causa B. Petri ponere. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat. Bene valete.

VII.

Epistola Stephani II. Papae ad domnum Regem
Pippinum et Carolum vel Carlomannum, seu omni generalitali, in nomine ipsius Papae comprehensa, pro desolatione et de eastatione sanctae Dei Ecclesiae et urbis Romanae: per Georgium, Episcopum, et Warnecharium Abbatem, et Thomaricum Comitem, Missos ipsius Apostolici, directa, postulando nimiis cum adiurationibus adiutorium contra Langobardos [1]).

Domnis excellentissimis Pippino, Carolo et Carlomanno tribus Regibus, et nostris Romanorum Patriciis; seu omnibus Episcopis, Abbatibus, Presbyteris et Monachis, seu gloriossis ducibus, Comitibus, vel cuncto exercitui regni et provinciae [2]) Francorum; Stephanus Papa, et omnes Episcopi, Presbyteri, Diacones, seu Duces, Cartularii, Comites, Tribuni, et universus populus et

---

1) *Cod. Carolin.* IV. *Bouquet*, V, p. 490—492. Geschrieben im Jahre 755. Derselbe Brief mit einigen Zusätzen im *Cod. Carolin.* VI. *Bouq.*, V, p. 492—495; an Pippin allein gerichtet. — 2) *Provincia* im kirchlichen Sinne.

exercitus Romanorum, omnes in afflictione positi. Quanta luctuosa et amarissima tristitia circumvallati, quantaque anxietate atque angustia coartati simus, et quantas, crebescentibus continuis malis, oculi nostri destillantes profundant lacrimas, credimus quod et ipsa omnium elementorum figmenta enarrent. Quis enim harum tribulationum conspector non lugeat? Quis auditor harum nobis inhaerentium calamitum non ululet? Quamobrem cuiusdam bonae mulieris, Susannae pudicae verba loquimur: *Angustiae nobis undique, et quid agamus, ignoramus.* O Christianissimi, ecce venerunt nobis dies angustiae, praesto sunt dies fletus et amaritudinis: quoniam quod timebamus a Langobardis, evenit. Pro quo angustiati, afflicti, et ex omni circumquaque parte circumdati, ab eorum nequissimo Haistulfo Rege et gente, cum Propheta Dominum deprecantes dicimus: *Adiuva nos Deus salutaris noster, et propter honorem nominis tui libera nos etc.* et rursum: *Apprehende arma et scutum, et exsurge in adiutorium nostrum.* Ecce enim cognitum habetis, quomodo pacis foedera a praefato impio Haistulfo Rege et omni gente dissipata sunt, et qualiter nihil, iuxta ut constituit et per vinculum sacramenti confirmatum est, valuimus impetrare; etiam in ipsis Ianuarii Kalendis cunctus eiusdem Langobardorum Regis exercitus e Tusciae partibus in hanc civitatem Romanam coniunxerunt, et resederunt iuxta portam B. Petri atque B. Pancratii et Portuensem. Ipse vero Haistulfus cum aliis exercitibus coniunxit ex alia parte, et sua finxit [1]) tentoria iuxta portam Salariam et ceteras portas; et saepius nobis direxit (dicens): *Aperite mihi portam Salariam, ut ingrediar civitatem: et tradite mihi Pontificem vestrum, et patientiam ago in vobis. Si minus, ne muros evertens, uno vos gladio interficiam, et videam quis vos eruere possit de manibus meis.*

Sed et Beneventani omnes generaliter in hanc Romanam urbem coniungentes, resederunt iuxta portam Beati Johannis, et Beati Pauli Apostoli, et caeteras istius Romanae urbis portas, et omnia extra urbem praedia longe lateque ferro et igne consumpserunt; domos omnes comburentes paene ad fundamenta destruxerunt, Ecclesias Dei incenderunt, et sacratissimas sanctorum imagines in ignem proiicientes, suis gladiis consumpserunt; et munera sancta, [id est, corpus Domini nostri Jesu Christi], in suis contaminatis vasibus, quos folles vocant, miserunt; et cibo carnium copioso saturati, comedebant eadem munera: velamina altarium Ecclesiarum Dei, vel omnia ornamenta, quod nimis crudele etiam dici est, auferentes, in propriis utilitatibus usi sunt; servos Dei

[1]) *fixit?*

Monachos, qui pro officio divino in Monasteriis morabantur, plagis maximis tundentes, plures laniaverunt; et sanctimoniales feminas atque reclusas, quae ab infantia et pubertatis tempore pro Dei amore sese clausurae tradiderunt, abstrahentes cum magna crudelitate polluerunt; qui etiam et in ipsa contaminatione alias interficere visi sunt; et omnes domos cultas beati Petri et omnium Romanorum, tam viros quamque mulieres, iugulaverunt, et alios plures captivos duxerunt. Nam et innocentes infantulos a mamillis matrum suarum separantes, ipsasque vi polluentes, interemerunt ipsi impii Langobardi; et tanta mala in hac Romana provincia fecerunt, quanta certe nec paganae gentes aliquando perpetratae sunt: quia etiam (si dici potest) et ipsi lapides nostras desolationes videntes, ululant nobiscum. Quinquaginta et quinque dies hanc afflictam Romanam civitatem obsidentes, et ex omni parte circumdantes, praelia fortissima die noctuque cum pessimo furore incessanter cum diversis machinis et adinventionibus plurimis contra nos ad muros istius Romanae urbis commiserunt, ut suae potestati (quod avertat Divinitas) subiiciens, omnes uno gladio idem inimicus Haistulfus interimeret. Ita enim cum magno furore exprobantes nobis asserebant: *Ecce circumdati estis a nobis: veniant nunc Franci: et eruant vos de manibus nostris.* Nam et civitatem Narniensem, quam Beato Petro concessistis, abstulerunt, et aliquas civitates nostras comprehenderunt. Quamobrem constricti vix potuimus marino itinere praesentes nostras literas et Missum ad vestram Christianitatem dirigere, quas et cum magnis lacrymis scripsimus.

Unde, dilectissimi nobis, peto vos, et tamquam praesentialiter adsistens, cum divinis mysteriis coniuro coram Deo vivo et vero, et eius principe Apostolorum Beato Petro, ut sub nimia festinatione nobis subveniatis, ne pereamus. Non nos derelinquatis; sic non vos derelinquat Dominus in omnibus vestris actibus. Non nos spernatis; sic non vos spernat Dominus, eius invocantes potentiam. Ne elongetis a nobis auxilium vestrum, Christianissimi, sic non elonget Dominus auxilium suum a vobis, dum ingressi fueritis contra inimicos vestros ad dimicandum. Adiuvate nos sub magna velocitate, dilectissimi nobis; occurrite, occurrite, et subvenite nobis, antequam gladius inimicorum ad cor nostrum pertingat. Peto vos, ne pereamus; ne quando dicant gentes, quae in cuncto orbe terrarum sunt, *Ubi est fiducia Romanorum quam post Dominum in Regibus et gente Francorum habebant?* Non nos permittatis perire, et ne differatis nobis ad solatia dandum, nec a vestro nos separetis auxilio; sic non sitis alieni a regno Dei, et ne ob-

duret Dominus aurem suam vestras ad exaudiendas preces, et ne avertat faciem suam a vobis in illo futuri examinis die, quando cum Beato Petro, et ceteris suis Apostolis ad iudicandum sederit omnem ordinem omnemque potestatem humanam, et seculum per ignem; dicaturque (quod avertat Divinitas): *Nescio vos, quia non auxiliati estis Dei Ecclesiae, et defendere minime procurastis eius periclitantem peculiarem populum.*

Audite nos, dilectissimi, audite nos, et subvenite nobis. Ecce adest tempus salvandi nos; salvate nos, antequam pereamus, Christianissimi. Omnes etenim gentes, quae circumquaque sunt positae, et ad vestram, per Dei potentiam, Francorum fortissimam gentem refugium fecerunt, salvae factae sunt: et, si omnibus auxilium impertire non differtis, multo amplius sanctam Dei Ecclesiam et eius populum de inimicorum impugnatione debueratis liberare. Considerate, dilectissimi, et omnino percogitate, per Deum vivum vos coniuro, quoniam post Deum et eius principem Apostolorum nostrae omnium Romanorum animae in vobis pendent; et si perire (quod absit), nos contigerit, pensate in cuius animam respiciat ad peccatum. Certe enim omnino credite, Christianissimi, si nobis aliqua evenerit calamitas (quod absit) periclitandi, vos de omnibus ante tribunal Dei eritis reddituri rationem. Sed magis, dilectissimi nobis, agite, et liberate post Deum in vobis confugientes, ut fructum bonum offerentes in futuri examinis die mereamini dicere: *Domine noster princeps Apostolorum Beate Petre, ecce nos clientuli tui cursum consummantes, fidem servantes tibi, Ecclesiam Dei a superna clementia tibi commendatam de manibus persequentium defendentes liberavimus, et adsistentes immaculati coram te, offerimus tibi pueros, quos nobis commisisti de manibus inimicorum eruendos, sospites atque incolumes existentes.* Tunc et in praesenti vita et in futuro seculo caelestium praemiorum gaudia adipisci mereamini, audientes paternam desiderabilem vocem illam inquientis [1]): *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis praeparatum est ab origine mundi.*

Quare direximus praesentem nostrum Missum Georgium reverendissimum ac sanctissimum Fratrem et Coëpiscopum nostrum, atque Warneharium religiosum Abbatem Missum vestrum, et Thomaricum Comitem, magnificos eosdem nostros Missos, qui vobis omnes nostros dolores et cunctas desolationes, quas a Langobardorum gente, et eorum protervo Rege passi sumus, et assi-

1) *Matth.* XXV, 34.

due patimur, vobis subtili enarratione, quae propriis oculis viderunt, viva voce edicere debeant: quibus et in omnibus, tamquam nobismetipsis, credere iubeatis, et nostram liberationem nimis festinanter procurare. Et coniuro vos per Deum vivum et verum, ut nequaquam amplius discredatis nostras afflictiones, et neglectum ponatis ad liberandum nos: ne (quod absit) si amplius credere distuleritis, et neglexeritis nos eruendum, nobis (quod avertat Divinitas) irruat calamitas pereundi, et vobis pertineat ad magnum detrimentum et peccatum atque condemnationem in praesenti et aeterna vita; quia vobis animas omnium nostrorum Romanorum tradidimus. Sed magis magisque vos, ut praefatum est, coniuramus per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Trinitatem indivisam, ut nostras tribulationes et angustias atque dolores et desolationes credere sine qualibet ambiguitate iubeatis, et nobis propter Deum subvenire, et ad liberandum nos de manibus Langobardorum inimicorum nostrorum nimis festinanter occurrere iubeatis: ut fructum afferentes copiosum, vitam aeternam, intercedente Beato Petro, perfrui mereamini. Praefatus vero Warneharius pro amore Beati Petri loricam se induens, per muros istius afflictae Romanae civitatis vigilabat die noctuque, et pro nostra omnium Romanorum defensione atque liberatione, ut bonus athleta Christi, decertavit totis suis cum viribus. Bene valete.

VIII.

Epistola, quam transmisit Stephanus II. Papa ad domnum

Regem Pippinum, et Carolum vel Carolomannum, seu omni generalitati Francorum; in nomine sancti Petri comprehensa, postquam per semetipsum iam dictus Papa in Francia fuit, et secunda vice voluit adiutorium obtinere contra Langobardos [1]).

Petrus vocatus Apostolus a Jesu Christo Dei vivi filio, qui ante omnia saecula cum Patre regnans in unitate Spiritus Sancti, in ultimis temporibus pro nostra omnium salute incarnatus et homo factus, nos suo redemit pretioso sanguine per voluntatem paternae gloriae: quemadmodum per sanctos suos destinavit Prophetas in scripturis Sanctis, et per me omnis Dei Catholica et Apostolica Romana Ecclesia, caput omnium [2]) *Ecclesiarum Dei, ipsius Redemtoris nostri sanguine super firmam fundata petram, atque eiusdem*

[1]) *Cod. Carolin.* III. *Bouquet*, V, p. 495—497. Geschrieben im Jahre 755.
[2]) *Urbis et orbis mater*, wie auf der Pfarrkirche des Papstes steht.

almae Ecclesiae Stephanus Praesul; gratia pax et virtus ad eruendam eandem sanctam Dei Ecclesiam, et eius Romanum populum mihi commissum de manibus persequentium, plenius ministretur a Domino Deo nostro vobis viris excellentissimis Pippino, Carolo et Carlomanno tribus Regibus, atque sanctissimis Episcopis, Abbatibus, Presbyteris, vel cunctis religiosis Monachis, verum etiam Ducibus, Comitibus et cunctis generalibus exercitibus et populo Franciae commorantibus.

Ego Petrus Apostolus, dum a Christo Dei vivo filio vocatus sum supernae clementiae arbitrio [1]), illuminator ab eius potentia totius mundi sum praeordinatus, ipso Domino Deo nostro confirmante; *Ite, docete gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*: et iterum: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: et mihi suo exiguo servo et vocato Apostolo singillatim suas commendavit oves, cum ait; *Pasce oves meas, pasce agnos meos*: et rursum; *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum: quaecunque ligaveris super terram, erunt legata et in coelis; et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in caelis.* Quamobrem omnes, qui meam audientes impleverunt praedicationem, profecto credant sua in hoc mundo, Dei praeceptione, relaxari peccata: et mundi atque sine macula in illam progredientur vitam. Etenim quia illuminatio Spiritus Sancti in vestris refulsit praefulgidis cordibus, vosque amatores effecti estis sanctae et unicae Trinitatis per susceptum Evangelicae praedicationis verbum; profecto in hac Apostolica Dei Romana Ecclesia nobis commissa, vestra futurae retributionis spes tenetur adnexa. Ideoque ego Apostolus Dei Petrus, qui vos adoptivos habeo filios, ad defendendam de moribus adversariorum hanc Romanam civitatem, et populum mihi a Deo commissum, seu et domum, ubi secundum carnem requiesco, de contaminatione gentium eruendam, vestram omnium dilectionem provocans adhortor, et ad liberandam Ecclesiam Dei mihi a divina potentia circumdatam omnino protestans admoneo, pro eo quod maximas afflictiones et oppressiones a pessima Langobardorum gente patiuntur.

Nequaquam aliter teneatis, amantissimi, sed pro certo confidite, per memetipsum, tanquam in carne coram vobis vivus adsisterem, per hanc adhortationem validis constringimus atque obligamus adiurationibus: quia secundum promissionem, quam ab eodem Domino Deo et Redemtore nostro accepimus, pecu-

[1]) arbitro?

liares inter omnes gentes vos omnes Francorum populos habemus. Itaque protestor et admoneo, tanquam in aenigmate, et firma obligatione coniuro vos Christianissimos Reges, Pippinum, Carolum et Carlomannum, atque omnes Sacerdotes, Episcopos, Abbates, Presbyteros, vel universos religiosos Monachos, vel cunctos Iudices; item Duces, Comites et cunctum Francorum regni populum, et tanquam praesentialiter in carne vivus adsistens coram vobis, ego Apostolus Dei Petrus: ita firmiter credite vobis adhortationis alloqui verba, quia etsi carnaliter desum, spiritualiter autem a vobis non desim; quoniam scriptum est, *Qui suscipit Prophetam in nomine Prophetae, mercedem suscipit Prophetae.*

Sed et Domina nostra, Dei genitrix, semper Virgo, Maria, nobiscum vos magnis obligationibus adiurans protestatur atque admonet et iubet, simul etiam Throni atque Dominationes, et cunctus caelestis militiae exercitus; nec non et Martyres atque Confessores Christi, et omnes omnino Deo placentes, et hi nobiscum adhortantes et coniurantes protestantur, quatenus doleat vobis pro civitate ista Romana nobis a Domino Deo commissa, et ovibus Dominicis in ea commorantibus, necnon et pro sancta Dei Ecclesia mihi a Domino commendata: et defendite atque liberate eam sub nimia festinatione de manibus persequentium Langobardorum; ne, quod absit, corpus meum, quod pro Domino Jesu Christo tormenta perpessum est, et domus mea, ubi per Dei praeceptionem requiescit, ab eis contaminentur, et populus meus peculiaris lanietur amplius, nec trucidetur ab ipsa Langobardorum gente, qui tanto flagitio periurii rei existunt, et transgressores divinarum Scripturarum probantur. Praestate ergo populo meo Romano, mihi a Deo commisso in hac vita, fratribus vestris, Domino cooperante, praesidia totis vestris viribus, ut ego Petrus vocatus Dei Apostolus in hac vita et in die futuri examinis vobis alterna impendens patrocinia, in regno Dei lucidissima ac praeclara vobis praeparem tabernacula; atque praemia aeternae retributionis et infinita Paradisi gaudia vobis pollicens adinvicem tribuam; dummodo meam Romanam civitatem, et populum meum peculiarem, fratres vestros Romanos, de manibus iniquorum Langobardorum nimis velociter defenderitis.

Currite, currite, per Deum vivum et verum vos adhortor et protestor, currite et subvenite, antequam fons vivus, unde satiati et renati estis, arescat; antequam ipsa modica favilla de flagrantissima flamma remanens, ex qua vestram lucem cognovistis, exstinguatur; antequam mater vestra spiritalis, sancta Dei Ecclesia, in qua vitam speratis percipere aeternam, humilietur, inva-

datur, et ab impiis involetur [1]) atque contaminetur. Protestor vos, dilectissimi filii mei adoptivi, per gratiam Spiritus Sancti protestor, et nimis coram Deo terribili, Creatore omnium, adhortor atque admoneo, ego Apostolus Dei Petrus, et una mecum Sancta Dei Catholica et Apostolica Ecclesia, quam mihi Dominus commisit, ne patiamini perire hanc civitatem Romanam, in qua corpus meum constituit Dominus, quam et mihi commendavit, et fundamentum fidei constituit. Liberate eam et eius Romanum populum, fratres vestros, et nequaquam invadi permittatis a gente Langobardorum: sic non sint invasae provinciae et possessiones vestrae a gentibus, quas ignoratis. Non separemini a populo meo Romano: sic non sitis alieni aut separati a regno Dei et vita aeterna. Quidquid enim poscetis a me, subveniam vobis videlicet, et patrocinium impendam. Subvenite populo meo Romano, fratribus vestris et perfectius decertate, atque finem imponite ad liberandum eos. Nullus enim accipit coronam, qui non legitime decertaverit: et vos decertate fortiter pro liberatione sanctae Dei Ecclesiae, ne in aeternum pereatis.

Coniuro vos, coniuro, ut praefatum est, dilectissimi, per Deum vivum, et omnino protestor, minime permittatis hanc civitatem meam Romanam, et in ea habitantem populum amplius a gente Langobardorum laniari, ne lanientur et crucientur corpora et animae vestrae in aeterno atque in exstinguibili Tartareo igne cum diabolo et eius pestiferis Angelis; et ne dispergantur amplius oves Dominici gregis mihi a Deo commissi, videlicet populus Romanus: sic non vos dispergat et proiiciat Dominus, sicut Israëliticus populus dispersus est. Declaratum quippe est quod super omnes gentes, quae sub caelo sunt, vestra Francorum gens prona mihi Apostolo Dei Petro exstitit: et ideo Ecclesiam, quam mihi Deus tradidit, vobis per manus Vicarii mei commendavi ad liberandum de manibus inimicorum. Firmissime enim tenete quod ego servus Dei, vocatus Apostolus, in omnibus vestris necessitatibus, dummodo precati estis, auxiliatus sum, et victoriam per Dei virtutem vobis de inimicis vestris tribui, et inante attribuam nihilominus, credite, si ad liberandum hanc meam civitatem Romanam nimis velociter concurreritis. Mementote et hoc, quomodo et inimicos Sanctae Dei Ecclesiae, dum contra vos praelium ingruerunt, a vobis, qui parvo numero contra eos fuistis, prosternere feci. Pro quo decertate hanc meam velociter adimplere admonitionem, ut perfectius meum adipisci

---

[1]) violetur?

mereamini auxilium per gratiam, quae data est mihi a Christo, Domino Deo nostro.

Ecce, filii carissimi, praedicans admonui vos, si obedieritis velociter, erit vobis pertingens ad magnam mercedem, et meis suffragiis adiuvati, et in praesenti vita omnes vestros inimicos superantes, et longaevi persistentes, bona terrae comeditis, et aeterna procul dubio fruemini vita. Sin autem, quod non credimus, et aliquam posueritis moram aut adinventionem ad minime velociter hanc nostram implendam adhortationem, ad liberandam hanc meam civitatem Romanam et populum in ea commorantem, et Sanctam Dei Apostolicam Ecclesiam mihi a Domino commissam, simul et eius Praesulem, sciatis vos ex auctoritate Sanctae et Unicae Trinitatis, per gratiam Apostolatus, quae data est mihi a Christo Domino, vos alienari pro transgressione nostrae adhortationis a regno Dei et vita aeterna. Sed Deus et Dominus noster Jesus Christus, qui nos suo pretioso redimens sanguine, ad lucem perduxit veritatis, nos quoque praedicatores et inluminatores totius mundi constituit, det vobis ea sapere, ea intelligere, eaque disponere nimis velociter, ut celerius hanc civitatem Romanam et omnem populum, seu Sanctam Dei Ecclesiam mihi a Domino commissam, ad eruendum occurratis, quatenus misericorditer sicut fidelibus suae potentiae, meis pro vobis intervenientibus suffragiis, et in praesenti vita longaevos, sospites et victores conservare iubeat, et venturo in seculo dona suae remunerationis faciat multiplicius promereri, cum Sanctis et Electis suis. Bene valete.

IX.

Epistola Pauli Papae ad domnum Regem Pippinum missa pro defensione sanctae Dei Ecclesiae, significans, quod Desiderius Pentapolim depraedavit, et omnia alimenta populi ferro et igne consumpsit, et quia Albinum Ducem Spoletinum in vinculis detrusit, et quia Dux Beneventanus in Otorantana civitate retrusit alium, Ducem Argisem in Benevento constituit, et quia locutus est cum Misso Imperiali Georgio, et invitavit exercitum Imperatoris in Italia contra Ravennam, et exercitum de Sicilia contra Otorantanam civitatem, et professus est, eam tradere partibus Imperialibus, vel aliis pluribus capitulis [1]).

Domno excellentissimo Filio et nostro spiritali compatri Pippino Regi Francorum, et Patricii Romanorum, Paulus Papa.
Quotiens perspicua Eximietatis vestrae merita, mystica conside-

---

[1]) *Cod. Carolin.* XV. *Bouquet*, V, p. 504—506. Geschrieben im Jahre 757.

ratione cernens, cordis oculis confero, oppido me admirari convenit, intemeratam superfluamque Excellentiae tuae mentis constantiam, et ferventis simul affectum, quem circa Dei amorem et eius principis Apostolorum incessanter gestas, quoniam Deo magis quam hominibus favere niteris. Unde perspicuum est, vos prae omnibus Regibus et Potentibus piis pollere operationibus, quia absumto coelesti triumpho ultro te, excellentissime fili et spiritalis compater, ad liberandam Dei Ecclesiam adhibuisti. Et ideo, ut ipsum piae operationis vestrae certamen effectui mancipetur, crebro nos congruit, sicut liberatori ipsius Sanctae Dei Ecclesiae et eius peculiaris populi, Apostolicos dirigere apices. Primum omnium nobis, super omnia nectarea dulcia, exsistit desiderabilia Prosperitatis vestrae gaudia addiscere; deinde vero, quae sanctae Ecclesiae Dei et nobis consistunt necessaria, quantocius intimare, ut vera, excellentissime fili, et noster spiritalis compater, agnoscas non pridem per Apostolicas literas Eximietati tuae innotuisse, quae in his partibus a Desiderio Langobardorum Rege impie peracta sunt, atque crudeliter perpetrata. Igitur dum tam perniciosam eius operationem cerneremus, aptum prospeximus, praesentem fidelissimum vestrum Missum Rodbertum hic apud nos detinere, quatenus quid coepta iam fati Desiderii Regis, vel Langobardorum populi malitia pareret, praesentialiter agnoscens atque conspiciens, vestram certiorem reddidisset eximiam Praecellentiam. Etenim, sicut pridem, ecce et nunc, innotescimus a Deo servatae Excellentiae vestrae, quod praefatus Langobardorum Rex Pentapolensium per civitates transiens, quas B. Petro pro magna animae vestrae mercede contulistis, ferro et igne omnia sata et universa, quae ad sumtus hominum pertinent, consumsit: sicque Spoletinum et Beneventanum, qui se sub vestra a Deo servata potestate contulerunt, ad magnum spretum regni vestri desolavit, atque ferro et igne eorundem Ducatuum loca et civitates devastavit, et comprehensum Albinum Ducem Spoletinum, et cum eo Satrapas, qui in fide B. Petri et vestra sacramentum praebuerunt, infixis in eis pessimis vulneribus, in vinculis detinet.

Appropinquante autem eo Benevento, illico Dux Beneventanus fugam arripuit in Otorantanam civitatem, et dum diu immineret, ut ex ipsa sua civitate exire eundem Ducem suaderet, nequaquam in eo suam adimplens voluntatem, constituit Ducem alium in eodem Beneventano Ducatu, nomine Arigis. Et confectim dirigens Neapolim idem Desiderius Rex, accersivit Georgium Imperialem Missum, qui ad vos in Franciam directus fuerat;

cum quo nefarie clam locutus est, iniens cum eo consilium, atque suas Imperatori dirigens literas, adhortans eum, ut suos Imperiales dirigat exercitus in hanc Italiam provinciam; et ipse Desiderius cum universo Langobardorum populo professus est, Deo sibi contrario, auxilium praefatis Imperialibus exercitibus impertire: quatenus ex una parte ipsius exercitus, et ex alia idem Desiderius cum universo Langobardorum populo, utrique dimicantes Ravennatium civitatem comprehendere queant, suamque Imperator (quod Dominus non permittat) adimplere valeat in quocunque voluerit voluntatem. Nam et cum eodem Georgio Imperiali Misso constituit, ut dromonum Siciliae stolus in Otorantana civitate dirigatur, ut tam Graeci quam Langobardi ipsam obsidentes comprehendere valeant civitatem, eamque concedat Imperatori, cum hominibus et facultatibus, quae in ea consistunt, et tantummodo Ducem illum atque eius nutritorem Johannem praedicto Regi restituat. Post vero dissolutionem eorundem Ducatuum, coniunxit hic ad nos Romae idem Langobardorum Rex: et cum eo loquentes, nimis eum adhortati sumus, et per sacratissimum corpus B. Petri, atque etiam per tuam a Deo protectam Excellentiam fortiter illum coniuravimus, ut civitates illas, id est Imolam, Bononiam, Ansimum et Auconam, quas nobis praesentialiter, simul per vestros Missos, id est, Folradum Deo amabilem Abbatem et Presbyterum, et Rodbertum, excellentissimae Christianitati tuae, et per te etiam B. Petro Apostolorum principi pollicitus est redditorum, restituere deberet. Quod minime adquiescere inclinatus est, sed simulans, ut certe strofarius, varias occasiones adhibuit, inquiens ut si suos, quos illic Francia habere videtur, obsides reciperet, tunc in pacis concordia nobiscum conversaretur.

Unde petimus abs te, excellentissime fili et spiritalis compater, et obnixe deprecamur a Deo inspiratam Eximietatem tuam, ut iubeas perfectam liberationem Sanctae Dei Ecclesiae et eius peculiaris populi exercere; et ita id, quod magna animae tuae mercede B. Petro pollicitus es, firmiter permanere; ipsumque Desiderium Langobardorum Regem fortiter constringere digneris, ut prolatam a Deo promissionem B. Petro protectori vestro restituere debeat, atque in omnibus adimplere. Tuique studii sit, bone potentissime Rex, sicut coepisti, perfectius hanc Sanctam Dei Ecclesiam, et eius peculiarem populum de hostium incursione eruere; ut, annuente Deo, certamen benignae operationis tuae uberrime fecundetur: quatenus in die adventus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi luceas, sicut radiantissimus Sol, in-

ter universos Reges et Potentes, atque ipsam sanctam Dei Ecclesiam et eius populum tuo adminiculo ereptum, Divinae Maiestati, absque ulla laesionis saevitia, offerre; et tunc centuplum remunerationis ab eodem Domino Deo nostro, iusto iudice, percipere, et vitam aeternam possidere merearis. Coniuro te, fili excellentissime, per omnipotentem Deum, et eius principem Apostolorum B. Petrum, ut benigno intuitu et libentissimo animo nostras preces audire iubeas; ut Deus tibi omnipotens in his, quae eius potentiam deprecatus fueris, suae Divinitatis aures inclinet, et victorem te super omnes barbaras nationes faciat. Omnes enim omnino gentes, quae super faciem universae terrae consistunt, compertum habent tuum certamen, quod ad defensionem Sanctae Dei Ecclesiae adhibuisti, et magnum te ac praecipuum regem laudabiliter asserunt. Sed et nos bonam tuam famam longe lateque protelare atque dilatare non desistimus in eo quod certe, post Deum, sicut murum inexpugnabilem, tuam firmissimam fidem in nostro pectore conferimus, magnam in te, post Dei praesidium, possidentes spei fiduciam; quod et plerumque ob tuae immaculatae promissionis fideique meritum consecuti sumus. Etenim magnopere praesentes nostros Missos, id est, reverendissimum et sanctissimum fratrem et coepiscopum nostrum Georgium, atque dilectum filium nostrum Stephanum Presbyterum, ad vestram a Deo custoditam Excellentiam misimus: dumque vestris Deo amicabilibus vestigiis fuerint una cum Radberto fidelissimo vestro Misso praesentati, cuncta viva voce Christianissimae Excellentiae tuae, quae acta sunt, et rei exigit meritum, nobisque necessaria existentia, intimabunt. Maximo namque desiderio nostro anhelabat animus, Apostolicas Excellentiae vestrae dirigere literas salutationis ac visitationis, ob causam rerum eventus significandum: et minime valuimus, imminentibus circumquaque Langobardorum Regis insidiis.

Attamen ecce iam duas Apostolicarum literarum adsertiones Excellentiae vestrae clam per maximam industriam misimus, et ignoramus, si ad vos ipsae pervenerint literae. Unde ambigimus ne a Langobardis comprehendantur. Pro quo et nunc per praenominatos nostros Missos alias vobis literas misimus, quasi obtemperantes praefati desiderii Regis voluntati, ad suos obsides absolvendum, et pacem confirmandum. Sed, bone excellentissime fili et spiritalis compater, ideo istas literas tali modo exaravimus, ut ipsi nostri Missi ad vos in Franciam valerent transire: quoniam si hoc non egissemus, nulla penitus ratione per Langobardorum fines transire valuissent. Sed susceptis ipsis literis, earum

seriem nullo modo perficiatis, neque praefatos obsides permittatis parti Langobardorum restituera. Potius autem coniuramus te, excellentissime fili et spiritalis compater, per Deum vivum et corpus B. Petri, ut fortiter ipsum Desiderium vel eius Langobardorum gentem coustringere iubeas, quatenas praefatas, quas pollicitus est, civitates tuae mellifluae Excellentiae, et per te B. Petro fautori tuo restituat: quoniam nullam, ut praefatum est, de his, quae primitus pollicitus est, cum eo firmam valuimus stubilare convenientiam. Oramus autem omnipotentem Deum ut pio intuitu de throno maiestatis suae super vos vestrumque regnum respiciat, et sua dextera vextram Excellentiam circumtegat, atque in omnibus muniat, et praesentis vitae cursum salubrites exsequi, et regni potentiam gubernare permittat per plures annorum metas, una cum excellentissima et a Deo servata filia et spiritali nostra commatre, atque amantissimis vestris meisque filiis et gaudantis de eorum florigero germina, et permittat omnipotens Deus ut sernea vestrum splendidissimum usque in finem mundi tdem regni furatus culmen: etiam venturo in seculo infinita gaudia cum Sanctis et Electis suis vobis concedat; quatenus sicut in praesenti vita, et in futura beatitudine adepti promissam vobis mercdis coronam, cum Christo regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram, gratia superna custodiat.

Embolum. Pro verae benedictionis causa, direximus vobis apallateam unam spatam, ligatam in gemmis cum balteo suo; annulum unum habentem hyacinthum; storacinum pallium unum habens paones. Quam parvam benedictionem petimus ut, excepta iniuria, suscipere iubeatis. Domiuo Carlo et Carlomanno pro magna Apostolica benedictione annulos singulos habentes byacinthos.

X.

Exemplar Epistolae Hadriani I. Papae ad domnum Carolum Regem

directae, in qua continetur, quod Hildibrandus et Aragis atque Rodgaus, necnon et Regimbaldus Duces consilium inierant, qualiter se in unum conglobarent cum Graecis et Adalgiso terra marique ad dimicandum contra Romam et Italiam: et sub nimiis adiurantionibus postulans adiutorium contra eos [1]).

Domno Excellentissimo filio Carolo Regi Francorum et Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Remi-

[1]) *Cod. Carolin.* LIX. *Bouquet*, Tom. V, p. 548 sq. Geschrieben im Jahre 757.

nisci consideramus a Deo protectem Excellentiam vestram, quod saepius vobis innotuimus de Hiltibrando Spoletino Duce seu Argiso Beneventano Ducc, atque Rodgauso Foroiuliano. de saevissimo consilio quod erga nos atque vos gerere non differunt. Nunc vero dum fidelissimi vestri Missi, re vera sanctissimus frater noster Possessor Episcopus, atque Rabigaudus religiosus Abbas, a Benevento repedantes, per praedictum Hiltibrandum ad nos properant, nimis nos obsecrantes propter nominati Hiltibrandi noxam, ut ei veniam tribueremus: adserentes ut apud eum nostrum indiculum et obsides pro sua dubitatione [mitteremus], et Hildibrandus nostris se praesentant obtulibus. Nos quippe secundum fidelissimorum Missorum vestrorum dictum, illuc usque Spoletum direximus Stephanum nostrum fidelissimum dudum sacellarium: qui cum eum affatus fuisset, et tunc nostros ibidem distinassemus obsides, ipse nempe noster Missus, cum apud eum coniunxisset, in magna eum invenit protervia, eo quod Missos Arigisi Beneventani Ducis, seu et Rodgauos Foroiuliani, necnon et Regnibaldi [1]) Clusinae civitatis Ducum, in Spoleto cum praefato reperit Hiltibrando, adhibentes adversus nos perniciosum consilium, qualiter, Deo eis contrario, proximo Martio mense adveniente, utrosque se in unum conglobarent, cum caterva Graecorum et Athalgiso Desiderii filio, ut terra marique ad dimicandum super nos irruant, cupientes hanc nostram Romanam invadere invadere civitatem, et cunctas Dei Ecclesias denudare, atque ciborium fautoris vestri B. Petri auferre, vel nos met ipsos (quod avertat divinitas) captivos deducere, nec non Langobardorum Regem redintegrare, et vestrae regali Potentiae resistere.

Ob hoc, praecellentissime Rex, et dulcissime fili, peto te, et tanquam praesentialiter adsistens cum divinis mysteriis, coniuro coram Deo vivo et vero, et eius principe Apostdlorum B. Petro, ut sub nimia festinatione et maxima celeritate nobis subvenias ne pereamus: quoniam post Deum in tuis manibus nostras omnium Romanorum commisimus animas. Ne nos derelinquas aut differas solatiandum, ne dicant gentes, quae in cuncto orbe terrarum sunt: *Ubi est fiducia Romanorum, quam post Deum in regem et regnum Francorum habebant?* Et tu de omnibus, a Deo protecte dilectissime fili, ante tribunae Dei eris redditurus rationem; quoniam, ut praefati sumus, tuae dulcisimae Sublimati, per Dei praeceptionem et B. Petri, sanctam Dei Ecclesiam et nostrum Romanorum reipublicae populum commisimus

[1]) *Reginbaldi ?*

protegendum. Et ita ad limina protectoris tui B. Petri Apostolorum principis properare satagite, ut cunctos adversarios sanctae Dei Ecclesiae, atque nostros seu vestros, regulis vestri culminis substernatis vestigiis, et ea, quae eidem Dei Apostolo vestris propriis prae animae vestrae mercede obtulistis manibus, ad effectum perducatis; ut fructum bonum offerens, in futuri examinis die merearis dicere: *Domine meus princeps Apostolorum B. Petri, cursum consummavi, fidem tibi servans, Ecclesiam Dei a superna clementia tibi commendatam de manibus persequentium defendens liberavi, et adsistens immaculatus coram te, offero tibi pueros, quos mihi commisisti de manibus inimicorum eruendos, sospites atque incolumes exsistentes.* Tunc et qui in praesenti vita regni gubernacula tenes, etiam et in futuro seculo cum Christo regnans caelestia praemiorum gaudia adipisci merearis; audiens nimirum paternam desiderabilem vocem illam in quientis: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis praeparatum est ab origine mundi* [1]). Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

XI.

Epistola eiusdem Papae ad domnum Carolum,
in qua continetur de adventu Adalchisi partibus Calabriae, et ut Grimaldum in Benevento Ducem non constituerit: et de civitatibus Beneventanis, et Rosellis, et Populonio [2]).

Domno excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo, Regi Francorum et Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Venientes ad nos fidelissimi Missi vestri, scilicet Roro Capellanus, seu Betto, post vestram optabilem regalem sospitatem adnuntiatam, sciscitati sunt a nobis de nefandissimo Athalgiso, filio Desiderii Tyranni Regis, si ita fuisset quod, Deo sibi contrario, in partibus Italiae venisset. Nos vero nuper, quod de ipso protervo Athalgiso audivimus, per fidelissimum Missum vestrum Arvinum Comitem vobis intimare non omisimus: quia pro vestra regali victoria, Deo auspice, retractantes, nullum neglectum ex omni parte ponimus, vestrae praefulgidae Excellentiae iudicantes, ut Domino opitulante, atque B. Petro Apostolorum principe comitante, praecipua vestra Regalis

---

1) *Matth.* XXV, 34.
2) *Cod. Carolin.* XC. *Bouquet*, V, p. 571 folgd. Geschrieben im Jahre 787.

providentia prudentissime suam nostramque salutem procuret. Sic enim de iam dicto nequissimo Athalgiso nobis nuntiatum est, quia in veritate Deo sibi contrario, cum Missis Imperatoris, in partibus scilicet Calabriae residet, iuxta confinium Ducatus Beneventani, ut de eius invalido adventu Campulus Episcopus civitatis Caietanae per suas nobis significavit syllabas. Similiter et de Pentapoli pro eiusdem Athalgisi arrogantia nobis in scriptis intimaverunt; quatenus ob nimium vestrum amorem infra alios misimus apices, tam Caieta quamque Pentapoli series nobis destinatas. Nempe quidem scimus quia ipse iniquus et perfidus Adalgisus pro nulla alia causa in istis declinavit partibus, nisi tantummodo pro vestra nostraque contrarietate. Unde oportet, ut firmissimas vestras scaras partibus Beneventanis emittere vestra praecelsa regalis Excellentia nitatur, ut undique per vestrum regale adminiculum imperturbati pariter maneamus.

Nos vero haec omnia considerantes, dilectissime nimisque amantissime atque a Deo protecte praerectissime [1]) fili, nobis sic aptum esse videtur, ut sive voluntatem vestram fecerint ipsi Beneventani, non ullo modo expediat Grimualdum filium Arichisi [2]) Beneventum dirigere. Verumtamen sicut vobis ab omnipotente Deo nostro prudentissima sapientia concessa est, ita sagaciter pro huiusmodi re pertractare atque congrue disponere iubeatis, ut ea, quae vobis nobisque expedibilia fuerint, ad perfectum salubriter veniant, ut non in quolibet labore pariter eveniamus: sed si ipsi saepius dicti Beneventani minime vestram regalem adimpleverint voluntatem, sicut vobis polliciti sunt, statim ibidem taliter exercitus emittere studeatis, ut ad profectum sanctae nostrae Ecclesiae, vestraeque regalis perveniat Excellentiae: et sic illis partibus disponatur, ut inimicus locum nocendi non inveniat; sed semper vestra in triumphis exsultet in Domino regalis victoria.

Enimvero una cum fidelissimis Missis vestris pertractantes considerantesque, ut si minime ipsi Beneventani adimplere voluerint regalem vestram voluntatem, ad Kalendas Maias vester robustissimus exercitus in confinio praeparatus super ipsos irruere Beneventanos inveniretur, et demum pariter penetrantes, in his confirmari propter aestivi temporis aegritudinem non audebimus. Et iterum si super eos a Kalendis Maiis usque in Septembrem mensem exercitus non venerint, dubium nobis esse videtur, ut forte, Deo sibi contrario, praedictus nefandissimus

1) *praecelsissime?*
2) *Arighisi?* und so auch ferner, wo im Text der Urkunde *Ariohis* steht.

Adalgisus per insidias Graecorum non aliquam nobis vobisque conturbationem facere moliatur, quia iam dicti Missi Graecorum cum eo esse noscuntur, et alii in Neapoli residere videntur. Sed haec existimantes, in vestro robustissimo atque a Deo protecto regali arbitrio emisimus pertractanda: ut qualiter vobis placuerit, disponere celeriter dignetur, nobis intimando per suos regales affatus suam nostramque securitatis salutem.

Quapropter nimis poscentes, quaesumus vestram praerectissimam [praecelsissimam?] Excellentiam ut nullo modo pro causa Grimualdi filii Arichisi credere plus cuiquam iubeatis quam nobis. Nam pro certo sciatis quia, si ipsum Grimualdum in Beneventum miseritis, Italiam sine conturbatione habere minime potestis, eo quod Leo Episcopus secreta nobis sic fatus est: *Quia Adalberga relicta Arighis tale habet consilium, ut dum ipse Grimualdus filius eius Beneventanos fines introierit, ingeniose cupit duas filias suas secum deferre, et quasi orationis causa sanctum Angelum in Garganum pergere, et deinde in Tarantum, ubi thesauros suos reconditos habet, quia tantum octoginta millia distant a sancto Angelo usque Tarantum.* Sed in hoc minime vestra a Deo promota Excellentia considerare debeat, quod pro nostra aviditate ipsas civitates adquirendi quas B. Petro Apostolo et nobis condonastis, talia vobis insinuare studuimus: sed pro magna securitate sanctae Dei Catholicae et Apostolicae Romanae Ecclesiae, atque vestrae praecelsae regalis Exaltationis victoria, ea quae audivimus et agnoscere potuimus, vestris regalibus auribus insinuare nullo modo neglеximus. Vestra quoque regalis Excellentia qualiter ei placuerit, et aptum prospexerit, in omnibus his disponere provideat. Quapropter magnopere poscentes vestram clementissimam regalem Benevolentiam, quaesumus ut pro amore fautoris vestri B. Petri clavigeri regni caelorum, nostraque in Christo spiritali paterna dilectione, celeriter atque specialiter per vestros regales honorabiles apices Missis vestris dirigere dignemini, ut nullo modo ad vos remeare audeant, nisi prius sub integritate civitates in partibus Beneventanis, sicut eas per vestram sacram oblationem B. Petro Apostolo et nobis contulistis, in omnibus contradere valeant, et iustitias de Populonio et Rosellis [1]) nobis facere sub integritate studeant: quia sunt alii ex Missis vestris, qui contemnere moliuntur et foedare vestram sacram oblationem. Sed sicut in partibus Tusciae civitates, id est Suanam, Tuscanam, Biternum, et Balneum Regis, ceterasque civitates, cum finibus et territoriis eorum, B. Petro offerentes condonastis; ita in

[1]) *Rusellis?* Freilich heisst es jetzt *Ippolito Rosellini.*

eo modo civitates partibus Beneventanis contradere nobis protinus faciatis: ut dum Missi vestri vestros susceperint regales firmissimos affatus, sine qualibet interposita dilatione nobis eas contradere sub integritate valeant; ut nullus sit, qui possit exstinguere vestrum illibatum sacrificium; sed hôc lucri potissimum praemium adquirentes, digne mereamini, una cum spiritali nostra filia domna Regina, vestraque nobilissima sobole, in aethereis sine fine regnare arcibus. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

XII.

Monachi Sangallensis Gesta Karoli

II, 26. Pertz II, p. 759 sq. [1]).

Post mortem victoriosissimi Pippini cum iterato Longobardi Romam iam inquietarent, invictus Karolus, quamvis in cis alpinis partibus nimium occupatus, iter in Italiam haud segniter arripuit, et incruento bello [2]) sive spontanea deditione humiliatos in servitium accepit Langobardos, et firmitatis gratia, ne unquam a regno Francorum discederent, vel terminis Sancti Petri aliquam irrogarent iniuriam filiam Desiderii Longobardorum principis duxit uxorem. Qua non post multum temporis, quia esset clinica et ad propagandam prolem inhabilis, iudicio sanctissimorum sacerdotum relicta velut mortua, iratus pater iuramento sibi provintiales astringens, ipseque in muris Ficinensibus se concludens, invincibili Karolo rebellare disposuit. Quod ille pro certo comperiens, illuc iter acceleravit. Contigit autem ante aliquot annos, quendam de primis principibus, nomine Otkerum [3]), offensam terribilissimi imperatoris incurrere, et ob id ad eundem Desiderium confugium facere. Audito autem adventu metuendi Karoli, ascenderunt in turrim eminentissimam, unde longe lateque prospicere venientem potuissent. Apparentibus vero impedimentis, quae expeditiora Darii vel Iulii fuissent expeditionibus, dixit Desiderius ad Otkerum: *Estne Karolus in tanto exercitu?* At ille respondit: *Non adhuc.* Videns vero exercitum popularium de latissimo imperio congregatum, diffinite pronuntiavit ad Otkerum: *Vere in his copiis Karolus exultat.* Respondit Otkerus: *Sed non*

---

1) Beilage zu Kap. VI.

2) Primum hoc bellum fictitium esse apparet. — *Pertz.*

3) Wahrscheinlich der *Oger* des Sagenkreises. Cfr. *Eckhart*, XXXIV, §. 135, 145. Erwähnt wird er als Begleiter des Desiderius auch im *Chron. Moissiac.* 774, ap. *Pertz* I, p. 295, wo er *Ogerius* heisst.

adhuc, neque adhuc. Tunc aestuare coepit et dicere: *Quid faciemus, si plures cum eo venerint?* Dixit Otkerus: *Videbis, qualis ille veniat; de nobis autem nescio quid fiat.* Et ecce ista sermocinantibus apparuit scola, vacationis semper ignara. Quam videns Desiderius, stupefactus: *Iste est*, inquit, *Karolus.* Et Otkerus: *Non*, infit, *adhuc, neque adhuc.* Post hanc cernuntur episcopi, abbatesque et clerici, capellani cum comitibus suis. Quibus adspectis, haec vix egre iam lucis inimicus mortisque desiderius singultando blateravit [1]): *Descendamus et abscondamur in terra a facie furoris adversarii tam immanis* [2]). Ad quae retulit extimescens Otkerus, rerum et apparatus incomparabilis Karoli quondam expertus, et in meliori tempore assuetissimus: *Quando videris*, inquiens, *segetem campis inhorrescere ferream, Padumque et Ticinum marinis fluctibus ferro nigrantibus muros civitatis inundantes, tunc est spes Karoli venientis.* His necdum finitis, primum ad occasum Circio vel Borea coepit apparere quasi nubes tenebrosa, quae diem clarissimam horrentes [3]) convertit in umbras. Sed propiante paululum imperatore, ex armorum splendore dies omni nocte tenebrosior oborta est inclusis. Tunc visus est ipse ferreus Karolus, ferrea galea cristatus, ferreis manicis armillatus, ferrea thorace ferreum pectus humerosque platonicos tutatus, hasta ferrea in altum subrecta sinistram impletus; nam dextra ad invictum chalybem semper erat extenta; coxarum exteriora, quae propter faciliorem ascensum in aliis solent lorica nudari, in eo ferreis ambiebantur bracteolis. De ocreis quid dicam? Quae et cuncto exercitui solebant ferreae semper esse usui. In clypeo nihil apparuit nisi ferrum. Caballus quoque illius animo et colore ferrum renitebat. Quem habitum cuncti praecedentes, universi ex lateribus ambientes, omnesque sequentes, et totus in commune apparatus iuxta possibilitatem erat imitatus. Ferrum campos et plateas replebat; solis radii reverberabantur acie ferri; frigido ferro honor a frigidiori deferebatur populo; splendidissimum ferrum horror expalluit cloacarum. *O ferrum! heu ferrum!* clamor confusus insonuit civium. Ferro contremuit firmitas murorum, et iuvenum consilium ferro deperiit seniorum. His igitur quae ego balbus et edentulus, non ut debui, circuitu tardire diutius explicare tentavi, venidicus speculator Otkerus celerrimo visu contuitus, dixit

---

1) *Stulte protulit.* — *Pertz.* Sollte es nicht ursprünglich *desiderius Desiderius* geheissen haben? Man kennt, — wir haben selbst im Kommentar Beispiele gegeben — das Haschen der mönchischen Schöngeister nach geistlosen Wortspielen.

2) Cfr. *Horat.* Od. III. 2, 6. — 3) *horrendas?* und kurz zuvor *nigricantibus!*

ad Desiderium: *Ecce habes quem tantopere perquisisti!* Et haec dicens, pene exanimis cecidit [1]). Sed quia ipso die vel propter amentiam, vel propter aliquam spem resistendi cives urbici eum suscipere noluissent, dixit artificiosissimus Karolus ad suos: *Faciamus hodie aliquid memoriale, ne diem istum otiosi transegisse vituperemur! Acceleremus efficere unum oratoriolum, in quo si nobis citius apertum non fuerit, divinis servitiis insistere debeamus!* Et hac emissa voce, alius alio discurrentes, calcem et lapides, alii vero ligna vel pigmenta congregantes, artificibus semper eum comitantibus attulerunt. Qui a quarta diei hora ante duodecimam talem basilicam muris et tectis, laquearibus et picturis, auxiliante tironum manu militumque construxerunt, ut nulli adhuc eam cernenti nisi per annum integrum fieri posse credatur. Postera vero die, quanta facilitate quibusdam civium sibi aperire volentibus, quibusdam licet frustra, rebellare, vel ut verius dicam, se includere volentibus, absque cruoris effusione sola tantum industria civitatem superaverit, ceperit, possederit, illis scribendum relinquo, qui non aliquo amore, sed questus tantum gratia vestram Celsitudinem comitantur.

XIII.

Saxonum status publicus, ordines, leges, religio [2]).

(Translatio S. Alexandri ap. Pertz, II, p. 674—676.)

Saxonum gens, sicut tradit [3]) antiquitas, ab Anglis Britanniae incolis egressa, per Oceanum navigans Germaniae litoribus studio et necessitate quaerendarum sedium appulsa est, in loco qui vocatur Haduloha [4]), eo tempore quo Thiotricus rex Francorum contra Irminfridum generum suum, ducem Thuringorum, dimicans, terram eorum crudeliter ferro vastavit et igni. Et cum iam duobus proeliis ancipiti pugna incertaque victoria miserabili suorum caede decertassent, Theotricus spe vincendi frustratus, misit legatos ad Saxones, quorum dux erat Hadugoto. Audivit enim causam adventus eorum, promissisque pro victoria habitandi sedibus, conduxit eos in adiutorium; quibus secum quasi pro libertate et patria fortiter dimicantibus, superavit adversarios,

---

1) *Cloacarum* codices et editiones omnes; sententia est, ferri splendorem vel horridas cloacas penetrasse et metu implesse. *Pertz.*

2) Zu Kap. VII.

3) More solito traditio res gestas invertit, ita ut Saxones non e Saxonia Britanniam, sed ex Britannia Saxoniam appulisse dicantur. — 4) *Hadeln?*

vastatisque indigenis et ad internitionem pene deletis, terram eorum iuxta pollicitationem suam victoribus delegavit. Qui eam sorte dividentes, cum multi ex eis in bello cecidissent, et pro raritate eorum tota ab eis occupari non potuit, partem illius, et eam quam maxime quae respicit orientem, colonis tradebant, singuli pro sorte sua, sub tributo exercendam. Cetera vero loca ipsi possiderunt. A meridie quidem Francos habentes et partem Thuringorum, quos praecedens hostilis turba non tetigit, et alveo fluminis Unstrotae dirimuntur. A septentrione vero Nordmannos, gentes ferocissimas. Ab ortu autem solis Obodritos, et ab occasu Frisos, a quibus sine intermissione vel foedere vel concertatione necessario finium suorum spacia tuebantur. Erant enim inquieti nimis et finitimorum sedibus infesti, domi vero pacati et civium utilitatibus placida benignitate consulenies. Generis quoque ac nobilitatis suae providissimam curam habentes, nec [1]) facile ullius aliarum gentium vel sibi inferiorum connubiis infecti, propriam et sinceram et tantum sui similem gentem facere conati sunt. Unde habitus quoque ac magnitudo corporum corumque color, tanquam in tanto hominum numero, idem paene omnibus. Quatuor igitur differentiis gens illa consistit, nobilium scilicet et liberorum, libertorum [2]) atque servorum. Et id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis coniugiis propriae sortis terminos transferat, sed nobilis nobilem ducat uxorem, et liber liberam, libertus coniungatur libertae, et servus ancillae. Si vero quispiam horum sibi non congruentem et genere praestantiorem duxerit uxorem, cum vitae suae damno componat.

Legibus etiam ad vindictam malefactorum optimis utebantur. Et multa utilia atque secundum legem naturae honesta in morum probitate habere studuerunt, quae eis ad veram beatitudinem promerendam proficcre potuissent, si ign orantiam creatoris sui non haberent, et a veritate culturae illius non essent alieni. Coluerunt enim eos, qui natura non erant dii: inter quos maxime Mercurium [3]) venerabantur, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare consueverant. Deos suos neque templis includere, neque ullae humani oris speciei adsimilare ex magnitudine et dignitate coelestium arbitrati sunt. Lucos ac nemora consecrantes, deorumque nominibus appellantes, secretum illud sola

---

[1]) *Nec facile* . . . . . *pene omnibus* cfr. Taciti Germaniam c. 4. P.
[2]) I. e. *litorum*. P.
[3]) *Mercurium* . . . . *contemplabantur*. Tacit. c. 9. P.

reverentia contemplabantur. Auspicia [1]) et sortes quam maxime observabant. Sortium consuetudo simplex erat. Virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargebant; mox, si publica consultatio fuit, sacerdos populi, si privata, ipse paterfamilias precatus deos coelumque suspiciens ter singulos tulit, sublatisque secundam inpressam ante notam interpretatus est. Si prohibuerunt, nulla de eadem re ipsa die consultatio, si permissum est, eventuum adhuc fides exigebatur. Avium voces volatusque interrogare, proprium gentis illius erat. Equorum quoque praesagia...... iudicio habere. Quomodo autem [2])...... implicati sunt, observaverint, praetereo.

Haec vero ideo commemoravi, quo prudens lector agnoscat, a quantis errorum tenebris per Dei gratiam et misericordiam sint liberati, quando eas ad cognitionem sui nominis lumine verae fidei perducere dignatus est; qui erant sicut omnes fere Germanium incolentes nationes...... (Es folgen die Worte aus Einhard Cap. 7 *bis*) verius dici possent. Frondosis arboribus fontibusque venerationem exhibebant. Truncum quoque ligni non parvae magnitudinis in altum erectum sub divo colebant, patria eum lingua Irminsul appellantes, quod latina dicitur universalis columna, quasi sustines omnia. Quippe cum post inchoatum ...... (die Worte aus Einhard Cap. 7 bis) unus cum eis populus efficerentur. Posthaec susceptis praedicatoribus veritatis episcopis et presbyteris, imbuti verae fidei sacramentis baptizati sunt in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et crescente fide ac vera religione, adunati sunt populo Dei usque in hodiernum diem. Witukind quoque, qui inter eos et claritate generis et opum amplitudine eminebat, et qui perfidiae atque multimodae defectionis eorum auctor et indefessus erat incentor [3]), ad fidem Karoli sua sponte veniens, Attiniaci baptizatus et a rege de fonte sacro susceptus est, et Saxonia tota subacta.

XIV.

Capitulatio de partibus Saxoniae [4]).

I. Primum de maioribus capitulis hoc placuit omnibus, ut Ecclesiae Christi, quae modo construuntur in Saxonia, et Deo

1) *Auspicia .... iudicio habere.* Taciti c. 10. P. — 2) Tacit. Germ. 11.
3) incensor? inceptor?
4) *Baluze, Capitul.* Tom. I, p. 240 sqq. *Walter, Corp. iur. Germ. ant.*, II, 104 sqq.

sacratae sunt, non minorem habeant honorem, sed maiorem et excellentiorem, quam fana habuissent idolorum.

II. Si quis confugium fecerit in Ecclesiam nullus eum de Ecclesia per violentiam expellere praesumat, sed pacem habeat usque dum ad placitum praesentetur; et propter honorem Dei sanctorumque Ecclesiae ipsius reverentiam, concedatur ei vita et omnia membra. Emendet autem causam in quantum potuerit, et ei fuerit iudicatum; et sic ducatus ad praesentiam Domini Regis; et ipse eum mittat ubi clementiae ipsius placuerit.

III. Si quis Ecclesiam per violentiam intraverit, et in ea per vim vel furtum aliquid abstulerit, vel ipsam Ecclesiam igne cremaverit, morte moriatur.

IV. Si quis sanctum quadragesimale ieiunium pro despectu christianitatis contemserit, et carnem comederit, morte moriatur. Sed tamen consideretur a Sacerdote, ne forte causa necessitatis hoc cuilibet proveniat, ut carnem comedat.

V. Si quis Episcopum at Presbyterum sive Diaconum interfecerit, similiter capite punietur.

VI. Si quis a diabolo deceptus crediderit, secundum morem paganorum, virum aliquem aut feminam strigam esse et homines comedere, et propter hoc ipsam incenderit, vel carnem eius ad comedendum dederit, vel ipsam comederit capitis sententia punietur.

VII. Si quis corpus defuncti hominis secundum ritum paganorum flamma consumi fecerit, et ossa eius ad cinerem redegerit, capite punietur.

VIII. Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, et ad baptismum venire contemserit, paganusque permanere voluerit, morte moriatur.

IX. Si quis hominem diabolo sacrificaverit, et in hostiam more paganorum daemonibus obtulerit, morte moriatur.

X. Si quis cum paganis consilium adversus Christianos inierit, vel cum illis in adversitate Christianorum perdurare voluerit, morte moriatur. Et quicunque hoc idem fraude contra Regem vel gentem Christianorum consenserit, morte moriatur.

XI. Si quis Domino Regi infidelis apparuerit, capitali sententia punietur.

XII. Si quis filiam domini sui rapuerit, morte moriatur.

XIII. Si quis dominum suum vel dominam suam interfecerit, simili modo punietur.

XIV. Si vero pro his mortalibus criminibus latenter commissis aliquis sponte ad Sacerdotem confugerit, et confessione

data agere poenitentiam voluerit, testimonium Sacerdotis de morte excuset.

XV. De minoribus capitulis consenserunt omnes, ad unamquamque Ecclesiam, curtem et duos mansos terrae, pagenses ad Ecclesiam recurrentes condonent, et inter centum viginti homines et ingenuos, similiter et litos, servum et ancillam eidem Ecclesiae tribuant.

XVI. Et hoc Christo propitio placuit, ut undecunque census aliquid ad fiscum pervenerit, sive in frido, sive in qualicunque banno, et in omni retributione ad Regem pertinente, decima pars Ecclesiis et Sacerdotibus reddatur.

XVII. Similiter secundum Dei mandatum praecipimus, ut omnes decimam partem substantiae et laboris sui Ecclesiis et Sacerdotibus donent, tam nobiles quam ingenui, similiter et liti, iuxta quod Deus unicuique dederit Christiano, partem Deo reddant.

XVIII. Ut in dominicis diebus conventus et placita publica non faciant, nisi forte pro magna necessitate, aut hostilitate cogente; sed omnes ad Ecclesiam recurrant ad audiendum verbum Dei, et orationibus vel iustis operibus vacent. Similiter et in festivitatibus praeclaris Deo et Ecclesiae conventui deserviant, et secularia placita dimittant.

XIX. Similiter placuit his decretis inserere, quod omnes infantes infra annum baptizentur. Et hoc statuimus, ut si quis infantem intra circulum anni ad baptismum offerre contemserit, sine consilio vel licentia Sacerdotis, si de nobili genere fuerit, centum viginti solidos fisco componant; si ingenuus, sexaginta; si litus, triginta.

XX. Si quis prohibitum vel illicitum coniugium sibi sortitus fuerit, si nobilis, sexaginta; si ingenuus, triginta; si litus, quindecim.

XXI. Si quis ad fontes aut arbores vel lucos votum fecerit, aut aliquid more gentilium obtulerit, et ad honorem daemonum commederit, si nobilis fuerit, solidos sexaginta; si ingenuus, triginta; si litus, quindecim. Si vero non habuerint unde praesentialiter persolvant, ad Ecclesiae servitium donentur usque dum ipsi solidi solvantur.

XXII. Iubemus ut corpora Christianorum Saxonum ad coemeteria Ecclesiae deferantur, et non ad tumulos paganorum.

XXIII. Divinos et sacrilegos Ecclesiis et Sacerdotibus dare constituimus.

XXIV. De latronibus et malefactoribus, qui de uno comitatu ad alium confugium fecerint, si quis eos receperit in sua pote-

state, et septem noctibus secum detinuerit, nisi ad praesentandum, nostrum bannum solvat. Similiter si Comes eum absconderit, et ad iustitiam faciendam prasentare noluerit, et ad hoc excusare non potest, honorem suum perdat.

XXV. De pignore, ut nullatenus alterum aliquis pignore praesumat. Et qui hoc fecerit, bannum persolvat.

XXVI. Ut nulli hominum contradicere viam ad nos veniendo pro iustitia reclamandi aliquis praesumat. Et si aliquis hoc facere conaverit, nostrum bannum persolvat.

XXVII. Si quis homo fideiussorem invenire non potuerit, res illius in forbanno mittantur usque dum fideiussorem praesentet. Si vero super bannum in domum suam intrare praesumserit, aut solidos decem aut unum bovem pro emendatione ipsius banni componat; et insuper unde debitor exstitit, persolvat. Si vero fideiussor diem statutum non observaverit, tunc ipse tantum damni incurrat, quantum manus sua fideiussoris exstitit. Ille autem qui debitor fideiussori exstitit, duplum restituat pro eo quod fideiussorem in damnum cadere permisit.

XXVIII. De praemiis et muneribus, ut munera super innocentem nullus accipiat. Et si quis hoc facere praesumserit, nostrum bannum solvat. Et si, quod absit, forte Comes hoc fecerit, honorem suum perdat.

XXIX. Ut universi Comites pacem et concordiam ad invicem habere studeant. Et si forte inter eos aliqua discordia aut conturbium ortum fuerit, ut nostrum solatium vel perfectum pro hoc non demittant.

XXX. Si quis comitem interfecerit, vel de eius morte consilium dederit, hereditas illius ad partem Regis eveniat, et in ius eius redigatur.

XXXI. Dedimus potestatem Comitibus bannum mittere infra suo ministerio de faida vel maioribus causis in solidis sexaginta. De minoribus vero causis Comitis bannum in solidis duodecim constituimus.

XXXII. Si cuilibet homini sacramentum debet aliquis, aframeat illum ad Ecclesiam sacramento ad diem statutum. Et si iurare contemserit, fidem faciat, et solidos quindecim componat qui inactivus apparuit, et deinceps causam pleniter emendare faciat.

XXXIII. De periuris, secundum legem Saxonum sit [1]).

[1]) Qui sciens periuraverit, capite punietur. Tit. II. Cap. VIII. ap. *Walter* I, p. 385. Qui nesciens periuraverit, manum suam redimat auctor sacramenti. Ibid. cap. IX. (*auctor sacr.* = *a. periurii nescientis*. Den Nichtwissenden = Unschuldigen kann die Strafe selbst nicht treffen. Statt *qui* muss es dann *si quis* heissen. Einen ganz anderen Sinn würde es geben, wenn man *auctori* läse).

XXXIV. Interdiximus, ut omnes Saxones generaliter conventus publicos nec faciant, nisi forte missus noster de verbo nostro eos congregare fecerit. Sed unusquisque comes in suo ministerio placita et iustitias faciat. Et hoc a sacerdotibus consideretur, ne aliter faciat.

XV.

Capitulare Saxonum,

Datum Aquis grani anno Christi DCCXCVII, V. Kalend. Novembris, in generali Episcoporum et Optimatum conventu [1]).

Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCXCVII et XXX, anno XXII regnante Domno Karolo praecellentissimo Rege, convenientibus in unum Aquis Palatio in eius obsequio venerabilibus Episcopis et Abbatibus, seu illustribus viris Comitibus, V. Kalendas Novembris, simulque congregatis Saxonibus de diversis pagis, tam de Vestfalahis et Angrariis, quam et de Oostfalahis, omnes unanimiter consenserunt et aptificaverunt, ut de illis Capitulis pro quibus Franci, si Regis bannum transgressi sunt, solidos sexaginta componunt, similiter Saxones solvent, si alicubi contra ipsos bannos fecerint.

I. Ut Ecclesiae, viduae, orphani, et minus potentes iustam et quietam pacem habeant. Et ut raptum et fortiam nec incendium infra patriam quis facere audeat praesumtive. Et de exercitu nullus super bannum Domni Regis remanere praesumat.

II. Si quis supradicta octo capitula transgressus fuerit, omnes statuerunt et aptificaverunt ut Saxones similiter sicut et Franci sexaginta solidos componant.

II. Item placuit omnibus Saxonibus, ut ubicunque Franci secundum legem solidos duodecim solvere debent, ibi nobiliores Saxones solidos duodecim, ingenui quinque, liti quatuor componant.

IV. Hoc etiam statuerunt, ut qualiscunque causa infra patriam cum propriis vicinantibus pacificata fuerit, ibi solito more ipsi pagenses solidos duodecim pro districtione recipiant, et pro vuargilda, quae iuxta consuetudinem eorum solebant facere, hoc concessum habeant. Si autem in praesentia Missorum regalium causae definitae fuerint, pro iamdicta vuargilda suprascriptos solidos duodecim ipsi pagenses habeant concesssos. Et pro hoc

---

1) *Baluze*, *Capit.*, I, 275. *Walter*, II, p. 126.

quia Missus regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios duodecim solidos inde recipiat ad partem Regis. Si autem ipsa causa ad palatium in praesentia Regis ad definiendum fuerit perducta, tunc utrique solidi duodecim, id est pro vuargilda, et quod vicinis decuit componere, eo quod infra patriam definita ratio non fuerit, ad partem Regis faciant componere, quod sint solidi viginti quatuor. Nam si fuerit aliquis qui in patria, iuxta quod sui convicini iudicaverint, seque pacificare noluerit, et ad palatium pro huius rei causa venerit, et ibi ei fuerit iudicatum quod iustum iudicium iudicassent, in prima vice, ut supra dictum est, solidos viginti quatuor ad partem Regis componat. Et si tunc inde rediens se pacificare et iustitiam facere renuerit, et iterum pro ista causa ad palatium fuerit convocatus et deiudicatus, bis viginti quatuor solidos componat. Si vero necdum correptus tertia vice pro eadem re ad palatium remeaverit, triplam compositionem exinde faciat ad partem Regis.

V. Si quis de nobilioribus ad placitum mannitus venire contemserit, solidos quatuor componat, ingenui duos, liti unum.

VI. De Presbyteris statuerunt, quod si aliquid eis aut eorum hominibus quis contrarium facere aut tollere praesumserit contra iustitiam, omnia in duplum restituat eis et componat.

VII. De Missis Regis statuerunt, ut si ab eis aliquis interfectus evenerit, in triplum eum componere debeat qui hoc facere praesumserit. Similiter quicquid aut eorum hominibus factum fuerit, omnia tripliciter faciant restaurare et secundum eorum euva componere.

VIII. De incendio convenit, quod nullus infra patriam praesumat facere propter iram aut inimicitiam, aut qualibet malevola cupiditate; excepto si talis fuerit rebellis qui iustitiam facere noluerit, et aliter districtus esse non poterit, et ad nos, ut in praesentia nostra iustitiam reddat, venire despexerit, condicto commune placito simul ipsi pagenses veniant; et si unanimiter consenserint pro districtione illius casa incendatur, tunc de ipso placito commune consilio facto secundum eorum euva fiat peractum, et non pro qualibet iracundia aut malevola intentione, nisi pro districtione nostra. Si aliter facere ausus fuerit, sicut superius dictum est, solidos sexaginta componat.

IX. Item placuit, ut quantoquidem voluerit Domnus Rex propter pacem, et propter faidam et propter maiores causas, bannum fortiorem statuere, una cum consensu Francorum et fidelium Saxonum, secundum quod ei placuerit, iuxta quod causa exigit et opportunitas fuerit, solidos sexaginta multiplicare in

duplum, et solidos centum sive usque ad mille componere faciat qui eius mandatum transgressus fuerit.

X. De malefactoribus, qui vitae periculum secundum euva Saxonum incurrere debent, placuit omnibus, ut qualiscunque ex ipsis ad regiam potestatem confugium fecerit, aut in illius sit potestate utrum interficiendum illis reddat, aut una cum consensu eorum habeat licentiam ipsum malefactorem cum uxore et familia, et omnia sua foris patriam infra sua regna aut in marca, ubi sua fuerit voluntas, collocare, et habeant ipsum quasi mortuum.

XI. Illud notandum est, quales debent solidi esse Saxonum, id est, bovem annoticum utriusque sexus auctumnali tempore, sic ut in stabulum mittitur, pro uno solido [1]). Similiter et vernum tempus, quando de stabulo exiit et deinceps, quantum aetatem auxerit, tam diu in pretio crescat. De annona vero bortrinis pro solido uno scapilos quadraginta donant, et de sigale viginti. Septentrionales autem pro solido scapilos triginta dent, et sigale quindecim. Mel vero pro solido bortrensi siglae una et medio donant. Septentrionales autem duos siclos de mille pro uno solido donent. Item hordeum mundum sicut et sigale pro uno solido donent. In argento duodecim denarios solidum faciant. Et in aliis speciebus ad istud pretium omnes aestimationes compositionis sunt.

XVI.

Indiculus Superstitionum et Paganiarum [2]).

I. De sacrilegio ad sepulcra mortuorum.

Pro meliori paganiarum intelligentia paucas subiicere iuvat adnotationes:

I. *De sacrilegio ad sepulcra mortuorum.* Funera erant magnifica et sumtuosa; omnique quae vivis cordi fuisse arbitrabantur vicini superstites, in ignem intulerunt etiam animalia cum defuncti cadavere, subin etiam servos et clientes una concremarunt. Carolus M. in Capitul ordinavit,

> si quis corpus defuncti hominis secundum ritum paganorum flamma consumi fecerit et ossa eius ad cinerem redegerit, capite punietur [3]).

---

[1]) Vergl. *Lex. Saxon.* Tit. XIX. p. 389 sq.

[2]) S. den Kommentar zu Kap. VII. — [3]) S. oben, S. 40, an. VII.

II. De sacrilegio super defunctos, id est, Dadsisas.
III. De spurcalibus [supercalibus?] in Februario.

II. *De sacrilegio super defunctos, id est, Dadsidas.* Dapes et epulae funebres instituebantur non sine luxu. Parentalia vocabantur, quod ea a filiis in parentum paganorum honorem fierent. Ut est apud Hieronymum in Jeremiam.

Gaudentius Episcopus Brixinensis memorat: Gulae suae causa primum coeperunt homines prandia mortuis praeparare, quae ipsi comederent, etc.

Carolus M. in Capitularibus superstitiosum hunc ritum prohibuit: Admoneantur, ait, fideles, ut ad suos mortuos non agant ea, quae de paganorum ritu remanserunt...... et super eorum tumulos nec manducare nec bibere praesumant.

III. *De spurcalibus in Februario.* Spurcissima Bacchi festa sub hacce pagania intelligo. Cum illa Bonifacius prohibuisset, gens pagana respondit, ut in epist. CXXXII ad Zachariam Papam relatum est, nempe:

Carnales homines, idiotae Alemanni .... vel Franci, si iuxta Romanam urbem aliquid facere viderint ex his peccatis, quae nos prohibemus, licitum et concessum a sacerdotibus esse putant et nobis improperium deputant, sibi scandalum vitae accipiunt, sicut affirmant, se vidisse annis singulis in Romana urbe ex iuxta ecclesiam sancti Petri in die vel nocte, quando Kal. Januarias intrant, paganorum consuetudine choros ducere per plateas et acclamationes ritu gentilium et cantationes sacrilegas celebrare; et mensas illa die vel nocte dapibus onerare, et nullum de domo sua vel ignem vel ferramentum vel aliquid commodi vicino suo praestare velle. Dicunt quoque, se vidisse ibi mulieres pagano ritu phylacteria et ligaturas et in brachits et in cruribus ligatas habere et publice ad vendendum venales ad comparandum aliis offere, quae omnia eo quod ibi a carnalibus et insipientibus videntur, nobis hic et improperium et impedimentum praedicationis et doctrinae perficiunt..... istas paganias ibi paternitas vestra in Romana urbe si prohibuerit, et sibi mercedem et nobis maximum profectum in doctrina ecclesiastica acquiret......

Ad haec pontifex in responsoriis ip. CXLII:

De Calendis Januariis vel caeteris auguriis, phylacteriis et incantationibus vel aliis diversis observationibus, quae gentili more observari dixisti apud B. Petrum vel in urbe Roma, hoc et nobis et omnibus Christianis detestabile et perniciosum esse

IV. De casulis, id est, fanis.
V. De sacrilegiis per ecclesias.

---

iudihamus dicente Domino, non augurubimini, vel certe non observabilis somnia; et iterum scriptura dicit: Non sint auguria in Israel, nec observatio in domo Jacob. Ita et a nobis cavendum esse censemus, ut nullis auguriis vel observationibus attendamus; quia omnia haec abscissa esse a patribus sumus edocti, et quia per instigationem diaboli iterum pullulabant, a die qua nos iussit Divina Clementia, quanquam immeriti existemus, apostoli vicem genere, illico omnia haec amputavimus. Pari etenim modo volumus tuam sanctitatem populis sibi subiectis praedicare, ad viam aeternae perducere vitae. Nam et sanctae recordationis praedecessoris atque nutritoris nostri Gregorii Papae constitutione omnia haec pie atque fideliter amputata sunt et alia diversa quam plura, quae diabolo suggerente pullulabant in Christi ovili, cuius instar pro illius populi salute dirigere maturavimus.

IV. *De casulis, id est, fanis.* Casulae, parvae delubra Diis consecrata, non ex lapidibus sed ex ligno, levi opera et paucis sumtibus confecta.

S. Ambrosius, ep. 29: Quid est enim nisi fanum, in quo est conventus gentilium. Commodianus instr. 24. exis inde foris, iterum tua fana requiris. Carolus M. in Capitular. Primum de maioribus capitulis hoc placuit omnibus, ut ecclesiae Christi, quae modo construuntur in Saxonia et Deo separatae sunt, non minorem habeant honorem, sed maiorem et excellentiorem, quam fana habuissent idolorum.

V. *De Sacrilegiis per Ecclesias.*

Carolus M. in Capitular. 2. Si quis ecclesiam per violentiam contraverit et in ea per vim vel furtum aliquid abstulerit vel ipsam ecclesiam igne cremaverit, morte moriatur.

De feris ac barbaris moribus et crudelitate veterum Germanorum et Saxonum Einhardus in vita Caroli Magni:

Saxones, inquit, sicuti omnes fere Germaniam incolentes nationes et natura feroces et cultui daemonum dediti nostraeque religioni contrarii neque divina neque humana iura vel polluere vel transgredi in honestum arbitrabantur.

Talis igitur ferocia et crudelitas capitali poena reprimenda et coercenda erat.

VI. De sacris silvarum, quae Nimidas vocant.
VII. De his, quae faciunt super petras.
VIII. De sacris Mercurii vel Iovis.

VI. *De sacris silvarum, quae Nimidas vocant.* Tacitus de mor. Germ. ait:

lucos ac nemora consecrant ac Deorum nominibus adpellant secretum illud, quod sola reverentia vident. Nimidae quasi Nympharum sacra.

Ritus paganici, quos silvis et arboribus in suis lucis exhibebant, erant nefandi et immanes, cum subin cum animalibus homines ibidem immolassent. Scimus a S. Bonifacio Iovis arborem in Hassia excisam etc. Confer:

Inscriptiones lapidares de Nymphis triput. de Augusta Diana etc. apud Hanselmann, Beweis, wie weit der Römer Macht etc. Tom. I, p. 73 et 225. Tom. II, p. 77 et 244.

Carolus M. Capitul. 20:

Si quis ad fontes aut arbores vel lucos votum fecerit, aut aliquid more gentilium obtulerit et ad honorem daemonum comederit, si nobilis fuerit solidos LX, si ingenuus XXX, si litus XV. Si vero non habuerit, unde praesentialiter persolvant, ad ecclesiae servitium donentur, usque dum ipsi solidi solvuntur.

VII. *De his, quae faciunt super petras.* Ad petras vota reddere, superstitionis paganicae species erat. S. Eligius apud S. Audoenum in eius vita lib. II, c. 15:

Nullus Christianus ad fana vel ad petras vel ad fontes vel ad arbores .... vota reddere praesumat.

Concilium Nannetense, c. 20:

Lapides quoque, quos in ruinosis locis et silvestribus, daemonum ludificationibus decepti venerantur, ubi et vota vovent et deferunt, funditus effodiantur, etc.

Adde Concilium Arelatense II, 23. Turonense II, 22. Aquisgranense anni 789, c. 63.

VIII. *De sacris Mercurii vel Iovis.* Tacitus in libro de Germania:

Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent; et caeso publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia.

Quae de superstitione Mercuriali erudite disseruit Cl. Lameyus vid. in *Actis Academiae Theodoro-Palatinae*, Tom. I, p. 205 sq. Aras Iovi Optimo Maximo dicatas reperire est in Germania quam plurimas.

IX. De sacrificio, quod fit alicui sanctorum.
X. De phylacteriis et ligaturis.

IX. *De sacrificio, quod fit alicui sanctorum.* Sub Carlomanno ordinatum fuit:

Episcopus in sua parochia solitudinem habeat, ut populus Dei paganis non faciat vel hostias immolatitias, quas stulti homines ritu paganico faciunt sub nomine sanctorum martyrum vel confessorum, Deum et Sanctos ad iracundiam provocantes.

Recte igitur S. Augustinus libro VIII. de civitate Dei, c. XXVII:

Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus; quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio falsis religionibus fictisque convictis. Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum dicere in precibus: offero tibi sacrificium Petre vel Paule vel Cypriane. Cum apud eorum memorias offeratur Deo qui eos et homines et martyres fecit et sanctis suis angelis coelesti honore sociavit; ut ea celebritate et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium ex eorum memoriae renovatione adhortemur. Quaecunque igitur adhibentur religiosorum obsequia, in martyrum locis ornamenta sunt memoriarum non sacra vel sacrificia mortuorum tamquam Deorum. Quicunque etiam epulas suas eo deferunt, quod quidem a Christianis melioribus non fit, et in plerisque terrarum locis nulla talis est consuetudo; tamen quicunque id faciunt, quas cum adposuerint, orant et auferunt ut vescantur vel ex iis etiam indigentibus largiantur.

X. *De phylacteriis et ligaturis.* Veteres phylacteria appellabant amuleta ad arcendos vel pellendos morbos. Haec ut adinventiones diabolicas semper proscripsit Ecclesia. In Concilio Ratisbonensi anni 742.:

Populus Dei paganias non faciat, sed omnes spurcitias gentilitatis abiiciat seu sacrificia mortuorum, seu sortilegos seu divinos, seu phylacteria et auguria sive incantationes.

Capitular. lib. VI, c. 72:

Ut a clericis vel laicis phylacteria vel falsae inscriptiones aut ligaturae, quae imprudentes pro febribus et aliis pestibus adiu-

vare putant, nullo modo fiant, quae magicae artis insignia sunt. In Decreto Gratiani, Caus. V, Quaest. 26:

Si quis ariolos, aruspices et incantatores observaverit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit.

Ubi glossa:

Phylacteria dicuntur hic chartae, in quibus continentur incantationes.

Ligaturae etiam superstitiose adhibebantur pro morbis abigendis, subin certi characteres aliaque signa ad collum gestabantur aut circa alias corporis partes alligabantur. Isidorus lib. 8, cap. 9:

Ad haec omnia pertinent ligaturae execrabilium remediorum, quae ars medicorum condemnat sive in praecantationibus sive in characteribus vel in quibuscunque rebus suspendendis atque ligandis, in quibus omnibus ars daemonum est ex quadam pestifera societate hominum et angelorum malorum exorta. Unde cuncta vitanda sunt a Christianis et omni penitus execratione repudianda atque damnanda.

S. Audoënus, libr. II. vitae S. Eligii, c. 15:

Nullus ad colla vel hominis vel cuiuslibet animalis ligamina dependere praesumat, etiamsi a clericis fiant, etsi dicatur, quod res sancta sit et lectiones divinas contineat, quia non est in eis remedium Christi, sed venenum diaboli.

Gregorius Turonensis, lib. 2. de mirac. c. 45:

Incantationes immurmurat, sortes iactat, ligaturas collo suspendit.

Idem lib. 4. de mirac. S. Martini, c. 36:

Quae adveniens ad aegrotam eamque visitans amotisque ligaminibus, quae stulti vendiderant, oleum beati sepulcri ori eius infudit.

S. Bonifacius in ep. ad Zacharium P.:

Dicunt quoque se vidisse ibi mulieres pagano ritu phylacteria et ligaturas et in brachiis et cruribus ligatas habere etc. [*Vergl. auch* Arpe, de prodigiosis naturae et artis operibus, Talismanis et Amuleta dictis, liber singularis. Hamb. 1717, 8. *und* Kopp, de difficultate interpretandi etc. Manhem. 1827, 4. Vol 2.]

XI. *De fontibus sacrificiorum.* Fontium adoratio et sacrificia eisdem exhibita interdicta passim leguntur in Concilio Antisidorensi, c. 3. Nannetensi c. 23. Arelatensi II. cap. 23. Toletano XII. c. 11. Adde Cluverium lib. I. *German. antiquit.* c. 34. et supra allatum Capitulare Caroli M. Adamus Bremensis in vetustis scholiis ait:

XII. De incantationibus.
XIII. De auguriis, vel avium, vel equorum, vel ex boum stercoribus, vel sternutationibus.

Prope illud templum est arbor maxima late ramos extendens aestate et hieme semper viridis. Cuius illa generis sit, nemo scit. Ibi etiam est fons, ubi sacrificia paganorum solent exerceri et homo vivus immergi. Qui dum immergitur, ratum erit votum populi.

XII. *De incantationibus.* Praestigiis magicis illusio. Speculum Saxonicum, lib. II. art. 13, §. 6.

Si quis Christianus ..... apostataverit vel venenum alicui ministraverit aut incantaverit, etc.

Vita S. Praeiecti:

Cum nullatenus a medicis vel incantatoribus medelam consequi valuisset.

Fredegar. Epitome, c. 9:

Mummolum factione Fredegundae, cui reputabant filium suum per incantationem interfecisse, iussit rex suggillare.

Tom. III. Concil. Hispanic. p. 7:

De eo, quod non liceat sacerdotibus vel clericis incantaturas vel etiam contrarias ligaturas facere.

XIII. *De auguriis, vel avium, vel equorum, vel ex boum stercore, vel sternutationibus.* Tacitus de Auguriis Germanorum ait, quod auspicia sortesque, ut qui maxime observent.

Idem memorat:

Avium voces, volatusque interrogare proprium gentis, equorum quoque praesagia ac monitus experiri.

Procopius lib. IV. belli Gothici de Hermegisclo Varnorum in Westphalia rege agens:

Forte, *inquit*, Hermegisclus cum Varnorum principibus per agros equitans avem vidit, eamque sonore crocitantem, sive autem intellexit volucris sonum, sive aliunde edoctus, ominis istius finxit intellectum, omnibus qui aderant, palam edixit, post dies quadraginta vitae sibi instare exitum, id sibi avem praedicere.

Restat hodienum superstitiosa apud nonnullos opinio, quod ipsorum instans vitae exitus portendatur, si bubonem clamantem prope aedes audiant. De auguriis equorum Tacitus:

Proprium genti equorum quoque praesagia ac monitus experiri. Publice aluntur iisdem in nemoribus ac lucis, candidi ac nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio maior fides, non solum apud ple-

XIV. De divinis et sortilegis.
XV. De ligno fricato de ligno, id est *Nodfyr.*

---

bem, sed apud proceres, apud sacerdotes; se enim ministros Deorum, illos conscios putant.

Germani non minus ex recenti boum stercore augurabantur fausta successura, ex vetere vero infausta, ut ex adagio superstite colligimus. Augurii ex sternutatione vestigium adparet ex formulis, queis sternutanti adclamamus, unde vulgo inferunt: ergo res vera est, ergo res bene succedet. [*Er hat es beniesst.*]

XIV. *De divinis et sortilegis.* Divini vocantur, qui divinitate plenos se simulant et astutia quadam fraudulenta hominibus imponunt futura coniectando. Gregorius III. Papa in *iudiciis poenitentialibus*, cap. 16:

Harioli sunt, qui circa aras idolorum sacrificant .... si quis auguria, auspicia, divinationes vel qui votum voverit praeter ecclesiam, vel qui divinationes faciunt in incantationibus suis, quod omnino diabolicum est, tres annos poeniteat.

De sortilegis Concilium Antisidorense anni 568, cap. 3:

Non licet ad sortilegos vel ad auspicia respicere, nec ad sortes quas sanctorum vocant, vel quas de ligno aut de pane faciunt adspicere.

Sortes sanctorum vocantur: inspectio evangelii aut alterius libri sacri: cum nimirum aperto libro quicquid primum oculis occurrerit, pro sorte vel oraculi loco habebatur. Hinc Capitulare Caroli M. c. 22: *divinos et sortilegos ecclesiis et sacerdotibus dari constituimus*, scilicet puniendos et emendandos. [Cfr. *Strauss*, *Leben Jesu*, edit. 3., II, 3, 57, p. 513.]

XV. *De ligno fricato de ligno*, *id est Nodfyr.* Plinius hist. natur. XVI, 40 memorat:

Teritur lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi vel foliorum facillime conceptum.

Nodfyr igitur bene derivatum a *Nöthen*, cogere et *fyr*, *feuer*, ignes ex ligno coacti. Ut autem pleraeque consuetudines vetustae in superstitionem abiere, sic et ignis fricatione excitatus sacer et malis averruncandis utilis esse creditus est, olimque adhibitus lustrationi et victimis comburendis, ad ignes paschales in honorem *Deae Eostrae* nec non ad *ignes a S. Johanne dictos*, forte olim Iovi proprios accendi solitos. Hos ignes in Germaniae locis quam pluribus adhuc usitatos qui pertranseunt aut per fumum eorum currunt sive homines sive animalia, anno integro a febri aliisque morbis liberi putantur.

XVI. De cerebro animalium.
XVII. De observatione pagana, vel in inchoatione rei alicuius.
XVIII. De incertis locis, quae colunt pro sanctis.
XIX. De petendo, quod boni vocant sanctae Mariae.

XVI. *De cerebro animalium.* Divinationes ex cerebro animalium sive haruspicia et exstispicia in more fuisse, sat superque liquet; capita autem animalium immolatorum Diis specialiter oblata, ut partes animalium praecipuos, haud pauca in cerebro mysteria continere autumabant veteres, unde fortassis per cerebri inspectionem Deos consulere, futuraque ex eo indagarunt.

XVII. *De observatione pagana, vel in inchoatione rei alicuius.* Ex ascensu fumi ad aethera recto aut eius a vento depressione aut disiectione varia deducebantur omina. Pictores Abeli et Caini sacrificia exprimere volentes, flammam in ara Abelis lucidam et fumum recta ad caelum adscendentem pingunt, Caini vero arae ignem et fumum a vento disturbatum et depressum. Certis diebus cum aut inchoatur luna aut impletur, agendis rebus auspicatissimum initium Germani crediderunt teste Tacito. Lunae observationes adhuc agricolis et hortulanis firmius insidere quis ignorat? Has fruges, haec olera crescente aut decrescente luna seri aut transplatari debere, alias non proficere ex pagana superstitione credunt et iurant.

XVIII. *De incertis locis, quae colunt pro sanctis.* Vulgus loca incerta vocat *Unsteten,* de quibus nempe, ubi sint, nescitur. Cum quis huc illucque ambulans subitaneo correptus fuisset morbo vel eidem membrum corporis doluisset, rationis ignari dicunt: *er sei über eine Unstete gegangen*, sive eum calcasse locum, qui, ubi sit nesciatur, et quia is sanctus sit, genius loci illum puniisse somniatur tamquam sui violatorem et contemtorem.

XIX. *De petendo, quod boni vocant sanctae Mariae.* Meinders in Thesauro antiquitatum Francicarum et Saxonicarum asserit, quod cultus et invocatio divae Mariae virginis et sanctorum atque imaginum hic a Carolo M. fuerit prohibitus. Veritati magis accedit coniectura Eccardi Rer. Franc. Orient. lib. XXIII, ubi ait:

> *Petendo* corrupte pro *Petenstro* sive Serpillo aut Galio herba positum esse. Herbae istae ad abigendos forte serpentes et venerata animalia conciliandumque amorem superstitiose colligi, adhiberi, in collo gestari atque ad lectum praecipue suspendi aut stramento misceri potuerunt.

Legi merentur, quae l. l., p. 426 pro hac opinione stabilienda prolixius attulit Eccardus.

XX. De feriis, quae faciunt Iovi vel Mercurio.
XXI. De lunae defectione, quod dicunt vinceluna.

XX. *De feriis, quae faciunt Iovi vel Mercurio. Thor* Iovis nomen erat Germanicum, unde dies Jovis dicitur septentrionalibus *Thorstag*, nobis inserto *n Donrstag*. Adamus Bremensis de Sueonibus scribit:

Nobilissimum illa gens templum habet, quod Ubsola dicitur, non longe a Sictona civitate vel Bircka. In hoc templo, quod totum auro paratum est, statuas trium Deorum veneratur populus, ita ut potentissimus eorum Thor in medio solum habeat triclinium; hinc et inde locum possident Wodan et Fricco, quorum significationes eiusmodi sunt: Thor inquiunt, praesidet in aëre, qui tonitrus et fulmina, ventos imbresque, serena et fruges gubernat.

Porro inquit:

Thor cum sceptro Iovem videtur exprimere ...... si pestis et fames imminet, Thor idolo immolant.

Idem Adamus Bremensis ait:

Deorum alter Wodan, id est fortior, bella regit, hominumque ministrat virtutem contra inimicos, *addit*, si bellum immineat, eos Wodano immolare.

Paulus Diaconus libr. I. de gestis Langobardorum c. 9 refert:

Wodan, quem adiecta litera Godan dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur et ab universis Germaniae gentibus ut Deus adoratur.

Huic dies hebdomadis sacra fuit, quam appellarunt Belgae et populi septentrionales *Woensdag*, *Wodansdag*. Germani autem una cum eius cultu et nomen eius aboleverunt et diem Mercurii *Mittwochen* sive medium hebdomadis diem nominaverunt.

XXI. *De lunae defectione, quod dicunt vinceluna.* Persuasum fuit multis etiam Germaniae populis, lunam, cum defecerit, id est, interposita terrae umbra inter solem et lunam obscurata fuerit, a maleficis et sagis carmine quodam magico laedi et animae quasi deliquium pati. Lunae sic patienti acclamabant: *Vince Luna*, tamquam si a sole impugnaretur. Unde apud Iuvenalem:

— — — Iam nemo tubas, nemo aera fatiget;
Una laboranti poterit succurrere luna.

Gregorius III. Papa in *Poenitent.* cap. 23 et Beda in libro de remed. peccatorum cap. 21:

Quando luna obscuratur, vel clamoribus suis vel maleficiis sacrilego usu se defensare posse confidunt.

Et Poenitentiale Thuanum:

Si observasti traditiones paganorum, quas quasi hereditario iure, diabolo subministrante, usque in hos dies patres filiis reliquerunt, id est, ut elementa, colores [1]), lunam, solem aut stellarum cursum, novam lunam aut defectum lunae, ut tuis clamoribus aut auxilio, splendorem eius restaurare valeres. [S. *Rühs*, Ausführl. Erläut., S. 300 folgd.]

XXII. *De tempestatibus, et corneis et cochleis.* Contra tempestarios in Lege Wisigothorum lib. VI, Tit. II, leg. 2. sic pronuntiatur:

Malefici et immissores tempestatum, qui quibusdam incantationibus grandinem in vineas messesque mittere perhibentur, et hi, qui per invocationem daemonum mentes hominum conturbant, seu qui nocturna sacrificia daemonibus celebrant, eosque per invocationes nefarias nequiter invocant: ubicunque a iudice vel actore vel procuratore loci reperti fuerint vel detecti, ducentis flagellis publice verberentur et decalvati deformiter decem convicinas possessiones circumire cogantur inviti, ut eorum alii corrigantur exemplis.

Ludovicus Imper. Capitul. Addit. II. Tit. 18. eorum, qui tempestates et tonitrua et grandines in sua potestate habere stulta imaginatione opinabantur, meminit his verbis:

Ferunt enim suis maleficiis aëra posse conturbare et grandines immittere, futura praedicere et lac auferre aliisque dare et innumera a talibus fieri dicuntur.

Et Seneca lib. IV. quaest. natural.

Rudis, inquit, adhuc antiquitas credebat et attrahi imbres cantibus et repelli. [*S. auch des Erzbischofs Agobard von Lyon Buch de grandine in dessen Opp. ed. Baluze*, Paris. 1666, 8. Vol. II. *ed. Masson*, Par. 1605, 8.].

Quare inter superstitiones de cornibus agatur, inde venit, quod cornua poculorum vice fuerint. Caesar, de bello Gall. lib. VI., describit Urorum species et addit:

Amplitudo cornuum et figura et species multum a nostrorum boum cornibus differt. Haec studiose conquisita a labris argento circumcludunt, atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur.

Vinum praestantius in cornibus propinatum fuisse docet Charta Arnoldi Praepositi B. M. V. ad Gradus Moguntiae de anno MCCXXII, ubi inter alia ordinatur:

Item a principio adventus Domini usque ad diem Innocentum

[1]) caloris?

XXIII. De sulcis circa villas.
XXIV. De pagano cursu, quem *Yrias* nominant, scissis pannis vel calceis.

---

vinum, quod cornua nuncupatur, propinetur sive distribuatur. Vide *Joannis* Script. Rer. Mogunt. Tom. II, p. 668.

In festis Deorum gentilium olim e cornibus sacratis potabatur, Diisque libabatur. Maiores nostri ad fidem Christianam conversi non statim poterant a consuetis compotationibus abstinere, unde in Dei, sanctorum eius, regum et magnorum virorum honorem cornua et scyphos evacuabant. Cum igitur hic superstitio de cornibus notatur, intelliguntur cornua idolis consecrata et in eorum honorem exhausta. [*S. Lehrbuch der nord. Alterthumskunde. Kopenhag.* 1837, 8. p. 54 f.] Cochleae referuntur ad usus superstitiosos, vasa scilicet vel cochlearia et paterae daemonibus consecrata in sacrificiis ethnicis ad iuscula victimarum in aheno sacro coctarum inde degustanda. Malefici etiam cochleas vel crateres daemoni consecratos habebant, in quibus magicis artibus confectum potum aliis praebebant, qui eos aut amore vel odio incensos redderent.

XXIII. *De sulcis circa villas.* Quod Germani non habuerint contigua et cohaerentia aedificia, sed domos hinc inde dispersas cum adiacentibus agris, pratis et dumetis etc. circa has villas sulcos ducebant, ex superstitiosis quibusdam ritibus et caerimoniis ad arcendum ignem, hostem, omnesque alias adversitates. Lucretius libr. I. de rerum natura memorat hunc superstitiosum circa urbem sulcos ducendi morem:

> Mox iubet et totam placidis a civibus urbem
> Ambiri, et festo purgentes moenia lustro
> Longa per extremos pomoeria cingere fines.

XXIV. *De pagano cursu, quem Yrias nominant, scissis pannis vel calceis.* Eccardus supra laudatus restituit vocem *Yrias* in *Syrias*, quod idem sit ac *Scy*, *Scu*, *rias*, *riss* calceis scissis. Cursus iste paganus scissis calceis erat solemnis in Calendis Ianuariis; nam sanctus Bonifacius cum illum in Nova Francia abrogare vellet, affirmarant Francones recens ad fidem Christianam conversi:

> Se vidisse annis singulis in Romana urbe et iuxta ecclesiam S. Petri in die vel nocte, quando Calendae Ianuarii, paganorum consuetudine choros ducere per plateas et acclamationes ritu gentilium et cantationes sacrilegas celebrare et mensas illa die vel nocte dapibus onerare et nullum de domo sua vel ignem vel ferramentum vel aliquid commodi vicino suo praestare velle.

Ita in epist. Bonifacii ad Zachariam Pontificem. Faustinus

XXV. De eo quod sibi sanctos fingunt quoslibet mortuos.

Episcopus in sermone de Kalendis Ianuariis destincte exponit hunc paganorum ritum:

In istis, inquiens, diebus miseri homines et quod prius est, et aliqui baptizati, sumunt formas adulteras, sumunt species monstruosas, in quibus quidem, quae primum ridenda aut potius dolenda sint, nescio. Quis enim sapiens credere poterit invenire aliquos sanae mentis, qui cervulum facientes in ferarum se velint habitus commutare. Alii vestiuntur pellibus pecudum: alii adsumunt capita bestiarum, gaudentes et exsultantes, si taliter se in ferinas species transformaverint, ut homines esse non videantur, ex quo indicant et probant, non tam se habitum vel visum habere, quam sensum. Nam quamvis similitudines diversorum animalium exprimere in se vellent, certum est tamen, in his magis cor pecudum esse, quam formas. Iam vero illud quale vel quam turpe est, quod viri nati tunicis muliebribus vestiuntur et turpissima demutatione puellaribus figuris virile robur effeminant, non erubescentes inserere tunicis muliebribus militares lacertos. Barbatas facies prae se ferunt et videri se feminas volunt, ut merito virilem iam fortitudinem non habent, qui in muliebres habitus transierunt; iusto enim iudicio venisse credendum est, ut militarem virtutem amitterent, qui feminarum se specie deformassent..... Etiam et illas observationes velut diaboli venena respuite; quia quod peius est, adhuc plures in populo Christiano observare non erubescunt. Sunt enim, qui in Kalendis Ianuariis ita auguria observant, ut focum (ignem) de domo sua, vel aliud quodcunque beneficium cuicunque patenti non tribuant. Diabolicas etiam strenas et ab aliis accipiunt et ipsi aliis tradunt; aliqui etiam rustici in ipsa nocte, quae praeteriit, mensulas suas plenas multis rebus, quae ad manducandum sunt necessaria, componentes, tota nocte sic compositas esse volunt, credentes, quod hoc illis Kalendae Ianuariae praestare possent auxilium, ut totum annum convivia illorum in tali abundantia perseverent.

XXV. *De eo quod sibi sanctos fingunt quoslibet mortuos.* Per hanc superstitionem oblito uno veroque Deo enata sunt multa millia Deorum et geniorum, quorum etiam genealogias, ut ex Danielis Episcopi Wintoniensis epistola ad Bonifacium patet, sollicite contexebant atque a celebrioribus magnorum virorum

XXVI. De simulacro de consparsa farina.
XXVII. De simulacris de pannis factis.
XXVIII. De simulacro, quod per campos portant.

---

origines repetebant. Clodoveum I. regem Francorum mille Deastros adhuc ethnicum credidisse indicat Remigius in epitaphio eius, dum canit:

— — — Contemsit credere mille
Numina, quae variis horrent portenta figuris.

XXVI. *De simulacro de consparsa farina.* Pagani variarum figurarum panes in honorem Deorum suorum confecerunt et eisdem obtulerunt, hosce panno oblatos singularibus virtutibus praeditos somniabant. Hinc ortus est mos, varias imagines ex pane mellito sub natalitiorum tempus conficiendi, iisque infantes delectandi. Inde panis certus similagineus *Heide-wegge* dictus, inde *die Christ-wecke*, *die Bretzel*, *die Martens-Hörner*. Farinam aqua ex fonte sacro hausta vel certis ceremoniis benedicta adspersam atque ita consecratam esse, vox *Consparsa* indicare videtur, sicut postea apud Christianos aquae benedictae adspersio *Consparsus* dicta est. [Cfr. *Plutarch. Lucull.* c. 10. *Herodot.* II, 47. *Suidas*, v. Ἔβδομος βοῦς. *Asiatic Researches*, Vol. V, p. 376.]

XXVII. *De simulacris de pannis factis.* Maiores nostri varia simulacra confecere, eisdemque tanquam Diis domesticis cultum exhibuere; eodem modo *Alrunarum* sive feminarum fatidicarum figuras ex pannis factas superstitiose adservabant, cum easdem crederent edere oracula, felicitatemque cultoribus procreare. Tandem *Mandragorae* radicem varias inter ceremonias effossam ita efformarunt, ut humani corporis speciem praeferret infixis hordei vel milii granis iis in locis, ubi pilos exoriri volebant. Hanc mundis vestibus indutam et compte compositam in larario venerabantur et *Alrunam* nominabant, quod nomen herbae adhuc inhaeret.

XXVIII. *De simulacro, quod per campos portant.* Intelliguntur sub hoc ritu superstitioso *Ambarvalia* paganorum, quae Romanis etiam in usu fuerant. Tibullus lib. I, eleg. 2:

— — — — Fruges lustramus et agros,
Ritus ut a prisco traditus exstat avo.

Meinders supra citatus hic et alibi ex praeconcepto in Romano-Catholicam ecclesiam odio temerarie asserit, hanc superstitionem apud illam adhuc esse residuam, maleque intelligit ea, quae in vita *B. Maresvidis* leguntur:

statuimus, *ibi habetur*, ut annuatim secunda feria Pentecostes,

XXIX. De ligneis pedibus et manibus pagano ritu.

XXX. De eo, quod credunt quia feminae lunam commendant, quod possint corda hominum tollere iuxta paganos.

Spiritu Sancto cooperante, eundem patronum in parochiis vestris, longo ambitu circumferentes et domos vestras lustrantes et pro gentilitio Ambarvali (id est in vicem Ambarvalis gentilibus usitati) in lacrymis et varia devotione vos ipsos mactetis et ad refectionem pauperum eleemosynam comportetis, et in hac curti pernoctantes super reliquias vigiliis et cantibus solennizetis, ut praedicto more determinatum a vobis ambitum, pia lustratione complentes, ad monasterium cum honore debito reportetis. Confido autem de patroni huius misericordia, quod sic ab eo Gyrade terrae semina uberius provenient et variae aëris inclementiae cessent.

Qui genuinam de cultu et invocatione sanctorum doctrinam intellexerit, mitius ac Hermannus Adolphus Meinders praefatum locum interpretabitur.

XXIX. *De ligneis pedibus et manibus pagano ritu.* Pagani cum morbo decumberent, vota pro salute obtinenda vovebant et sanitati pristinae restituti, signum eius membri, quod malo fuerat affectum, in tesseram gratitudinis Numini, quod invocarant, consecrare solebant. Maiores etiam nostri hanc consuetudinem pagano ritu fuerunt imitati, cum coluissent Numina, quae oculos habebant et non videbant, aures et non audiebant, etc.

XXX. *De eo, quod credunt, quia foeminae lunam commendant, quod possint corda hominum tollere iuxta paganos.* Falso credidere maiores, dari feminas, queis luna in obsequiis esset; lunae inflexus noxia quaevis in homine operari, eisque morbos certis temporum vicibus redeuntes inputarunt. Unde et caduca passione vel epilepsia laborantem *lunaticum* vocavere. Meminit huius superstitionis *S. Audoënus* in *vita S. Eligii* lib. II, cap. 15, ubi legitur:

Deus ad hoc lunam fecit, ut tempora designet et noctium tenebras temperet, non ut alicuius opus impediat aut dementem faciat hominem, sicut stulti putant, quia daemonibus invasos a luna pati arbitrantur.

A luna etiam magicis incantationibus constricta sagas potentiam recipere solo visu vel aspectu corda hominum comedendi atque ita ipsos enecandi olim putatum est. De fascinatione sic Tibullus:

Hanc ego de coelo ducentem sidera vidi,
Fluminis ac rapidi carmine vertit iter.
Haec cantu finditque solum, manesque sepulcris
Elicit et tepido devorat ossa rogo.
Cum lubet, haec tristi depellit nubila caelo,
Cum lubet, aestivo convocat orbe nives, etc.

Omnes hae superstitiones et paganiae, quae tempore S. Bonifacii in usu erant, ab eodem in synodo DCCXLII habita, sunt condemnatae. Et licet Ecclesiae antistites in eradicandis eius modi abusibus vigiles sint et maxime solliciti, remanent tamen in cordibus malevolorum haud pauca eorundem vestigia. Remanebunt triticum et zizania usque ad tempus messis.

XVII.

Exemplar Epistolae Pauli Papae ad domnum Pippinum Regem per Langbard directae, in qua continentur gratiarum actiones, et uberrimae benedictiones pro vita et incolumitate ipsius, vel domini Caroli et Carlomanni, nobilissimis liberis eius, volens adjutorium obtinere cum multis adiurationibus contra Langobardos. Et in Embolum continetur Praeceptum, quod Marino Presbytero direxit, de titulo Chrysogoni, et de libris quos ei transmisit.

Domno excellentissimo filio et nostro spiritali compatri, Pippino Regi Francorum, et Patricio Romanorum, Paulus Papa. Properans ad nos literarum transvector, Langbard scilicet, illustris vir, fidelis Eximietatis vestrae Missus, detulit nobis nectaream atque florigeram a Deo protectae Excellentiae vestrae syllabarum relationem. Cujus adnexam paginam enucleatius perscrutantes, quae textus eius loquebatur ad singula comperimus. In ipsis quippe Sublimitatis vestrae affatibus desiderabilem nobis et super omnia huiusmodi delectamenta amplexabilem sospitatis vestrae laetitiam agnoscentes, uberiore nostri animi ovantes gaudio, maxime sumus relaxati, in id quod optata nostri promeruimus comperire cordis. Et postmodum nostris a vestris Deo imitabilibus vestigiis revertentibus Missis et ea ipsa vestrae prosperitatis gaudia deferentes a vobis in responsis, gemina exsultationis iocunditas nostro inserta est cordi. Nam et dum in auribus omnis Sacerdotum Cleri, etiam Optimatum, et reliqui populi, ampliata vestra insonuisset prosperitatis laetitia, et ex hoc nimio gaudio repleti gratulantes, exsultarunt una nobiscum in Domino, agnita nimirum proprii post Deum defensoris sospitate. Porro,

excellentissime et a Deo servate fili, et spiritalis compater, vehementi dilectione vos erga amorem Apostolorum principis B. Petri, atque circa nostram caritatem vos flagrare experimento didicimus, praesertim dum ipsa Excellentiae vestrae epistola caritatis calamo cernitur esse conscripta: etenim ex corde lingua tinxerat, quod in chartae refundebat paginam. Quamobrem magnas gratiarum actiones a Deo protectae Excellentiae vestrae referimus, quoniam dum nimirum divina te clementia, per interventum sui principis Apostolorum, defensorem atque opitulatorem, benignissime Rex, sanctae suae constituit Ecclesiae, cura vestrae Eximietati insistat perfectum, redemptionem istius Provinciae, atque exaltationem huius sacrosanctae Ecclesiae procurare. Unde Domine Dei nostri, una cum universo populo nobis commisso, imploramus clementiam, ut sua vos protegat gratia; et victoriam vobis de caelo ministrans, cunctas barbaras nationes vestris subiiciat vestigiis, et longaeviter regni gubernacula faciat promereri, una cum dulcissima vestra coniuge excellentissima Regina, spiritale nostra commatre, et vestris nostrisque amantissimis natis, domno Carolo et Carlomanno, potentissimis Regibus, et domna Gisila excellentissima, et vitae aeternae cum Electis Dei concedat gaudia.

Peto itaque et deprecor te, excellentissime fili, spiritalis compater, atque per omnipotentem Deum et corpus B. Petri, cuius et optimus fidelis existis, coniuro, et maximis supplicationibus deposco, quatenus iubeas sedule in tuo sancto et a Deo inspirato mellifluo corde retinere illud, quod vos sanctae recordationis domnus et germanus noster beatissimus Stephanus Papa Dei nutu admonuit, atque deprecatus est peragendum; et in ea caritate atque amicitia permanere cunctaque, qualiter vos terribili adhortatione petiit, adimplere et effectui mancipare iubeatis, ut perfectam mercedem, et repositam plenissimae redemptionis nostrae coronam a justo Iudice omnium conditore, Domino Deo nostro, qui vos in regem unxit, consequi mereamini, et gaudia aeternae beatitudinis cum Sanctis et Electis Dei; dum plebem Dominicam perfectius liberans, atque sanctam Dei Ecclesiam defendens, divinae maiestati illaesam a saevientium malitia praeservaveris. Pro quo et magnam, post Deum, benignissime Rex, in tuae pollicitationis sponsione, quam B. Petro contulisti, spei gerimus fiduciam, una cum omni populo istius Provinciae a vobis redempto. Salutant itaque communem Excellentiae vestrae Christianitatem cuncti Sacerdotes et Clerus istius sacrosanctae Catholicae et Apostolicae Romanae Ecclesiae. Salutant vos et cunctus Procerum Senatus atque diversi populi congregatio,

optantes una nobiscum de vestra amplissima prosperitate et uberrima laetitia diu gaudere, et in Domino Deo salutari nostro exsultare. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Embolum. Per aliam quippe epistolam suam, a Deo protecta Eximietas vestra sicut certe suo bene cupienti patri direxit, quatenus Titulum protectoris vestri beati Christi Martyris Chrysogoni cum omnibus sibi pertinentibus dilectissimo atque fidelissimo vobis Marino Presbytero concedere deberemus. De quo et praeceptum nobis dirigi petistis, quod nempe ob vestram dilectionem, et in eo quod fidelis vester nosterque idem sanctissimus atque dilectissimus Marinus Presbyter exsistit, praefati Tituli praeceptum, cum omnibus locis et possessionibus sibi pertinentibus, urbanis vel rusticis, vobis exaratum, atque manu nostra roboratum, per harum latorem direximus Eximietati vestrae deportandum. Direximus etiam excellentissimae Praecellentiae vestrae et libros, quantos reperire potuimus, id est Antiphonale et Responsale, insimul artem Grammaticam Aristotelis, Dionysii Ariopagitae Libros, Geometricam, Orthographiam, Grammaticam, omnes Graeco eloquio scriptores, necnon et Horologium nocturnum.

XVIII.

Exemplar epistolae eiusdem Papae ad Domnum Carolum Regem directae, in qua continetur de venumdatione mancipiorum genti paganae Saracenorum facta: et praedictus Papa excusans, Romanos nunquam tale scelus perpetrasse, sed a Langobardis et Graecis eos traditos esse dicit.

Domno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum et Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Insignis praeconi vestrae a Deo fundatae regalis Potentiae syllabas suscepimus, et Deo omnipotenti gratias egimus, qui nos certos reddidit de sospitate a Deo protecti regni vestri, simul et de spiritali filia nostra Regina, dulcissima vestra coniuge, et prole, et pro cunctis Episcopis, diversis Sacerdotibus, Senatu, et universo a Deo conservato populo Francorum. Cognoscitur enim, et scrutator cordium et renum Deus noster [scit], quia sincere sine qualibet occasione in vestra melliflua regalis Potentiae permanemus caritate. Et deprecamur Dei omnipotentis clementiam cum nostris Episcopis, Sacerdotibus, Clero atque Senatu et universo

nostro populo, ut vobis indesinenter victorias tribuat, et vestrum dilatet regnum ad exaltationem spiritalis matris vestrae, sanctae Dei Romanae Ecclesiae, et salutem populi nobis a Deo commissi, quia vestra exaltatio nostra est laetitia. Et semper desideramus et cupimus, quae bona sunt atque prospera, de vestro a Deo protecto regno et omnium Francorum salutaria addiscere; quia nos post Deum in aliquo fiduciam non habemus nisi in vestro fortissimo brachio. Et sicut praedecessor noster domnus Stephanus Papa bonam habuit fiduciam in genitore vestro sanctae recordationis domno Pippino Rege, ita et nos multo amplius in vestro fortissimo Regno confidimus, et certi permanemus.

Reperimus etiam in ipsis vestris mellifluis apicibus de venalitate mancipiorum, quasi per nostros Romanos venumdati fuissent genti nefandae Saracenorum. Sed nunquam, quod absit, in tale declinavimus scelus, aut per nostram voluntatem factum fuit: sed in litoraria Langobardorum semper navigarunt nec dicendi Graeci, et exinde emebant ipsam familiam, et amicitiam cum ipsis Langobardis fecerunt, et per eosdem Langobardos ipsa suscipiebant mancipia. In quibus et direximus exinde Alloni Duci, ut praepararet plura navigia, et comprehenderet iam dictos Graecos, et naves eorum incendio concremaret. Sed noluit nostris obtemperare mandatis, quia nos nec navigia habemus, nec nautas, qui eos comprehendere potuissent. Tamen in quantum valuimus, Domino proferimus teste, quia magnum exinde habuimus certamen cupientes hoc ipsum scelus vetare, qui et naves Graecorum gentis in portu civitatis nostrae Centumcellensium comburi fecimus, et ipsos Graecos in carcere per multa tempora detinuimus. Sed a Langobardis, ut praefati sumus, multa familia venumdata fuit, dum famis inopia eos constringebat, quia alii ex eisdem Langobardis propria virtute in navigia Graecorum ascendebant, dum nullam habebant spem vivendi.

De Sacerdotibus autem nostris, quod vobis falso et contra Deum et animam eorum suggerere ausi sunt, mentita est iniquitas sibi, et nulla est, Domino annuente, in nostris Sacerdotibus pollutio, nec talia credere debet vestra Sublimitas. Dum vero, Domino cooperante, per intercessiones sanctae semper Virginis Mariae Dominae nostrae, et B. Petri Apostolorum principis, in vinculo caritatis atque dilectionis nos adnectere dignatus es, nunc vero quaerunt aemuli nostri, qui semper zizania seminaverunt, aliquam, illis Deo contrario, inter partes malitiam seminare. Sed, Domino auxiliante, per intercessiones B. Petri Apostoli, praevalere minime habebunt, quia nos cum Domini virtute talem in

vestro regali culmine habemus fiduciam. Dicit enim Psalmista: Disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam maliloquam, qui talia nobis inaudita mala suggerunt, et crimina in nostris Sacerdotibus ponunt. Deus autem noster suae protectionis dextera vos conservare dignetur ad exaltationem sanctae Dei Romanae Ecclesiae. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

XIX.

Alcuini epistola ad domnum Regem Carolum, de praedicatione verae fidei, et baptismo Catholico novellis populis.

Domino excellentissimo, et in omni Christi honore devotissimo Carolo Regi Germaniae, Galliae atque Italiae, et sanctis verbi Praedicatoribus, humilis sanctae matris Ecclesiae filiolus Albinus aeternae gloriae in Christo salutem. Gloria et laus Deo Patri et Domino nostro Jesu Christo; quia in gratia Sancti Spiritus, per devotionem et ministerium sanctae fidei et bonae voluntatis vestrae, Christianitatis regnum atque agnitionem veri Dei dilatavit, et plurimos longe lateque populos ab erroribus impietatis in viam veritatis deduxit. Qualis erit tibi gloria, o beatissime Rex, in die aeternae retributionis, quando hi omnes, qui per tuam sollicitudinem ab idolatriae cultura ad cognoscendum verum Deum conversi sunt, te ante tribunal Domini nostri Jesu Christi in beata forte stantem sequentur; et ex his omnibus perpetua beatitudinis merces augebitur? Ecce quanta devotione et benignitate pro dilatatione nominis Christi, duriciam infelicis populi Saxonum per verae salutis consilium emollire laborasti. Sed quia electio necdum in illis divina fuisse videtur, remanerent huc usque multi ex illis cum diabolo damnandi in sordibus consuetudinis pessimae. Tuam tamen, o veritatis et salutis multorum amator, optimam voluntatem maiore gloria et laude Christo remunerare placuit. Gentes populosque Hunorum antiqua feritate et fortitudine formidabiles tuis suo honore militantibus subdidit: praevenienteque gratia, colla diu superbissima sacrae fidei iugo devinxit et caecis ab antiquo tempore mentibus lumen veritatis infudit.

Sed nunc praevideat sapientissima et Deo placabilis Devotio vestra pios populo novello praedicatores, moribus honestos, scientia sacrae fidei edoctos et Evangelicis praeceptis imbutos, sancto-

rum quoque Apostolorum, et praedicatione verbi Dei exemplis intentos: qui lac, id est suavia praecepta, suis auditoribus in initio fidei ministrare solebant. . . . . . His ita consideratis, vestra sanctissima Pietas sapienti consilio praevideat, si melius sit rudibus populis in principio fidei iugum imponere decimarum, ut plena fiat per singulas domus exactio illarum: an Apostoli quoque ab ipso Dei Christo edocti, et ad praedicandum mundo missi, exactiones decimarum exegissent, vel alicubi demandassent dari, considerandum est. Scimus quia decimatio substantiae nostrae valde bona est: sed melius est illam amittere, quam fidem perdere. Nos vero in fide Catholica nati, nutriti et edocti, vix consentimus substantiam nostram pleniter decimare: quanto magis tenera fides, et infantilis animus, et avara mens illarum largitati non consentit? Roborata vero fide, et confirmata consuetudine Christianitatis, tunc quasi viris perfectis fortiora danda sunt praecepta, qua solida mens religione Christiana non abhorreat etc.

XX.

Alcuini epistola ad domnum Regem, quem ab expeditione Beneventana dehortatur.

Gloria et laus Deo omnipotenti pro salute et prosperitate vestra, dulcissime mi David, atque pro omni honore et sapientia, in quibus te speciali gratia omnibus supercellere fecit. Perpetua gratiarum actio resonet, et assidua sanctarum intercessio orationum ad Deum dirigatur; quatenus longaeva prosperitate feliciter vivas, valeas et regnes, ad correctionem et exaltationem sanctae suae Ecclesiae: ut sub protectione tuae venerandae Potestatis secura quiete Deo deserviat. Effudi pridem preces supplicationis meae per Candidum famulum vestrum, quas precor clementi animo vestram suscipere Pietatem. Quicquid animus suggessit meus mihi, totum misi in aures eius, ut conservaret in corde, vestraeque veridico ore patesceret Pietati. Sed novi rerum eventus novos iterum caritatis penna exarare meam devotionem apices exhortantur. Audivi siquidem, quod sine dolore et lacrymis non dicam, Maganfredum fidelem vestrum, nobisque carissimum amicum, in Beneventana diem obisse patria. Unde rogatus sum a fratribus sancti Petri literas dirigere Bonitati vestrae, pro cellulis ad eam antiquitus pertinentibus Ecclesiam, ut merces vestra esset ex illarum aliquibus, si vestrae videatur Pro-

videntiae: similiter et pro atrio intra muros civitatis, unde fratribus sancti Petri habitatio honesta construi potuisset. De his omnibus vestra consideret Bonitas quid Deo placeat, vestroque nomini honorabile fiat, et bonitati amabile.

Sed multo maior et plus necessaria populo Christiano causa occurrit, preces prostrato effundere corpore ante pedes Pietatis vestrae. Primo ne irascaris fidelissimae caritati meae, qua me maxime debitorem Benignitati vestrae verissime agnosco. Secundo etiam loco, et hoc intimo cordis affectu deposco, ut sanctissima Sapientiae vestrae consideratio provideat quid Deo placeat, vel quid populo proficiat Christiano de expeditione hostili in Beneventana terra, ne maius sibi eveniat damnum de fidelibus tuis. Optime nosti quomodo divina pro te pugnabat providentia: patrem fratremque huius impiissimi hominis in brevi tulit articulo. Sic etiam; sic faciet, credimus, si illius sancta voluntas disponit, ut et iste pereat, [ut] sine aliquo fidelium damno tuorum eveniat. Talia possunt ferri melius ex consilio, quam operta expugnatione per tempus finem habere. Quo plus humiliat se homo sub manu omnipotentis Dei, eo citius vindicat iniurias servorum, qui ait: Mihi vindicta, ego retribuam: id est, mihi servate vindictam, et ego pugnabo pro vobis. Nam David, de quo ipse Dominus tam sublime protulit testimonium, Inveni David filium Jesse virum secundum cor meum; ipse igitur Semei sibi maledicentem prohibuit occidi, optans sibi pro patientia humilitatis suae a Deo dari benedictionem.

Haec etiam acutissime sapientiae investigatio disponat, secundum rationis vivacitatem, et secundum salutem fidelium tuorum, considerans, quomodo animus illorum sine praesentia beatitudinis tuae longum sufferat laborem. Deum invoco testem cordis mei, haec plena fide et perfecto prosperitatis vestrae in omnibus desiderio scripsisse: obsecrans supplici devotione haec eadem patienter vestram legere beatitudinem; nec aliquid iracundiae in meam habere praesumtionem, talia vestrae ingerentis sapientiae. Licet caritas mea stulta videri valeat, tamen nunquam infidelis, nec in minimo, nec in maximo inveniri poterit. Fiducia enim probatissimae humilitatis vestrae haec scribere praesumpsit. Forte quislibet dicit: Quid ille homo alienis se ingerit rebus? Non agnoscit, nihil mihi alienum vestrae prosperitatis esse debere, quam super salutem corporis mei, vel vitae meae longaevitatem deligere me testor. Tu prosperitas regni; tu salus populi; tu decus Ecclesiae; tu omnium protectio fidelium Christi. Nobis igitur sub umbra potentiae, et sub tegmine pietatis tuae, divina

concessit gratia religiosam ducere vitam, atque secura quiete Deo Christo deservire. Ideo sollicita mente et pia intentione pro tua prosperitate et salute curam habere et intercedere iustum et necessarium habemus, domine desiderantissime, atque omni honore dignissime David Rex.

XXI.

Exemplar Epistolae Adriani Papae ad domnum Carolum Regem directae, in qua continetur de Arighiso Duce Beneventano, qui postquam Rex Carolus a Capuana urbe revertisset, praedictus Arighisus, Deo sibi contrario, apud Imperatorem Missos suos direxerat, petens auxilium et honorem Patriciatus, cupiens fidem, quam pollicitus fuerat, irritam facere, promittens se tam in tonsura quam in vestibus usu Graecorum perfrui.

Domno excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo, Regi Francorum et Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Nectareos suavissimosque praecelsos regales apices vestros cum nimio cordis suscepimus amore, quos reserantes, reperientesque vestram regalem sospitatem, simul et spiritalis filiae nostrae domnae Reginae, vestraeque nobilissimae prolis salutis prosperitatem, magnas omnipotenti Deo retulimus grates, qui vobis per intercessiones B. Petri Apostoli, fautoris vestri, nobis velut immeritis iugiter pro vobis exorantibus, — indesinenter victorias ubique tribuit, et omnia circa vos salubriter disponit, tam marcas quamque confinia. Magis quippe de subjectione Bajuariorum, sicut nempe praediximus et optavimus, ita et praestolantes audivimus de vestra praecelsa regali in triumphis victoria. Nempe quidem meminisse credimus, qualiter vobis per anteriores nostras Apostolicas emisimus syllabas, de Capuanis qui ad nos venerunt per vestrum regale adminiculum: quatenus dum ipsas nostras vobis emisissemus syllabas post aliquantos dies, praefatos Capuanos in Confessione protectoris vestri B. Petri Apostolorum principis iurare fecimus in fide eiusdem Dei Apostoli et nostra atque vestrae regalis Potentiae. Et post actum sacramentum, unus ex ipsis Capuanis, Gregorius Presbyter, nobis petiit secreta loqui, asserens quia nullo modo iam quippiam celare possum, tale vobis praebens sacramentum. Et dum a nobis enucleatius sciscitatus fuisset, retulit nobis dicens quia, dum domnus Carolus magnus Rex praeterito anno a Capuana urbe reversus fuisset, Arighis Dux suus ad Imperatorem, Deo sibi con-

trario, emisit Missos, petens auxilium et honorem Patriciatus una cum Ducatu Neapolitano sub integritate, simul et suum cognatum Adalgisum cum manu valida in adiutorium sibi dirigi, promittens ei tam in tonsura quam in vestibus usu Graecorum perfrui, sub eiusdem Imperatoris ditione.

Haec audiens autem Imperator, emisit illi suos Legatos, scilicet Spatharios duos in ditionem Siciliae ad Patricium eum constituendum, ferentes secum vestes auro textas, simul et spatham, vel pectinem, et forcipes, sicut illi praedictus Arighisus indui et tonderi pollicitus fuerat; petentes Romualdum eiusdem Arighisi filium in obsidatum. De Adalgiso vero cognato, emisit ei dicens, quia nunc illum non dirigimus, sed eum dirigimus cum exercitu in Tervisio, aut Ravenna. Qui venientes Dei nutu, per suffragia Apostolorum, malignantium consilia dissipata repererunt eo quod Arighisum Ducem, vel ipsius filium Waldonem, defunctum invenerunt. Et dum ibidem Salerno Atto fidelissimus vester Missus fuisset, Beneventani ipsos Graecos minime recipere voluerunt; sed post reversionem praedicti Attonis Diaconi, tunc eos terreno itinere a finibus Graecorum deferentes, Salerno receperunt; et cum Athalberga relicta Arighisi, seu Optimatibus Beneventanis, tribus diebus persistentes, consiliati sunt, suadentes ipsi Beneventani praedictis Missis Graecorum dicentes: Quia nos ad Regem Carolum emisimus Missos nostros, petentes ab eo Grimualdum Ducem nostrum recipere. Insuper et per Attonem Diaconum ipso nobis pollicente, rogam emisimus, ut penitus eum Ducem consequenter susciperemus. Sed propter hoc morari vos Neapoli convenit, dum usque ipsum Grimualdum recipere possimus Ducem: et quod genitor eius Arighisus minime valuit adimplere, Grimualdus eius filius, dum culmen genitoris sui adeptus fuerit, prossus imperialem voluntatem cum omni ditione, sicut cum suo constitit genitore, in omnibus adimpleat, pariter nobis promissa explentibus. Quapropter terreno itinere usque Neapolim eos cum magno deduxerunt honore. Qui Neapolitani ipsos Graecos cum bandis et signis suscipientes, ibidem degentes, praedictae rei praestolantes adventum non desinunt cum Stephano Episoopo et Constantino civibus Neapolitanis adversa perpetrantes tractare; mittentes ipsi Graeci ad Imperatorem, de obitu Arighisi filiique eius denunciantes, et ab eo exspectant consilium quid agere debeant. Sed in his omnibus, excellentissime, et a Deo protecte fili, solertissima regalis Potentia vestra nitatur pertractare, tam pro exaltatione spiritalis matris vestrae, sanctae Romanae Ecclesiae, nostraque salute, quamque, Domino protegente beatoque

Petro clavigero regni caelorum praesidiante; pro vestri invictissimi regni in triumphis securitate.

Porro et hoc, sicuti per se Gregorius Presbyter Capuanus nobis innotuit de fidelissimis Missis vestris, scilicet Magenario religioso Abbate, seu Joseph, et Lieuderico Comite, atque Gotteramno Ostiario, qui a Benevento reversi Spoletum ideo exinde fugerunt, eo quod tale consilium Beneventani cum Neapolitanis et Surrentinis atque Amalfitanis habuerunt, ut foris civitate Salernitana iuxta mare vestros Missos applicare facerent, et nocte repentino cursu super eos ruentes Beneventani, pariter cum Neapolitanis, illos interficerent; et postmodum proferrent quia Neapolitani, quasi super ipsos Beneventanos venientes, existimantes esse Beneventanos, eos clam occiderint. Et praefati Missi vestri haec cognoscentes, coacti fugam arripuerunt, vestram couquerentes regalem illusionem. Quod si Missi vestri Salerno applicuissent, Neapolitani cum Amalfitanis et Surrentinis armati ibi absconsi fuerunt, ut irruerent cum Beneventanis super ipsos Missos vestros, ut occiderent: quod nempe certi facti sumus. Sed omnia eorum nequam consilia ad nihilum rediguntur, eo quod talem amplissimam fidem, atque ex intimo corde dilectionis amorem erga B. Petrum principem Apostolorum et nos vestram regalem Potentiam omnino habere agnoscimus; et idcirco omnia vobis sicut ipsum Dei Apostolum die noctuque petimus suggerentes, subiiciuntur, et vestris praefulgidis regalibus plantis substernuntur. De nostra vero hospitate ut inquirendum direxistis, Domino coopitulante, vestram omnino agnoscentes salutem, valentes pro vobis non desinimus fundere preces, ut in hoc mundo regni gubernacula multorum curriculo fruentes annorum, et in aethereis arcibus, una cum domna Regina, vestraque nobilissima subole, sine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

XXII.

Epitaphium Arighisi
ducis Beneventanorum.

Lugentum lacrymis populorum roscida tellus
  Principis haec magni nobile corpus habet.
Hic namque in cunctis recubans celeberrimus Heros
  Praepollens Arichis, o decus, atque dolor.

Tullius ore potens cujus vix pangere laudes,
Ut dignum est, posset, vel tua lingua Maro.
Stirpe Ducum Regumque satus, adscenderat ipse
Nobilior generis culmina celsa sui.
Formosus, validus, suavis, moderatus et acer
Facundus, sapiens, luxque decorque fuit.
Quod Logos effinxit, moderansque quod Ethica pangit,
Omnia condiderat mitis in arce sua.
Strenuus, eloquii divini cultor, et index,
Pervigil in lacrimis tempora noctis agens.
Anteibat iuvenes venatu, viribus, armis:
Flaminibusque ipsis flamina sancta dabat.
Ter binis lustris patriae sic rexit habenas,
Fluctibus ut lintrem Navita doctus agit.
Sollicite gratiam pacis servavit amator,
Consilio cautus, providus atque sagax.
Cum natis proprium nil ducens tradere censum,
Insuper et Patriae promptus amore mori.
Moestorum solamen erat, solamen egentum,
Hos satagens verbis, hos relevare manu.
Ornasti patriam doctrinis, moenibus altis.
Hinc in perpetuum laus tua semper erit.
Tu requiesque tuis, portusque salusque fuisti,
Gloria, deliciae, tu generalis amor,
Heu mihi, quam subito perierunt omnia tecum
Gaudia, prosperitas, paxque quiesque simul.
Planctus ubique sonat; te luget sexus et aetas
Omnis et ante omnes, tu Benevente, doles.
Nec minus excelsis nuper quae condita muris
Structorem Orbe tuum, clara Salerne, gemis.
Apulus et Calaber, Vulgar, Campanus et Afer,
Quosque Siler potat, Romuleusque Tibris.
Quique bibunt Ararim, te flent, Histrumque Padumque
Aestimet affinis, seu peregrina phalanx.
Tam felix olim, nunc namque miserrima coniux,
Regali in thalamo quam tibi iunxit amor,
Eheu perpetuo pectus transfixa mucrone
Languida membra trahens te moribunda dolet.
Viderat unius heu nuper funera nati;
Ast alium exterrem Gallia dura tenet.
Huic geminae natae vernanti flore supersunt,
Solamenque mali, sollicitusque timor.
Has cernens, reddi vultus sibi credit amatos.
Heu trepidam faciunt: fluctuabunda pavet.
Solvatur tantos spes haec utcunque dolores,
Quod te pro meritis nunc Paradisus habet.

O Regina potens, Virgo, Genitrixque Creantis,
Prosit ei hac sacra membra dedisse Lari.

Vixit autem LIII. annos. Obiit VII. Kalend. Septembr. anno ab incarnatione Domini MDCCLXXXVII. Indict. IX. Donna Adelperga Principissa filios Romoald, Grimoald, Egisiphum, Theoraldam et Adeloisam.

XXIIII.

Ex Adamo Bremensi de situ Daniae
c. 217—228.

Cap. 217. Nunc autem quoniam locorum se praebuit occasio, ad rem pertinere videtur, aliquid de natura Baltici maris dicere. Cuius freti mentionem cum supra in gestis Adaldagi Pontificis ex scriptis Einhardi fecerim, explanationis more utens, ea quae ille per compendium dixit, pleniori calamo nostris scienda proponam. *Sinus quidam*, inquit, *ab occidentali Oceano versus Orientem porrigitur.* Sinus ille ab incolis appellatur *Balticus*, idemque *mare Barbarum* seu *pelagus Scythicum* vocatur a gentibus quas alluit barbaries. Occidentalis autem Oceanus ille videtur quem Romani *Britannicum* scribunt, cuius latitudo immensa, terribilis et periculosa, ab occasu complectitur Britanniam, quae nunc *Anglia* dicitur: a meridie Fresos tangit, cum ea parte Saxoniae, quae nostrae dioecesi pertinet Hammaburgensi: a solis ortu habet Danos, ostiumque Baltici maris, et Nordmannos, qui ultra Daniam consistunt; ab Aquilone vero idem Oceanus insulas praeterlabitur Orchadas, deinde infinitis orbem terrae spatiis ambit, sinistrorsum habens Hiberniam Scotorum patriam, quae nunc *Irland* dicitur, dextrorsum vero scopulos Nordmanniae, ulterius autem insulas *Island* et *Grönland*. Ibi terminatur Oceanus, qui dicitur *caliginis*.

218. Quod autem dicit eundem sinum longitudinis incompertae, hoc nuper apparuit in solertia fortissimorum virorum *Ganund Wolff* satrapae Danorum, sive *Haroldi* Regis Nordmannorum, qui magno viae labore multoque sociorum periculo, quantitatem huius maris perscrutantes, ancipiti demum iactura ventorum ac piratarum fracti, victique redierunt. Affirmant autem Dani, longitudinem huius ponti saepe a pluribus expertum, secundo flatu per mensem aliquos a Dania pervenisse in *Ostrogard* Ruzziae.

219. Latitudinem vero illam ponit, quae nusquam centum

millia passuum excedat, cum in multis ait locis contractior inveniatur, quod in ostio eiusdem sinus videri potest, cuius ab Oceano introitus inter *Alaburg* vel *Wendilam* promontorium Daniae scopulosque Nordmanniae tam strictus inveniatur, ut facili saltu per noctem carbasa traiiciantur. Item limitem egressus Danorum idem pontus late brachia tendit, quam denuo contrahit e regione Gothorum, qui a latere *Wilzos* habent. Deinde quanto interius vadit, tanto latius hinc inde diffunditur.

220. Hunc, inquit, sinum multae circumsident nationes. Dani siquidem ac Sueones, quos Nordmannos vocamus, septentrionale littus tenent, et omnis in eo insulas. Ad littus autem australe Slavi *Haisti*, aliaeque diversae incolunt nationes, inter quos praecipui sunt *Welatabi*, qui et *Wilzi* dicuntur. Dani vero et Sueones, caeterique trans Daniam populi, ab Historicis Francorum omnes *Nordmanni* vocantur, cum tamen Romani scriptores eiusmodi vocent *Hyperboreos*, quos Martianus Capella multis laudibus extulit.

221. Itaque primi ad ostium praedicti sinus, in australi ripa versus nos Dani, quos *Iuthas* appellant, usque ad *Sliam* lacum habitant. Unde incipiunt fines Hammaburgensis parochiae, qui per maritinos Slavorum populos longo tractu porriguntur usque ad *Panim* fluvium, ibi limes est nostrae dioccesis. Inde *Wilzi* et *Leuticii* sedes habent, usque ad *Odoram* fluvium: trans Odoram autem comperimus degere *Pomeranos*. Deinde latissima Polanorum terra diffunditur, cuius terminum dicunt in *Ruzzia* regnum connecti. Haec est ultima et maxima *Winulorum* provincia, quae et finem illius facit sinus.

222. At vero a parte aquilonali revertentibus ad ostium Baltici freti, primi occurrunt *Nordmanni*; deinde *Sconia* prominet, regio Danorum, et supra eam tenso limite *Gothi* habitant, usque ad *Birkam*; postea longis terrarum spatiis regnant Sueones, usque ad terram feminarum. Supra illas *Wilzi*, *Mirri*, *Lami*, *Scuti* et *Turci* habitare feruntur usque ad Ruzziam. In qua denuo finem habet ille Sinus. Itaque latera illius ponti ab austro Slavi, ab Aquilone *Suedi* possederunt. Asserunt etiam periti locorum a Sueonia terrestri via quosdam usque in Graeciam permeasse. Sed barbarae gentes, quae in medio sunt, hoc iter impediunt, propterea navibus tentatur periculum.

223. Multae sunt insulae in hoc sinu, quas Dani et Sueones omnes habent in sua ditione, aliquos etiam Slavi tenent. Earum prima est in capite illius freti *Wendila*, secunda *Morsa*, tertia *Thuit*, modico ab invicem intervallo divisae, quarta est *Sampse*,

quae opposita est civitati Arhusen, quinta *Finnis*, sexta *Seland*, septima, quae illi adhaeret, et quarum supra memoriam fecimus. Octavam dicunt illam, quae Sconiae ac Gothiae proxima *Holmus* appellatur, celeberrimus Daniae portus, et fida statio navium, quae a Barbaris in Graeciam dirigi solent. Caeterum *Finni* insulae aliae septem adiacent minores ab Euro, quas supra diximus, frugibus opulentae, hoc est *Moiland*, *Imbra*, *Falstre*, *Laland*. Item aliae omnes sibi vicinae, cum Laland interius vadat ad confinia Slavorum. Hae quindecim Insulae Danorum regnum aspiciunt, omnesque iam Christianitatis titulo decoratae sunt. Sed et aliae interius sunt, quae subiacent Sueonum Imperio: quarum maxima est illa, quae *Curland* dicitur, iter octo dierum habens, gens crudelissima, propter nimium idololatriae cultum fugitur ab omnibus: aurum ibi plurimum, equi optimi; divinis auguribus, atque nicromanticis omnes domus sunt plenae, qui etiam vestitu Monachio induti sunt. A toto orbe ibi responsa petuntur, maxime ab Hispanis et Graecis. Hanc insulam in vita S. Ansgarii *Chori* nominatam credimus quam tunc Sueones tributo subiecerunt. Una ibi nunc facta est Ecclesia, cuiusdam studio negotiatoris, quem Rex Danorum multis ad hoc illexit muneribus. Ipse enim Rex gaudens in Domino recitavit mihi hanc cantilenam.

224. Praeterea recitatum est nobis, alias plures Insulas in eodem ponto esse, quarum una grandis *Estland* dicitur, non minor illa de qua prius diti. Nam et ipsi Deum Christianorum prorsus ignorant, dracones adorant cum volucribus, quibus etiam vivos litant homines, quos a mercatoribus emunt, diligenter omnino probatos, ne maculum in corpore habeant, pro qua refutari dicuntur a draconibus. Et haec quidem insula *terrae feminarum* proxima narratur, cum illa superior non longe sit a *Birka* Sueonum.

225—227. Illarum autem Insularum, quae Slavis adiacent, insigniores accepimus tres. Quarum prima *Fambre* vocatur. Haec opposita est Wagris. Altera est contra Wilros posita, quam *Rani* vel *Runi* possident, fortissima Slavorum gens, extra quorum sententiam de publicis rebus nihil agi lex est, ita illi metuuntur propter familiaritatem Deorum, vel potius Daemonum, quos maiori cultu caeteris venerantur. Ambae igitur hae insulae piratis et cruentissimis latronibus plenae sunt, qui et nemini parcunt ex transeuntibus. Tertia est illa, quae *Semland* appellari solet, contigua Ruzzis et Polonis: hanc inhabitant Sembi vel Prutzci, homines humanissimi, qui obviam tendunt ad auxi-

liandum his, qui in mari periclitantur, vel qui a piratis infestantur. Aurum argentumque pro minimo ducunt, pellibus abundant peregrinis, quorum odor nostro orbi letiferum superbiae venenum propinavit. Et illi quidem ut stercora haec ad nostram forte habent damnationem, qui per fas nefasque ad vestem anhelamus marturinam, quasi ad summam beatitudinem. Itaque pro laneis indumentis, quae nos dicimus *Paldones*, illi offerunt tam pretiosos marturès. Multa ergo possent ex illis populis dici laudabilia in moribus, si solam Christi fidem haberent, cuius praedicatores immaniter persequuntur. Apud illos enim illustris Boemorum Episcopus *Adalbertus* martyrio est coronatus. Usque hodie profecto inter illos, cum omnia communia sint nostris, solus accessus prohibetur lucorum et fontium, quos autumant Christianorum pollui accessu. Carnes etiam iumentorum pro cibo sumunt, quorum lacte et cruore utuntur in potu, ita ut inebriari dicantur. Homines caerulei, facie rubea et criniti, praeterea inaccessi paludibus, nullum inter se pati dominum volunt.

228. Sunt et plures aliae in hoc Ponto Insulae, ferocibus barbaris omnes plenae, ideoque fugiuntur a navigantibus. Item circa haec litora Baltici maris ferunt esse *Amazones*, quod nunc Terra feminarum dicitur: quas aquae gustu aliqui dicunt concipere. Sunt etiam qui referant eas impraegnari a praetereuntibus negotiatoribus, vel ab eis, quos inter se habent captivos, sive ab aliis monstris, quae ibi non rara habentur. Et hoc etiam credibilius est. Cumque pervenerint ad partum, si quidem masculini generis fuerint, Cynocephali, si quid feminini, speciosissimae mulieris. Hae simul viventes, spernunt consortia virorum: quos etiam, si advenerint, a se viriliter repellunt. *Cynocephali* sunt, qui caput in pectore habentes, in Ruzzia saepe videntur captivi, et cum verbis latrant in voce. Ibi sunt etiam qui dicuntur *Alani* vel *Albini*, cum canitie nascuntur: de quibus Solinus auctor meminit. Eorum patriam canes defendunt. Si quando pugnandum est, canibus aciem struunt. Ibi sunt homines pallidi, virides et macrobii, id est, longi aevi, quos *Husos* appellant. Postremo illi, qui dicuntur anthropophagi, et humanis vescuntur carnibus. Ibi sunt alia monstra plura, quae recitantur a navigantibus saepe inspecta, quamvis hoc nostris vix credibile videatur. Haec habui, quae de sinu illo Baltico vel Barbaro dicerem, cuius nullam mentionem audivi quempiam doctorum fecisse, nisi solum, de quo supra diximus, *Einhardum*.

XXIV.

Beschreibung des Rings der Hunnen [1].

Cum Deo odibilis Iulianus in bello Persico coelitus fuisset peremptus, et a Regno Romanorum non solum transmarinae provinciae, sed et proxima Pannonia, Noricus, Rhaetia vel Germania, Francique vel Galli defecissent, ipsique reges Gallorum vel Francorum propter interfectionem sancti Desiderii, Viennensis Episcopi, et expulsionem sanctissimorum advenarum, Columbani videlicet et Galli, retro labi coepissent, gens Hunorum prius per Franciam et Aquitaniam vel Gallias sive Hispanias latrocinari solita, tota simul egressa quasi latissimum incendium cuncta devastans, reliquias quae remanere poterant, ad tutissima latibula comportavit. Quae huiusmodi fuerunt, sicut praefatus Adelbertus mihi narrare consueverat: *Terra*, inquiens, *Hunbrum novem circulis cingebatur*. Et cum ego, alios circulos nisi vimineos cogitare nescius interrogarem: *Quid illud miraculi fuit, domine?* respondit: *Novem hegin* [2]) *muniebatur*. Cumque et illos alterius generis esse nescirem, nisi quales segetibus solent praetendi, inquisitus etiam de hoc dixit: *Tam latus fuit circulus, hoc est, tantum intra se comprehendit, quantum spatium est de castro Turico* [3]) *ad Constantiam, ita stipitibus quernis, faginis vel abiegnis extructus, ut de margine ad marginem 20 pedes tenderetur in latum, et totidem subrigeretur in altum*, cavitas [4]) autem universa aut durissimis lapidibus aut creta tenacissima repleretur, porro superficies vallorum eorundem integerrimis cespitibus tegeretur. Inter quorum confinia plantabantur arbusculae, quae ut cernere solemus, abscisae atque proiectae, comas caudicum foliorumque proferunt. Inter hos igitur aggeres ita vici et villae erant locatae, ut de aliis ad alias vox humana possit audiri. Contra eadem vero aedificia inter inexpugnabiles illos muros portae non satis latae erant constitutae, per quas latrocinandi gratia non solum exteriores, sed etiam interiores exire solebant. Item de secundo circulo, qui similiter ut primus erat exstructus, 10 [5]) milliaria Teutonica, quae sunt 40 Italica, ad tertium usque tendebantur; similiter usque ad nonum, quamvis ipsi circuli alius alio contractiores fuerint. De circulo quoque ad circulum sic erant pos-

---

1) *Monach. Sangallens.* II, 1, p. 747 sq. *Pertz*, vol. II. Zu Kap. XII.

2) *Hecken.* — 3) *Zürich.* — 4) Sämmtliche Handschriften haben *civitas*. Die Verbesserung ist von Pertz.

5) Sämmtliche Handschriften der Chronik von Ursperg und des *Annalista Saxo* haben XX.

sessiones et habitacula undique versum ordinata, ut clangor tubarum inter singula posset cuiusque rei significativus adverti. Ad has ergo munitiones per ducentos et eo amplius annos qualescunque omnium occidentalium divitias congregantes, cum et Gothi et Wandali quietem mortalium perturbarent, orbem occiduum paene vacuum dimiserunt. Quos tandem invictissimus Karolus ita in annis octo perdomuit, ut de eis ne minimas quidem reliquias permanere permiserit. A Bulgaribus vero ideo manum retraxit, quia videlicet, Hunis exstinctis, regno Francorum nihil nocituri viderentur. Porro praedam in Pannonia repertam per episcopia vel monasteria liberalissima divisione distribuit.

XXV.

Ad Fastradam Reginam coniugem de victoria Avarica.

Karolus gratia Dei Rex Francorum et Langobardorum, ac Patritius Romanorum, dilectae nobis et valde amabili coniugi nostrae Fastradae Reginae. Salutem amabilem tibi in Domino per hos apices mittere studuimus, et per te dulcissimis filiabus nostris vel ceteris fidelibus nostris tecum manentibus. Scientem te enim facimus quia gratias Deo sani et salvi sumus. Missus quidem dilecti filii nostri Pippini, nomine ille, nobis nuntiavit de eius sanitate ac domini Apostolici, vel de salvatione confinium nostrorum illis partibus positorum: unde valde laetificati extitimus. Et insuper retulit nobis qualiter illae scarae, quas prius de Italia iussimus pergere partibus Avariae, in illa confinia residendum, pervenerunt infra fines ipsorum X. Kalendas Septembris, et inierunt pugnam cum eis: et dedit eis Deus omnipotens pro sua misericordia victoriam; et multitudinem de ipsis Avaris interfecerunt, in tantum, ut dicunt, quod in multis diebus maior strages de ipsis Avaris facta non fuit. Et exspoliaverunt ipsum vallum, et sederunt ibidem ipsa nocte vel in crastina usque hora diei tertia. Et acceptis spoliis reversi sunt in pace: et centum quinquaginta de ipsis Avaris vivos comprehenderunt, quos reservaverunt, ut nostra fiat iussio qualiter exinde agere debeant. Fideles Dei ac nostri, qui hoc egerunt, fuerunt ille Episcopus, ille Dux, ille et ille Comites. Ille Dux de Histria, ut dictum est nobis, ibidem bene fecit cum suis hominibus.

Vassi vero nostri fuerunt illi. Nos autem, Domino adiuvante,

tribus diebus Litaniam fecimus [1]), id est Nonis Septembris, quod fuit Lunis die, incipientes, et Martis et Mercoris, Dei misericordiam deprecantes ut nobis pacem et sanitatem atque victoriam et prosperum iter tribuere dignetur, et ut in sua misericordia et pietate nobis adiutor et consiliator atque defensor in omnibus angustiis nostris existat. Et a vino et carne ordinaverunt Sacerdotes nostri, qui propter infirmitatem aut senectudinem, aut iuventudinem abstinere poterant, ut abstinuissent: et qui redimere voluisset, quod vinum licentiam habuisset bibendi ipsis tribus diebus, ditiores et potentiores homines in unaquaque die solidum unum dedissent, minus potentes iuxta possibilitatem ipsorum: et qui amplius dare non poterat, et vinum bibere volebat, saltem vel unum denarium donasset: eleemosynam vero unusquisque secundum propriam atque bonam voluntatem, vel iuxta possibilitatem fecisset. Et Sacerdos unusquisque missam specialem fecisset, nisi infirmitas impedisset: et Clerici qui psalmos sciebant, unusquisque quinquaginta cantasset: et interim quod ipsas Litanias faciebant, discalceati ambulassent. Sic consideraverunt Sacerdotes nostri; et nos omnes ita aptificavimus, et Domino adiuvante complevimus. Unde volumus, ut tu cum illis et illis vel ceteris fidelibus nostris considerare debeas, qualiter ipsae Litaniae ibidem factae fiant. Tu autem iuxta quod tua infirmitas permittit, in tuo committimus arbitrio. Et mirum nobis fuit quia vester Missus, nec epistola, postquam de Ragenisburgo, ad nos non venit. Unde volumus, ut saepius nobis de tua sanitate, vel de aliud quod placuerit significare debeas. Iterumque salutamus te multum in Domino.

XXVI.

Caroli Magni epistolae ad Imperatores.

A.

Caroli Regis ad Nicephorum Imper. Const. [2]).

Cum in omni humanae actionis initio domini sit auxilium invocandum, maxime in hoc, quod modo inter nos, Deo mediante, avito negotio, Domini et salvatoris nostri Jesu Christi omni modo imploranda sunt suffragia: ut qui nomine illius signati sumus, et

---

[1]) Vergl. *Annales Lauresham.* 791, bei *Pertz*, I, p. 34, *b. Annal. Laurias.* 791, p. 176. — [2]) Aus dem *Codex Carolinus.*

in dispensatione passionis eius ab aeterno mortis periculo nos redemptos esse confidimus, ea, quae ipso inspirante inchoamus, ad honestum et utilem perfectionis terminum perducere mereamur. In cuius nomine atque honore Legatum Fraternitatis nostrae, quem ad bonum recordationis filium nostrum Pipinum Regem misistis, Arsaphium, scilicet gloriosum Spatharium, ad nos cum verbis et literis . . . . tuae benigne atque honorifice suscepimus. Et quamvis ad nos missus non fuisset, veluti ad nos missum adhibita diligenti cura et audivimus, et cum eo de his, quae detulit, quia prudentem animadvertimus, collocutionem habuimus. Nec immerito cum tanta esset non tantum in literis, quas adtulit, sed etiam in verbis, quae ex ore illius nostris auribus insonuerunt, optatae ac semper optandae pacis copia, ut valde nobis et quibuscunque Deum amantibus huiuscemodi legatio placere potuisset: quae ubique tanto fuit caritatis ac pacis favo respersa, ut in palato cordis cuiusque fidelis veram posset sapere dulcedinem: possetque iudicari penitus insipiens, cui talia videntur insipida. Propter quod postquam illum in fines regni nostri pervenisse comperimus, veluti praescii optimae ac Deo complacidae Legationis eius, temperare nequivimus, opportune eum ad nostram praesentiam venire fecimus: maxime tamen quod is, ad quem illum missum esse constabat, dilectus filius noster Pipinus Rex iam rebus humanis excesserat: neque nos illum cum infecto negotio tanto, ad quod perficiendum directus erat, vacuum reverti pati potuimus.

Et non solum propter hoc, sed etiam quod ex tempore, quo primo imperii tui anno Michaelem Metropolitanum et populum assiduum Abaten, Calistumque gloriosum Candidatum ad constituendam nobiscum pacem et foederanda atque coadunanda haec duo in Christi caritate, longaeva tua misit Dilectio; veluti in specula positi longa fuimus exspectatione suspensi, praestolantes sive per Legatum sive per epistolam, quando meritorum scriptis nostris amabilia Fraternitatis tuae responsa susciperem. Iamque, ut se habet humanae mentis infirmitas, prope desperatio cordi nostro incipiebat oboriri. Sed fidentes sperabamus in eo, qui nunquam deserit sperantes in se, quod secundum Apostolum labor noster in ipso vacuus et inanis esse non deberet: ac desiderium nostrum, quod, ut confidimus, ipsius inspiratione concipimus, secundum divitias misericordiae suae complere, et quandocunque ad effectum perducere deberet.

Idcirco audito adventu memorati Legati Dilectionis tuae Ar-

saphii gloriosi Spatharii, magnopere gavisi sumus, confidentes, nos de rebus incertis ad optatam certitudinem perventuros; et de his, quae praedictis missis tuis ad te deferenda dedimus, responsum esse recepturos. Et revera ita factum est. Sensimus enim ex parte mea quod desiderabamus ad completionem votorum nostrorum, divini favorem auxilii et in verbis ac literis, quae per Legationem memorati Legati perlata sunt, quamvis ad filium nostrum scripta et directa essent, non minimam nos desideratae responsionis accepisse portionem.

Proinde omnipotenti Deo non quales debuimus, sed quales potuimus gratias agimus, quod cordi Dilectionis tuae, quam quaesivimus ac desiderabilem pacis voluntatem inspirare dignatus est, orantes secundum Apostolum, ut Deus, qui vobis in hac pace velle tribuit, ipse perficere tribuisset, propter quod nihil morantes, sed omni cunctatione ac dubitatione penitus abiecta, Legatos nostros praeparavimus ad tuam amabilem Fraternitatem dirigendos.

B.

Caroli M. Imperatoris Epistola ad Michaëlem Imperatorem [1]).

Benedicimus Dominum Jesum Christum verum Deum nostrum, et gratias illi, iuxta virium possibilitatem, et intelligentiae nostrae quantitatem ex toto corde referimus, qui nos ineffabili dono benignitatis suae in tantum divites efficere dignatus est, ut in diebus nostris diu quaesitam et semper desideratam pacem inter Orientale atque Occidentale Imperium stabilire, et Ecclesiam suam catholicam sanctam et immaculatam, quae toto orbe diffusa est, iuxta quotidianas ipsius postulationes sicut semper regere ac protegere; ita etiam nunc idem in nostro tempore adunare atque pacificare dignatus est. Quod ideo tanquam peractum dicimus, quia quidquid de hoc ex nostra parte faciendum fuit, fecimus; vosque similiter de vestra parte facere velle non dubitamus, fiduciam habentes in illo, qui hoc opus, quod in manibus habemus, id est pacem, fieri praecepit; quia fidelis et verax est, et omni bene operanti cooperator exsistit: qui etiam a nobis bene inchoata ad perfectionem, ut confidimus, deducturus est.

---

[1]) *Alcuini Opp.* ed. *Froben.* Vol. II, p. 561.

Huius perfectionis desiderio accensi praesentes Legatos nostros Amalharium venerabilem Treverorum Episcopum et Patrum religiosum Abatem venerabilis Monasterii sanctorum Apostolorum ad tuae dilectae Fraternitatis gloriosam praesentiam direximus, ut iuxta quod fideles Legati dilectae Fraternitatis tuae Michael venerabilis Metropolita, et Arsaphius ac Theognostus gloriosi Protospatharii nobiscum fecerunt, suscipiendo a nobis pacti conscriptionem, tam nostra propria, quam et Sacerdotum et Procerum nostrorum subscriptione firmatam; ita et memorati Legati nostri foederis conscriptionem tuam et Sacerdotum, Patriciorumque ac Procerum tuorum subscriptionibus roboratam, a sacro sancto Altari tuae manus porrectione suscipiant, et, Deo iter illorum properante, ad nos deferant; quia et ratio postulabat, et talis fuit nostra et Legatorum tuorum convenientia, ut post profectionem illorum, cum primum opportunum navigandi tempus adveniret, Legatos nostros ad tuae dilectae Fraternitatis gloriosam praesentiam mitteremus, qui supradictam pacti sui foederis conscriptionem, te dante, susciperent, et nobis adferrent.

Qua propter rogamus dilectam et gloriosam Fraternitatem tuam, ut si tibi illa, quam nos fecimus et tibi misimus, pacti descriptio placuerit, similem illi graecis literis conscriptam, et eo modo, quo superius diximus, roboratam, Missis nostris memoratis dare digneris, eosque, postquam ad te venerint, et a te, sicut in tua caritate est, fidimus, benigne suscepti fuerint, absque non necessaria dilatione absolvere iubeas; ut de illorum reditu, et de tuae dilectae Fraternitatis rescripto, Domino opitulante, gaudeamus, et tibi largitor omnium bonorum Deus digna recompensatione restituat, quod pacis, quam ille suos inter se habere praecepit, amator et confirmator esse certasti. Bene vale!

XXVII.

Verhältnifs Harun-al-Reschids zu Karl dem Grofsen.

Monach. Sangallens. II, 8. 9, p. 751—753, Pertz.

8. Per idem tempus etiam legati Persarum ad eum directi sunt. Qui situm Franciae nescientes, pro magno duxerunt, si litus Italiae propter famositatem Romae, cui tunc illum imperare cognoverat, apprehendere valuissent. Cumque episcopis Campaniae vel Tusciae, Emiliae vel Liguriae, Burgundiaeque sive Gal-

liae, simul et abbatibus vel comitibus causam adventus sui indicassent, dissimulanterque ab eisdem suscepti vel expulsi fuissent, tandem post anni revolutum circulum apud Aquas Grani famosissimum virtutibus Karolum defessi et nimio defecti repererunt circuitu. Venerunt autem illuc in maioris quadragesimae ebdomada maiore. Nuntiatique imperatori, dilati sunt ab eius conspectu usque in vigiliam paschae. Cumque in festivitate praecipua incomparabilis ille incomparabiliter adornatus fuisset, iussit introduci personas eius gentis, quae cuncto quondam esset orbi terribilis. Quibus tamen excellentissimus Karolus ita terrificus videbatur prae omnibus, quasi nunquam regem vel imperatorem prius vidissent. Quos ille blande susceptos hoc munere ditavit, ut quasi unus de filiis eius ubicunque vellent ambulandi, et singula quaequae perspiciendi, et quaecunque rogandi vel interrogandi licentiam haberent. Quo tripudio gestientes, ipsi adhaerere, ipsum inspicere, ipsumque admirari, cunctis orientalibus praeposuere divitiis. Adscendentesque in solarium quod ambit aedem basilicae, et inde despectantes clerum vel exercitum, iterumque et iterum ad imperatorem regredientes, propterque laetitiae magnitudinem retinere nequeuntes, complosis manibus aiebant: *Prius terreos tantum homines vidimus, nunc autem aureum.* Deinde ad singulos procerum accedentes, novitatemque vestimentorum sive armorum admirati, ad mirabiliorem sunt Augustum regressi. Quod cum eadem nocte et sequenti dominica iugiter in aecclesia facerent, in ipsa sacrosancta die ad opipare convivium opulentissimi Karoli cum Franciae Europaeve proceribus sunt invitati. Sed tamen rerum miraculo perculsi, propemodum exsurrexere ieiuni.

Postera Phoebea spargebat lampade terras,
Titoni croceum linquens Aurora cubile,

cum ecce quietis et otii impatientissimus Karolus ad venatum bisontium vel urorum in nemus ire, et Persarum nuntios secum parat educere. Qui cum ingentia illa viderent animalia, nimio pavore perculsi, in fugam conversi sunt. At non territus heros Karolus, ut in equo sedebat acerrimo, appropinquans uni eorum, extracta spata cervicem eius abscidere conabatur, sed frustrato ictu, galliculam regis et fasciolam ferus immanissimus disrumpens, tibiamque illius summo licet cornu perstringens, paulo tardiorem reddidit, et in convallem tutissimam, lignis et lapidibus asperatam, casso vulnere irritatus aufugit. Cumque ad obsequium domini cuncti pene hossas [1]) suas vellent extrahere, ille prohibuit dicens

[1]) Hosen.

Sic adfectus ad Hildigardam[1]) *venire debeo.* — — — — Attulerunt autem Persae imperatori elephantum et simias, opobalsamum, nardum, unguentaque varia, pigmenta, odoramenta, vel medicamenta diversissima, adeo ut orientem evacuasse, et occidentem viderentur implesse. Cumque multa apud imperatorem familiaritate uti coepissent, quadam die, cum iam laetiores essent et graecingaris fortiori incaluissent, ad Karolum serietate sobrietateque semper armatum iocylariter haec prolocuti sunt: *Magna quidem est, o imperator, potentia vestra, sed multo minor rumore, quo apud orientalia regna diffamati polletis.* Quo ille audito, et profundissima indignatione dissimulata, iculariter inquisivit ab eis: *Cur ita, filii mei, dicitis? vel hoc vobis unde videtur?* At illi repetentes a principio, narraverunt ei cuncta quae sibi in cismarinis partibus contigerunt, dicentes: *Nos Persae vel Medi, Armeniique vel Indi, Parthi et Elamitae, omnesque Orientales multo magis vos quam dominatorem nostrum Aaron timemus. De Macedonibus autem vel Achivis quid dicamus? qui iam iamque magnitudinem vestram plus se fluctibus Ionii oppressuram pavitant. Insulani autem omnes per quos iter habuimus, ad obsequium vestrum ita prompti sunt et intenti, quasi in palatio vestro nutriti fuerint, et beneficiis ingentibus honorati. Istarum autem partium primores, ut nobis videtur, non satis curant de vobis, nisi tantum in praesentia vestra. Nam cum eis, utpote peregrini, perinde suggereremus; ut aliquid nobis humanitatis in vestri amore, quia vos quaereremus, exhibere dignarentur, inaudiutos et vacuos dimiserunt.* Tunc imperator omnes comites et abbates, per quos idem missi profecti sunt, cunctis honoribus denudavit; episcopos autem infinitae pecuniae multavit vel damnavit; legatos vero cum ingenti cautela et honore ad usque proprios fines deduci praecepit.

9. Venerunt quoque ad eum legatarii regis Afrorum[2]), deferentes leonem Marmaricum, ursumque Numidicum cum ferrugine Hibera, Tyrioque murice et caeteris earundem regionum insignibus. Quam[3]) liberalissimus Karolus Libycosque iugi penuria confectos, Europae divitiis, frumento videlicet, vino et oleo, non solum tunc, sed et omni tempore vitae remunerans, et larga manu sustentans, subiectos sibi atque fideles in perpetuum retentavit, et ab eis non vilia tributa suscepit. Porro autem im-

1) Hildegard war schon längst todt, als die Gesandten des Kalifen an dem Hofe Karls erschienen. S. den Kommentar zu Kap. XIII. Anm. *).

2) Aus dem Königreiche Fez. S. Einhard, Annalen 797. 801.

3) Sc. *legationem*.

peratori Persarum direxit indefessus Augustus equos et mulos Hispanos, pallia Fresonica[1]) alba, cana, vermiculata vel saphirina, quae in illis partibus rara et multum cara comperit, canes quoque agilitate et ferocia singulares, quales ipse prius ad capiendos vel propellendos leones et tigrides postulavit. Qui caeteris muneribus quasi neglegenter inspectis, requisivit a missis quas feras et bestias canes illi debellare solerent. Cumque responsum acciperet, quia cuncta quibus inmissi fuissent, absque mora discerperent, *Hoc*, inquit, *rei probabit eventus*! Et ecce crastina die factus est maximus pastorum clamor, a facie leonis fugientium. Quod cum in aula regis fuisset auditum, dixit ad legatos: *O socii Franci, ascendite in equos vestros, et exite post me.* Qui statim, quasi nihil unquam laboris aut lassitudinis passi, alacriter sunt regem prosecuti. Quum autem ad conspectum leonis, eminus licet, ventum fuisset, dixit satraparum satrapa: *Instigate canes vestros in leonem.* Qui iussa complentes et acerrime advolantes, a Germanicis canibus Persicum leonem comprehensum, Hyperboreae venae gladiis duratis pro sanguine peremerunt. Quo viso, nominis sui fortissimus heres Aaron ex rebus minimis fortiorem Karolum deprehendens, his verbis in eius favorem prorupit: *Nunc cognosco, quam sint vera, quae audivi de fratre meo Karolo, quia scilicet assiduitate venandi et infatigabili studio corpus et animam exercendi cuncta quae sub coelo sunt, consuetudinem habet edomandi. Quid igitur ei possum condignum rependere, qui ita me curavit honorare? Si terram promissam Abrahae et exhibitam Josuae dedero illi, propter longinquitatem locorum non potest eam defensare a barbaris; vel si iuxta magnanimitatem suam defendere coeperit, timeo, ne finitimae regno Francorum provinciae discedant ab eius imperio. Sed tamen noc modo liberalitati eius gratificari tentabo. Dabo quidem illam in eam potestatem, et ego advocatus eius ero super eam; ipse vero, quandocunque voluerit, vel sibi opportunissimum videtur, dirigat ad me legatos suos, et fidelissimum me procuratorem eiusdem provinciae redituum inveniet.* Hoc ergo modo factum est, ut quod pro impossibili dixit poëta[2]);

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,

propter industriam vigorosissimi Karoli, exitum vel reditum missorum eius, et profectionem vel reversionem legatorum Aaron

---

[1]) *Friesröcke.* Nach *Wilken*, *Geschichte der Kreuzzüge*, Th. I, S. 26, Anm. 29, *Gewänder mit Franzen.*

[2]) *Virgil. Eclog.* I, 63.

de Parthia in Germaniam, sive de Germania in Parthiam, iuvenibus, pueris et senioribus non solum possibile, sed et facillimum videretur omnino, utrumlibet Ararim velint accipere grammatici, eum videlicet qui Rhenum, vel illum qui Rhodanum praecipitat, qui hoc locorum confuderant ignari. Ad huius rei testimonium totam ciebo Germaniam, quae temporibus gloriosissimi patris vestri Hludowici de singulis hobis [1]) ius regalium possessionum singulos denarios reddere compulsa est, qui darentur ad redemtionem Christianorum terram promissionis incolentium, hoc pro antiqua dominatione atavi vestri Karoli, avique vestri Hludowici ab eo miserabiliter implorantium.

XXVIII.

Epitaphium Hadriani I. Papae,

Caroli M. nomine compositum.

Hic Pater Ecclesiae, Romae decus, inclytus auctor,
  Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir, cui vita Deus, pietas lex, gloria Christus,
  Pastor apostolicus, promtus ad omne bonum.
Nobilis ex magna genitus iam gente parentum,
  Sed sacris longe nobilior meritis.
Exornare studens devoto pectore Pastor
  Semper ubique suo templa sacrata Deo,
Ecclesias donis, populos et dogmate sancto
  Imbuit, et cunctis pandit ad astra viam:
Pauperibus largus, nulli pietate secundus,
  Et pro plebe sacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
  Urbs caput orbis, honos, inclyta Roma, tuas.
Mors cui nil nocuit, Christi quae morte peremta est;
  Ianua sed vitae mors melioris erat.
Post Patrem lacrymans Carolus haec carmina scripsi:
  Tu mihi dulcis amor, te modo plango, Pater!
Tu memor esto mei, sequitur te mens mea semper;
  Cum Christo teneas regna beata poli.
Te clerus, populus magno dilexit amore;
  Omnibus unus amor, optime Praesul, eras.
Nomina iungo simul titulis, clarissime, nostra,
  Hadrianus, Carolus, Rex ego, tuque Pater.
Quisque legas versus, devoto pectore supplex,
  Amborum mitis, dic, miserere Deus.

---

[1]) *Hufen.*

XXIX.

Exemplar epistolae Stephani Papae ad domnum Carolum et Carlomannum Reges directae prohibendo, atque cum nimiis adjurationibus obligando, ut de gente Langobardorum uxores minime acciperent.

Domnis excellentissimis filiis Carlo et Carlomanno Regibus Francorum et Patriciis Romanorum Stephanus Papa. Dum omnium Electorum Dei praecipuam vitam, et digna operum merita in nostram memoriam revolvimus, invenimus profecto nulla eos potuisse qualitatis diversitate ab eorum cordis statu, et pristina sponsionis constantia amoveri. Unde et variis antiqui hostis suasionibus ac blandimentis circumvallati, immutabiles in suae mentis firmitate constat permansisse: et ob hoc cum triumpho victoriae ad optata pertingere meruerunt gaudia. Et nimirum considerandum est quia, si quis quibusdam suasionibus demulcitus, victus fuerit, a recto confestim tramite, qui ducit ad vitam aeternam, per abrupta declinans deviare contendat, ut ex hoc in proclivem delabatur noxam. Nam plerumque certum est quia idem antiquus hostis per infirmam naturam fidelium mentes subripere nititur. Hinc est enim quod olim primo homini in Paradiso constituto per infirmam mulieris naturam pestiferis valuit suadere blandimentis, divinum transgredi mandatum; et ob hoc dirae mortis humano generi inrepsit excidium. Et ideo, praecellentissimi filii, magni Reges tanto studiosius eiusdem molimini resistendum est, ne quemquam suis irretire valeat argumentis, quanto cernimus suis crebro insidiis ad decipiendum fidelium corda insistere.

Itaque nostrae perlatum est notioni, quod certe cum magno cordis dolore didicimus, quod Desiderius Langobardorum Rex vestrae persuadere dinoscitur Excellentiae, suam filiam uni ex vestra fraternitate in connubio copulare: quod certe, si ita est, haec propria diabolica est immissio: et non tam matrimonii coniunctio, sed consortium nequissimae adinventionis esse videtur. Quoniam plures comperimus, sicut divinae Scripturae historia instruimur, per aliae nationis iniustam copulam a mandatis Dei deviare, et in magno devolutos facinore. Quae est enim, praecellentissimi filii, magni Reges, talis desipientia, ut penitus vel dici liceat, quod vestra praeclara Francorum gens, quae super omnes gentes enitet, et tam splendiflua ac nobilissima regalis vestrae Potentiae proles, perfida (quod absit) ac foetentissima

Langobardorum gente polluatur; quae in numero gentium nequaquam computatur, de cuius natione et leprosorum genus oriri certum est? Nullus enim qui mentem sanam habet, hoc vel suspicari potest, ut tales nominatissimi Reges tanto detestabili atque abominabili contagio implicentur. Quae enim societas luci ad tenebras? aut quae pars fideli cum infideli? Etenim, mitissimi et a Deo instituti benignissimi Reges, iam Dei voluntate et consilio coniugio legitimo ex praeceptione genitoris vestri copulati estis, accipientes, sicut praeclari et nobilissimi Reges, de eadem vestra patria, scilicet ex ipsa nobilissima Francorum gente, pulcherrimas coniuges, et earum vos oportet amori esse adnexos.

Et certe non vobis licet, eis dimissis, alias ducere uxores, vel extraneae nationis consanguinitate immisceri. Etenim nullus ex vestris parentibus, scilicet neque avus vester, neque proavus, sed nec vester genitor, ex alio regno, vel extranea natione coniugem accepit. Et quis de vestro nobilissimo genere se contaminare aut commiscere cum horrida Langobardorum gente dignatus est, ut nunc vos suademini (quod avertat Dominus) eadem horribili gente pollui? Itaque nullus externae gentis assumpta coniuge, innoxius perseveravit. Advertite, quaeso, quanti qualesque Potentes per alienigena coniugia a praeceptis Dei declinantes, et suarum sequentes uxorem alienigenae gentis voluntatem, validis innexi excessibus, immensa pertulere dicrimina. Impium enim est ut vel penitus vestris ascendat cordibus, alias accipere uxores super eas, quas primitus vos certum est accepisse. Non vobis convenit tale peragere nefas, qui legem Dei tenetis, et alios, ne talia agant, corripitis. Haec quippe paganae gentes faciunt: nam absit hoc a vobis, qui perfecti estis Christiani, et gens sancta, atque regale estis Sacerdotium. Recordamini et considerate quia oleo sancto uncti per manus Vicarii B. Petri caelesti benedictione estis sanctificati; et cavendum vobis est ne tantis reatibus implicemini. Mementote hoc, praecellentissimi filii, quod sanctae recordationis praedecessor noster domnus Stephanus Papa excellentissimae memoriae genitorum vestrum obtestatus est ut nequaquam praesumeret dimittere domniam et genitricem vestram; et ipse, sicut revera Christianissimus Rex, eius salutiferis obtemperavit monitis.

Nam et illud Excellentiam vestram oportet meminisse, ita vos B. Petro et praefato Vicario eius, vel eius successoribus spopondisse, se amicis nostris amicos esse, et se inimicis inimicos, sicut et nos in eadem sponsione firmiter dinoscimur permanere. Et quomodo nunc contra animas vestras agere con-

tenditis et cum nostris inimicis coniunctionem facere vultis, dum ipsa periura Langobardorum gens semper Ecclesiam Dei expugnantes, et hanc nostram Romanorum Provinciam invadentes, nostri esse comprobantur inimici? Itaque et hoc peto, ad vestri referre studete memoriam, eo quod dum Constantinus imperator nitebatur persuadere sanctae memoriae mitissimo vestro genitori ad accipiendum coniugio filii sui germanam vestram nobilissimam Gisilam, neque vos aliae nationi licere copulari, sed nec contra voluntatem Apostolicae Sedis Pontificum quoquo modo vos audere peragere. Et quam ob causam nunc contra Apostolica mandata, et voluntatem Vicarii Apostolorum principis agere conamini, quod nunquam vester pater perpetravit? An nescitis quod non infelicitatem nostram, sed B. Petrum, cuius licet immeriti vices gerimus, spernitis? Scriptum est enim: Qui vos recipit, me recipit, et qui vos spernit, me spernit. Recordamini, peto, excellentissimi filii, quomodo vos fide dicere visus est praefatus vester dominus ac genitor, promittens in vestris animabus Deo et B. Petro, atque eius Vicario antefato sanctae recordationis praedecessori nostro domno Stephano Papae, firmiter debere vos permanere erga sanctae Ecclesiae fidelitatem, et omnium Apostolicae Sedis Pontificum obedientiam, et illibatam caritatem: et postmodum praedecessori nostro domno Paulo Papae eadem vos, una cum eodem vestro genitore, certum est plerumque per Missos et scripta promisisse: et post decessum antefati sanctae memoriae patris vestri, et vos ipsi saepius, tam per vestros Missos, quamque per litteras, simulque et per Sergium fidelissimum nostrum Nomenculatorem, et per alios nostros Missos nobis spopondistis in eadem vos vestra promissione, sicut genitor vester, circa sanctam Dei Ecclesiam et nostram fidelitatem esse perseveraturos.

Sed et illud quaeso ad vestram referte memoriam, qualiter vos praefatus domnus Stephanus Papa, in suo transitu, per sua scripta sub terribili adiuratione adhortari studuit, firma stabilitate vos esse permansuros erga dilectionem sanctae Dei Ecclesiae, et illibatam caritatem Apostolicae Sedis Pontificum; et omnia vos adimplere iuxta vestram eidem Dei Apostolo adhibitam sponsionem. Et nunc ista est vestra promissio? O quantum laborem sustinuit isdem praecipuus ac beatissimus Pontifex, qui ita imbecillis existens, tanto se exhibuit prolixi itineris periculo; et nisi Dominus praesto fuerit, in vacuum eius labor deducetur. Fuitque nobis iter illud, quod ibidem idem noster praedecessor in Franciam properavit, in magnam ruinam, dum nostri inimici plus

nunc quam pridem in superbiae ferocitatem elevati sunt. Et ecce, quod verebamur, evenire cernimus, conversaque est nostra laetitia in luctum, et facta sunt novissima mala peiora prioribus, et unde expectabamus nobis lumen oriri, eruperunt tenebrae.

Quapropter et B. Petrus princeps Apostolorum, cui regni caelorum claves a Domino Deo traditae sunt, et caelo ac terra ligandi solvendique concessa est potestas, firmiter Excellentiam vestram per nostram infelicitatem obtestatur; simulque et nos una cum omnibus Episcopis, Presbyteris, et caeteris Sacerdotibus, atque cunctis Proceribus, et Clero sanctae nostrae Ecclesiae Abbatibus etiam et universis religiosis divino cultui deditis, seu Optimatibus et Iudicibus, vel cuncto nostro Romanorum istius Provinciae populo, sub divini iudicii obtestatione vos adiuramus per Deum vivum et verum, qui est Iudex vivorum et mortuorum, et per eius ineffabilem divinae maiestatis potentiam, atque per tremendum futuri iudicii diem, ubi omnes Principes et Potestates, et cunctum humanum genus, cum tremore assistere habebimus; nec non et per omnia divina mysteria, et sacratissimum corpus B. Petri, ut nullo modo quisquam de vestra Fraternitate praesumat filiam iam dicti Desiderii Langobardorum Regis in coniugium accipere: nec iterum vestra nobilissima germana, Deo amabilis Gisila, tribuatur filio saepefati Desiderii: nec vestras quoquomodo coniuges audeatis dimittere. Sed magis recordantes quae B. Petro Apostolorum principi polliciti estis, viriliter eisdem nostris inimicis Langobardis resistite, distringentes eos firmiter ut propria sanctae Dei Ecclesiae Romanae Reipublicae reddere debeant, eo quod omnia quae vobis polliciti sunt transgredientes, nos cottidie adfligendo et opprimendo non cessant: etiam quia aliquid nobis reddere minime sunt inclinati; etiam et nostros invadere fines noscuntur, et tantummodo per argumentum in praesentia de vestris Missis simulant iustitias nobis facere. Nam nihil ad effectum perducitur, et quidquam ab eis de nostris iustitiis nequaquam recipere valuimus.

Unde ecce, ut cuncti nostri dolores subtiliter vestris auribus suggerantur, direximus nostros Missos, videlicet Petrum dilectum filium nostrum Presbyterum et Pamphilum Defensorem Regionarium sanctae nostrae Ecclesiae; quos et de imminente nobis tribulatione, necnon et de singulis causis subtiliter informavimus, vestro regali intimandis culmini. Et petimus ut solita benignitate eos suscipere nostraeque petitioni vestras a Deo inspiratas aures accommodare dignemini, et amplissimam liberationem atque exaltationem sanctae Dei Ecclesiae, spiritalis matris vestrae,

et istius a vobis redemptae Provinciae defensionem perficere iubeatis, ut perfectam remunerationem a iusto Iudice Deo nostro, intercedente eius principe Apostolorum B. Petro, suscipiatis.

Praesentem itaque nostram exhortationem atque adiurationem in Confessione B. Petri ponentes, et sacrificium super eam atque hostias Deo nostro offerentes, vobis cum lacrymis ex eadem sacra Confessione direximus. Et si quis, quod non optamus, contra huiusmodi nostrae adiurationis atque exhortationis seriem agere praesumpserit, sciat se auctoritate domini mei B. Petri Apostolorum principis anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, atque cum diabolo et eius atrocissimis pompis et ceteris impiis, aeternis incendiis concremandum deputatum. At vero qui observator et custos istius nostrae exhortationis exstiterit, caelestibus benedictionibus a Domino Deo nostro illustratus, aeternis praemiorum gaudiis cum omnibus Sanctis et Electis Dei, particeps effici mereatur. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

XXX.

Karl auf der Jagd unter seinen Kindern [1]).

(Angilberti Carmen, Lib. III, v. 137 — 266. Pertz, II, p. 395 — 398.)

Non procul excelsa nemus est et amoena vireta,
Lucus ab urbe [2]), virens, et prata recentia rivis
Obtinet in medio, multis circumsita muris.
Hic amnem circumvolitat genus omne volucrum;
In ripis resident rimantes pascua nostris,
Nunc procul in medio summergunt flumine sese,
Nunc quoque praecipiti properant ad littora cursu.
Hosque toros iuxta cervorum pascitur agmen
Riparum in longa, per amoenaque pascua, valle.
Huc illuc timido discurrit damula gressu,
Fronde retecta vacat, passim genus omne ferarum
His latet in silvis. Etenim nemora inter opaca
Hic pater assidue Carolus, venerabilis heros,
Exercere solet gratos per gramina ludos,
Atque agitare feras canibus tremulisque sagittis,
Sternere cornigeram nigraque sub arbore turbam.

---

1) Zu Kap. XIX. — 2) Aachen.

Exoritur radiis cum primum Phoebus honestis,
Et iubar ignicomo perlustrat lumine montes
Praecipites scopulos et summa cacumina tangens,
Silvarum thalamo properat dilecta iuventus.
Regali, parte ex omni collecta, resistit [1])
Nobilium manus exspectans in limine primo.
Fit strepitus, clamor consurgit vastus in urbe
Desuper ex alto respondent culmine tecta
Aerea; praecipuus conspirat stridor in auras.
Hinnit equusque ad equum, conclamat turba pedestris,
Inque vicem proprio revocatur pignore quisque
Ad dominum famulusque suum, sequiturque vocantem.
Hic phaleratus equus gravidis auroque metallis,
Terga recepturus regem in sua gaudet opimum;
Stans movet acre caput, montes cupit ire per altos.
Egreditur tandem; circumstipante caterva,
Europae veneranda pharus se prodit ad auram.
Enitet eximio vultu, facieque coruscat;
Nobile namque caput precioso amplectitur auro,
Rex Carolus; cunctos humeris supereminet altis.
Lata ferunt iuvenes ferro venabula acuto,
Retia quadruplici iniunctaque linea limbo,
Atque canes avidos ducunt per colla revinctos,
Ab praedam faciles furiosoque ore molossos.
Iam pater excelsi Carolus sacra limina templi
Deseruit; mox castra ducum comitesque priores
Movere; altae urbis panduntur classica portae.
Cornua concrepitant, fragor ingens atria complet,
Praecipitique ruunt iuvenes ad litora cursu.
Hinc thalamo cunctata diu regina superbo
Procedit, multa circum comitante caterva,
Liutgardis, Caroli pulcherrima, nomine coniux.
Fulgida colla nitent roseo simulata colore;
Cedit opimum etenim redimitis crinibus ostrum;
Candida purpureis cinguntur tempora vittis;
Aurea fila ligant chlamydem, cupitique beryllus
Inseritus, radians claro diadema metallo
Enitet, et vestis biscocco purpura bysso;
Ornantur variis radiantia colla lopillis.
Agmina seiungit pulchris stipata puellis;
Magnanimos inter proceres regina superbo
Gaudet equo, et iuvenum circum manus emicat ardens.
Caetera regalem pubes pulcherrima prolem
Exspectat foribus. Turmis comitatus opimis,
More patri et vultu similis, procedere tandem

[1]) I. e. consistit.

Tentat item Carolus, genitoris nomine pollens:
Terga ferocis equi solito de more fatigat.
Hinc Pippinus avi sequitur de nomine dictus,
Restaurat proprii qui publica gesta parentis,
Bellipotens, animosus heros, fortissimus armis,
Seque suos inter famulos fert ductor opimum.
Coetibus innumeris circumdatus, enitet alto
Vectus equo, eximio vultu facieque coruscans,
Tempora cui rutilo cinguntur pulchra metallo.
Circumfusa ruit comitantum turba rotatu
Per patulas portas, certatim exire senatus
Conatur magno cum murmuris inde tumultu.
Cornua rauca sonant, avido latratibus auras
Complent ore canes, fragor ignea sidera pulsat.
Inde puellarum sequitur mox ordo coruscus;
Rhodrud ante alias rapidoque invecta puellas
Fulget equo, et placidum prior occupat ordine gressum.
Immixta est niveis amethystina vitta capillis,
Ordinibus variis gemmarum luce coruscans;
Namque corona caput preciosis aurea gemmis
Implicat, et pulchrum subnectit fibula amictum.
Virgineos interque choros turbamque sequentem
Proxima Berta nitet, multis sociata puellis.
Voce, virili animo, habitu vultuque corusco,
Os, mores, oculos, imitantia pectora patris
Fert; caput aurato diademate cingitur almum.
Aurea se niveis commiscent fila capillis;
Lactea quippe ferunt preciosam colla murinam [1]).
Ornatur vestis variis speciosa lapillis
Ordine, gemmarum numerosa luce coruscat
Bractea, chrysolithis ornantur tegmina gemmis.
Gisala post istas sequitur candore coruscans;
Virgineo comitata choro, micat aurea proles.
Tecta melocineo [2]) fulgescit femina amictu,
Mollia purpureis rutilant velamina filis,
Vox, facies, crines, radianti luce coruscant.
Splendida colla nitent roseo inflammata rubore,
Aregnto stat facta manus, frons aurea fulget,
Et magnum vincunt oculorum lumina Phoebum.
Laeta super rapidum conscendit virgo caballum;
Frena superbus equus spumantia dente volutat.
Hinc comitata viris, illinc stipata puellis
Innumeris circum, circumstrepit agmen equorum.

---

1) Hermelinpelz.

2) *Isidor.* Origg. XIX, 22: *Melocinia, quae malvarum stamine conficitur, quam alii melocinam alii malvellam vocant.* *Papias: Melocina vestis, quae albo stamine fit.* Pertz.

His cumulata bonis praecelsa solaria linquens,
Virgo pudica pii sequitur vestigia regis.
Rhodhuid inde micat multis ornata metallis;
Agmen ovans rapido praecedit femina gressu.
Pectora, colla, comae, lucent variata lapillis,
Serica et ex humeris dependent pallia pulchris.
Inseritur capiti nitido gemmata corona;
Stringit acus chlamydem gemmatis aurea bullis.
Pulchra vehetur equo Rhodhaidis virgo superbo,
Quo latitare solent hirsuto tergore cervi
Interea ingreditur vultu Theodrada corusco,
Fronte venusta nitens, et cedit crinibus aurum.
Pulchra peregrinis conlucent colla smaragdis,
Pes, manus, ora, genae, cervix radiata nitescit.
Clara serenatis fulgescunt lumina flammis,
Pallia permixtis lucent hyacinthina talpis [1])
Clara Sophocleoque ornatur virgo cothurno.
Turba puellarum circumstrepit agmine denso,
Atque venusta cohors procerum nitet ordine longo.
Et sedet in niveo pulcherrima virgo caballo,
Acri fertur equo Caroli pia filia regis;
In nemus ire parat, sacrata palatia liuquens.
Agminis extremam partem sibi vindicat Hildrud,
Illi sorte datur; dehinc ultimus ordo senatum [2]).
Ipsa autem medio fulgescit in agmine virgo
Temperat expositum spatii moderamine gressum.

XXXI.

Ultimi vitae anni Karoli Imperatoris.

(Thegani, Vita Hludowici Imperatoris, cap. VI sq. Pertz vol. II, p. 591 sq.)

Supradictus vero imperator cum iam intellexit adpropinquare sibi diem obitus sui — senuerat enim valde — vocavit filium suum Hludovicum ad se cum omni exercitu, episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, locopositis [3]): habuit generale colloquium cum eis Aquis Grani palatio pacifice et honeste, ammonens ut fidem erga filium suum ostenderent, interrogans omnes a maximo usque ad minimum, si eis placuisset, ut nomen suum, id est im-

---

[1]) Pelle nigra? — Pertz. — [2]) i. e. senatorum. — [3]) Vicariis. — Pertz.

peratoris, filio suo Hludowico tradidisset. Illi omnes exultando responderunt, Dei admonitionem esse illius rei. Quod factum in proxima dei dominica ornavit se cultu regio, et coronam capiti suo imposuit; incedebat clare decoratus et ornatus, sicut ei decuerat. Perrexit ad ecclesiam, quam ipse a fundamento construxerat, pervenit ante altare quod erat in eminentiori loco constructum caeteris altaribus, et consecratum in honore domini nostri Jesu Christi; super quod coronam auream, aliam quam ille gestabat in capite suo, iussit imponi. Postquam diu oraverunt ipse et filius eius, locutus est ad filium suum coram omni multitudine pontificum et optimatum suorum, admonens eum imprimis omnipotentem Deum diligere ac timere, eius praecepta servare in omnibus, ecclesias Dei gubernare et defendere a pravis hominibus. Sororibus suis et fratribus qui erant natu iuniores, et nepotibus et omnibus propinquis suis indeficientem misericordiam semper ostendere praecepit. Deinde sacerdotes honorare ut patres, populum diligere ut filios, superbos et nequissimos homines in viam salutis coactos dirigere, coenobiorum consolator fuisset et pauperum pater. Fideles ministros et Deum timentes constitueret, qui munera in iusto odio haberent. Nullum ab honore suo sine causa discretionis eiecisset, et semetipsum omni tempore coram Deo et omni populo inreprehensibilem demonstrare. Postquam haec verba et alia multa coram multitudine filio suo ostenderet, interrogavit eum, si obediens voluisset esse praeceptis suis. At ille respondit, libenter obedire, et cum Dei adiutorio omnia praecepta, quae mandaverat ei pater, custodire. Tunc iussit eum pater, ut propriis manibus elevasset coronam, quae erat super altare, et capiti suo imponeret ob recordationem omnium praeceptorum, quae mandaverat ei pater. At ille iussionem patris implevit. Quod factum, audientes missarum sollemnia ibant ad palatium. Sustinuit enim filius patrem eundo et redeundo, quamdiu cum eo erat filius. Non post multos dies magnificis donis et innumeris honoravit eum pater suus, et dimisit eum ire Aquitaniam. Antequam divisi fuissent, amplexantes enim se et osculantes, propter gaudium amoris flere coeperunt. Ille perrexit in Aquitaniam, et domnus imperator tenuit regnum et nomen suum honorifice, sicut dignum erat.

Postquam divisi fuerant, domnus imperator nihil aliud coepit agere, nisi in orationibus et eleemosynis vacare et libros corrigere. Et quatuor evangelia Christi, quae praetitulantur nomine Matthaei, Marci, Lucae et Johannis, in ultimo ante obitus sui

diem cum Graecis et Syris optime correxerat[1]). Sequenti vero anno, qui est annus regni eius 46, mense Ianuario accepit domnum imperatorem post balneum febris. Cumque per singulos dies languor ingravesceret, nihil comedens neque bibens, nisi modicum aquae ad recreatienem corporis, septimo die postquam laborare nimis secum coepit, iussit familiarissimum pontificem suum Hildibaldum venire ad se, ut ei sacramenta dominici corporis et sanguinis tribueret, ut exitum suum confirmaret. Quod factum, laboravit in infirmitate diem illum et noctem sequentem. In crastimum vero, luce adveniente, sciens quod facturus erat, extensa manu dextera, virtute qua poterat, signum sanctae crucis fronti imprimens, et super pectus et omne corpus consignavit. Novissime autem colligens pedes suos, extendens brachia et manus super corpus, clausit oculos suos, psallens hunc versum leniter: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Statim post haec in senectute bona plenus dierum perrexit in pace: ipso eodemque die humatum est corpus eius in ecclesia, quam ipse construxerat Aquis grani palatio, anno aetatis suae 72, indictione septima.

XXXII.

Karoli Magni Capitulare de Villis[2]).

Datum per annos regni illius, id est, antequam fieret Imperator.

Cap. I. Volumus ut villae[3]) nostrae, quas ad opus nostrum serviendum institutas habemus, sub integritate partibus nostris deserviant, et non aliis hominibus.

II. Ut familia nostra bene conservata sit, et a nemine in paupertate missa.

III. Ut non praesumant iudices nostram familiam in eorum

---

[1]) Vergl. *Constitut. de emendatione et off. eccles.* ap. *Walter*, II, p. 64.

[2]) Von diesem Capitulare, welches eben so wie der Brief an die Königin Fastrada wol aus Karls eigener Feder geflossen, ist nur Eine Handschrift und zwar zu Helmstädt vorhanden. P. J. Bruns (*Beitr. zu den deutschen Rechten des Mittelalters*, Helmst. 1799.) hat sie von neuem verglichen und dessen Ausgabe ist von *Walter*, *Corp. iuris German. antiq.*, Vol. II, p. 132—141, wiederholt worden. Uebersetzt und erklärt ist das Capitulare von *Anton*, *Geschichte der deutschen Landwirthschaft*, Th. I, S. 177 ff. Andere Uebersetzung von *Ress*, *Des Kaisers Karls des Grossen Capitulare de Villis, zum Belege seiner Staats- und Landwirthschaftskunde.* Helmst. 1794, 8.

[3]) *Weiler.*

servitium ponere, non corvadas [1]), non materiam caedère [2]), nec aliud opus sibi facere cogant, et neque ulla dona ab ipsis accipiant, non caballum, non bovem, non vaccam, non porcum, non berbicem [3]) non porcellum, non agnellum, nec aliam causam, nisi buticulas, et ortum [4]), poma, pullos et ova.

IV. Si familia nostra partibus nostris aliquam fecerit fraudem, de latrocinio, aut alio neglecto, illud in caput conponat, de reliquo vero pro lege recipiat disciplinam vapulando, nisi tantum pro homicidio et incendio, unde feida [5]) exire potest. Ad reliquos autem homines iustitiam eorum qualem habuerint reddere studeant, sicut lex est. Pro feida vero nostra ut diximus familia vapuletur. Franci autem qui in fiscis [6]) aut villis nostris commanent quidquid commiserint secundum legem eorum emendare studeant; et quod pro feida dederint ad opus nostrum veniat, id est in peculio aut in alio precio.

V. Quando iudices nostri labores nostros facere debent, seminare aut arare, messes colligere, fenum secare, aut vindemiare, unusquisque in tempore laboris ad unumquemque locum praevideat ac instituere faciat quomodo factum sit ut bene salva sint. Si intra patriam non fuerit et in quale loco iudex venire non potuerit, missum bonum de familia nostra, aut alium hominem bene creditum, causas nostras providendo dirigat qualiter ad profectum veniant, et iudex diligenter praevideat, ut fidelem hominem transmittat ad hanc causam providendam.

VI. Volumus ut iudices nostri decimam, ex omni conlaboratu [7]) pleniter donent ad ecclesias quae sunt in nostris fiscis, et ad alterius ecclesiam nostra decima data non fiat, nisi ubi antiquitus institutum fuit, et non alii clerici habeant ipsas ecclesias, nisi nostri, aut de familia aut de capella nostra.

VII. Ut unusquisque iudex suum servitium pleniter perficiat, sicut ei fuerit denuntiatum, et si necessitas evenerit quod plus servire debeat tunc computare faciat si servitium debeat multiplicare vel noctes.

VIII. Ut iudices nostri vineas recipiant nostras, quae de eorum sunt ministerio et bene eas faciant, et ipsum vinum in bona mittant vascula, et diligenter praevidere faciant quod nullo modo naufragatum sit [8]), alio vero vino peculiare comparando emere

---

1) Vorspann. — 2) Holzfällen. — 3) Mutterschaaf.
4) Hülsenfrüchte übersetzt *Anton*. Oder statt *hordeum*?
5) Genugthuung, Schadenersatz. — 6) Kammergüter, Domänen.
7) Wirthschaftszweigen. — 8) Umschlagen.

faciant, unde villas dominicas condirigere possint, et, quandoquidem plus de ipso vino comparatum fuerit quam ad villas nostras condirigendum mittendi opus sit, nobis innotescat, ut nos commendemus, qualiter nostra fuerit exinde voluntas. Cippaticos[1]) enim de vineis nostris ad opus nostrum mittere faciant, censa de villis nostris, qui vinum debent, in collaria nostra mittant.

IX. Volumus ut unusquisque iudex in suo ministerio mensuram modiorum sextariorum, et siculas per sextaria octo et corborum eo tenore habeant, sicut et in palatio habemus.

X. Ut maiores nostri et forestarii, poledrarii[2]), cellerarii, decani[3]), telonarii[4]), vel ceteri ministeriales rega faciant, et sogales[5]) donent de mansis[6]) eorum. Pro manu opera vero eorum ministeria bene praevideant et qualiscunque maior habuerit beneficium, suum vicarium mittere faciat qualiter et manu opera et caeterum servitium pro eo adimplere debeat.

XI. Ut nullus iudex mansionaticos[7]) ad suum opus nec ad suos canes super homines nostros atque in forestes nullatenus prendant.

XII. Ut nullus iudex obsidem[8]) nostrum in villa nostra commendare faciat.

XIII. Ut equos emissarios[9]) id est waraniones[10]) bene praevideant, et nullatenus eos in uno loco diu stare permittant, ne forte pro hoc pereat, etsi aliquis talis est quod bonus non sit, aut veteranus sit; si vero mortuus fuerit, nobis nuntiare faciant, tempore congruo, antequam tempus veniat, ut inter iumenta[11]) mitti debeant.

XIV. Ut iumenta nostra bene custodiant, et poledros[12]) ad tempus segregent, et si pultraellae[13]) multiplicatae fuerint separatae fiant, et gregem per se exinde adunare faciant.

XV. Ut poledros nostros missa sancti Martini hyemale ad polatium omnimodis habeant.

---

1) Senker. — 2) Folenhüter. (Folen = πῶλος.) — 3) Vögte.

4) *Zöllner.* Man bemerke den Uebergang von *T* in *Z* nach dem Gesetze der *Lautverschiebung*. Vergl. *Zeune*, *Nibelungen Noth und Klage*, übers. 1836, 8. S. 413. *Zeune* könnte in früherer Zeit *Theganus* geheissen haben.

5) Ackerzins. (d. h. Roggen = *secale*.)

6) Hufen. *Mannsmad* (so viel als ein Mann mähen kann) übersetzt *Pfister*, *Geschichte der Teutsch.* I. S. 447 mit einem in Oberdeutschland noch üblichen Ausdruck.

7) Hufenbesitzer. — 8) Gast, Fremder. — 9) Beschäler.

10) Kriegsrosse. — 11) Stuten. — 12) Hengstfolen.

13) Stutenfüllen.

XVI. Volumus ut quicquid nos aut regina unicuique iudici ordinaverimus, aut ministeriales nostri, sinescalcus et buticularius de verbo nostro aut reginae, ipsis iudicibus ordinaverit, ad eorundem placitum sicut eis institutum fuerit, impletum habeant, et quicunque per negligentiam dimiserit, a potu se abstineat, postquam ei nuntiatum fuerit, usquedum in praesentia nostra aut reginae veniat, et a nobis licentiam quaerat absolvendi, et si iudex in exercitu aut in wacta, seu in ambasiato vel aliubi fuerit, et iunioribus eius aliquid ordinatum fuerit, et non conplacuerint, tunc ipsi pedestres ad palatium veniant, et a potu et carne se abstineant. Interim quod rationes deducant, propter quod hoc dimiserunt et tunc recipiant sententiam, aut in dorso, aut quomodo nobis vel reginae placuerit.

XVII. Quantascunque villas unusquisque in ministerio habuerit, tantos habeat deputatos homines, qui apes ad nostrum opus praevideant.

XVIII. Ut ad farinarios [1]) nostros pullos et aucas [2]) habeant iuxta qualitatem farinarii, vel quantum melius potuerint.

XIX. Ad scuras [3]) nostras in villis capitaneis pullos habeant, non minus C, et aucas non minus XXX, ad mansioniles [4]) vero pullos habeant non minus L, aucas non minus quam XII.

XX. Unusquisque iudex fructa semper habundanter faciat omni anno ad curtem [5]) venire, excepto visitationes eorum per vices tres, aut quattuor seu amplius dirigant.

XXI. Vivarios in curtis nostris unusquisque iudex ubi antea fuerunt habeat, et si augeri potest, augeat, et ubi antea non fuerunt, et modo esse possunt, noviter fiant.

XXII. Coronas de racemis [6]) qui vineas habuerint, non minus tres aut quatuor habeant.

XXIII. In unaquaque villa nostra habeant iudices, vaccaritias, porcaritias, berbicaritias, capraritias, hircaritias, quantum plus potuerint, et nullatenus sine hoc esse debent, et insuper habeant vaccas ad illorum servitium perficiendum commendatas per servos nostros, qualiter pro servitio ad dominicum opus vaccaritias vel carrucas [7]) nullo modo minoratae sint, et habeant quando servierint ad canes dandum, boves cloppos [8]) non languidos, et vaccas sive caballos, non scabiosos, aut alia

1) Mühlen. — 2) Gänse. — 3) Scheuer. — 4) Hufengüter.
5) Wirthschaftshof.
6) D. h. öffentliche Schenken, wo Kränze ausgehangen werden, wie noch heutiges Tages in Sachsen der Fall ist.
7) Pflüge. — 8) lahm, aber nicht krank.

pecora non languida, et ut diximus pro hoc vaccaritias, vel carrucas non minorent.

XXIV. Quicquid ad discum[1]) nostrum dare debet, unusquisque iudex in sua habeat plebio[2]), qualiter bona et optima atque bene studiose et nitide omnia sint composita, quicquid dederint, et unusquisque iudex habeat de annona pastos per singulos dies ad suum servitium ad mensam nostram quando servierit, et reliqua dispensa similiter in omnibus bona sit, tam farina, quam et peculium.

XXV. De pastione[3]) autem kal. Septb. indicare faciant, si fuerit aut non.

XXVI. Maiores vero amplius in ministerio non habeant, nisi quantum in una die circumire, aut praevidere potuerint.

XXVII. Casae nostrae indesinenter foca et wactas habeant, ita ut salvae sint, et quando missi vel legatio ad palatium veniunt vel redeunt, nullo modo in curtis dominicis mansionaticas prendant, nisi specialiter iussio nostra aut reginae fuerit, et comes de suo ministerio vel homines illi qui antiquitus consueti fuerunt missos aut legationes soniare[4]), ita et modo in antea, et de paraveredis[5]), et omnia eis necessaria solito more soniare faciant, qualiter bene et honorifice ad palatium venire, vel redire possint.

XXVIII. Volumus ut per annos singulos intra quadragesima dominica in palmis quae osanna dicitur, iuxta ordinationem nostrum, argentum de nostro laboratu[6]), postquam cognoverimus de praesenti anno quantum sit nostra laboratio deferre studeant.

XXIX. De clamatoribus[7]) ex hominibus nostris unusquisque iudex praevideat, ut non sit eis necesse venire ad nos proclamare, et dies quos servire debet, per neglegentiam non dimittat perdere, et si habuerit servus noster forinsecus iustitias ad quaerendum, magister eius cum omni intentione decertet pro eius iustitia, et si aliquo loco minime eam accipere valuerit, tamen ipso servo nostro, pro hoc fatigare non permittat, sed magister eius per semet ipsum, aut suum missum hoc nobis notum facere studeat.

XXX. Volumus unde servire debent ad opus nostrum ex omni conlaboratu eorum servitium segregare faciant, et unde

---

1) Tisch. — 2) Verschluss. — 3) Es ist die Eichelmast gemeint.
4) verpflegen.
5) Vorspann: hiervon das deutsche *Pferde*. — 6) Erwerb.
7) Diejenigen, welche appelliren.

carra *in* hostem caregare debent similiter segregent, tam per domos quam et per pastores, et sciant quantum ad hoc mittunt.

XXXI. Ut hoc quod ad proveredarios vel genitias[1]) dare debent, simili modo unoquoque anno separare faciant, et tempore oportuno pleniter donent, et nobis dicere sciant, qualiter inde faciunt, vel unde exit.

XXXII. Ut unusquisque iudex praevideat quomodo sementem bonam et optimam semper de comparatu vel aliunde habeat.

XXXIII. Post ista omnia segregata et seminata atque peracta quicquid reliquum fuerit exinde de omni conlaboratu usque ad verbum nostrum salvetur, quatenus secundum iussionem nostram aut venundetur aut reservetur.

XXXIV. Omnino praevidendum est cum omni diligentia ut quicquid manibus laboraverint aut fecerint, id est lardum, siccamen[2]), sulcia[3]), niusaltus[4]) vinum, acetum, moratum[5]), vinum coctum, garum[6]), sinapi, formaticum[7]), butirum, bracios[8]), cervisas, medum[9]), mel, ceram, farinam, omnia cum summo nitore sint facta vel parata.

XXXV. Volumus ut de berbicibus crassis soccia[10]) fiat sicut et de porcis, et insuper habeant boves saginatos[11]) in unaquaque villa non minus quam duos, aut ibidem ad socciandum aut ad nos deducendum.

XXXVI. Ut silvae vel forestes nostrae bene sint custoditae, et ubi locus fuerit ad stirpandum[12]), stirpare faciant, et campos de silva increscere non permittant, et ubi silvae debent esse non eas permittant nimis capulare[13]), atque damnare, et feramina nostra inter forestes bene custodiant, similiter acceptores[14]) et spervarios[15]) ad nostrum profectum praevideant, et censa nostra exinde diligenter exactent, et iudices si eorum porcos ad saginandum in silvam nostram miserint, vel maiores nostri, aut homines eorum, ipsi primi illam decimam donent, ad exemplum bonum proferendum, qualiter in postmodum, caeteri homines illorum decimam pleniter persolvent.

XXXVII. Ut campos et culturas nostras bene componant, et prata nostra ad tempus custodiant.

XXXVIII. Ut aucas pastas, et pullos pastos ad opus nostrum

---

[1]) **Weiberhäuser.** — [2]) **Geräuchertes Fleisch.**
[3]) **Sülze, Wurst (*saucis.*)** — [4]) **Neugesalzenes Fleisch.**
[5]) **Maulbeerwein? Brombeerwein.** — [6]) **Fischsaft, Lake.**
[7]) **Geformter Käse.** — [8]) **Matz.** — [9]) **Meth.** — [10]) **Schmeer, Inselt.**
[11]) **Mastochsen.** — [12]) **Ausroden.** — [13]) **Behauen.** — [14]) **Falken.**
[15]) **Sperber.**

semper quando servire debent, aut ad nos transmittere sufficienter habeant.

XXXIX. Volumus ut pullos et ova quos servientes vel mansuarii[1]) reddunt per singulos annos, recipere debeant, et quando non servierint, ipsos venundare faciant.

XL. Ut unusquisque iudex per villas nostras singulares etlehas[2]), pavones, fasianos, enetas, columbas, perdices, turtures, pro dignitatis causa omnimodis semper habeant.

XLI. Ut aedificia intra curtes nostras, vel sepes in circuitu bene sint custoditae, et stabula, vel coquinae, atque pistrina, seu torcularia, studiose praeparatae fiant, quatenus, ibidem condigne ministeriales nostri officia eorum bene nitide peragere possint.

XLII. Ut unaquaeque villa intra cameram, lectaria, culcitas[3]), plumatias, batlinias[4]), drappos ad discum bancales[5]), vasa aerea, plumbea, ferrea, lignea, andedos[6]), catenas, cramaculos[7]), dolaturas[8]), secures, id est cuniadas[9]), terebras, id est taradros[10]) scalpros, vel omnia utensilia ibidem habeant, ita ut non sit necesse, aliubi hoc quaerere, aut commodare, et ferramenta quod in hostem ducunt, in eorum habeant plebio qualiter bona sint, et iterum quando revertuntur in camera mittantur.

XLIII. Ad genitia nostra sicut institutum est opera ad tempus dare faciant, id est linum, lanam, waisdo[11]), vermiculo[12]), warentia[13]), pectinos laninas, cardones, saponem, unctum[14]), vascula, vel reliqua minutia[15]), quae ibidem necessaria sunt.

XLIV. De quadragesimale[16]) duae partes ad servitium nostrum veniant per singulos annos, tam de leguminibus quamque et de piscato, seu formatico, butirum, mel, sinape, aceto, milio, panico[17]), herbulas siccas vel virides, radices[18]), napos, insuper et ceteram[19]) vel saponem atque cetera minutia. Et quod reliquum fuerit, nobis per brevem sicut supra diximus innotescant, et nullatenus hoc praetermittant sicut usque nunc fecerunt, quia per illas duas partes volumus cognoscere, de illa tertia quae remansit.

XLV. Ut unusquisque iudex in suo ministerio bonos habeat artifices, id est fabros ferrarios, et aurifices, vel argentarios, su-

---

1) Hüfner. — 2) Edle Hühner. — 3) Pfühle. — 4) Bettücher.
5) Tücher auf die Fischbänke. — 6) Brandröden; Feuerböcke.
7) Kesselhaken, *Krammen.* — 8) Haken. — 9) Spitzhaken.
10) Hohlbohrer. — 11) Waid. — 12) Rothgefärbte Wolle, *vermeil.*
13) Färberröthe. — 14) Schmeer. — 15) Abgang. — 16) Fastenspeise.
17) Fenchelhirse. (*Panicum italicum.*) — 18) Rettiche.
19) Milzkraut, *Asplenium.*

tores, tornatores[1]) carpentarios, scutarios, piscatores, aucipites, id est aucellatores[2]), saponarios, ficeratores[3]), id est qui cervisam vel pomatium, sive piratium, vel aliud quodcunque liquamen ad bibendum aptum fuerit facere sciant, pistores qui similam ad opus nostrum faciant, retiatores, qui retia facere bene sciant, tam ad venandum, quam ad piscandum, sive ad aves capiendum, necnon et reliquos ministeriales quos ad numerandum longum est.

XLVI. Ut lucos nostros, quos vulgus brogilos[4]) vocat, bene custodire faciant, et ad tempus semper emendent, et nullatenus exspectent ut necesse sit a novo reaedificare, similiter faciant et de omni aedificio.

XLVII. Ut venatores nostri, et falconarii vel reliqui ministeriales, qui nobis in palatio adsidue deserviunt, consilium in villas nostras habeant secundum quod nos aut regina per litteras nostras iusserimus, quando ad aliquam utilitatem nostram eos miserimus, aut sinescalcus et buticularius de nostro verbo eis aliquid facere praeceperint.

XLVIII. Ut torcularia in villis nostris bene sint praeparata, et hoc praevideant iudices, ut vindemia nostra nullus pedibus premere praesumat, sed omnia nitida et honesta sint.

XLIX. Ut genitia nostra bene sint ordinata, id est de casis, pislis[5]), teguriis[6]), id est screonis[7]), et sepes bonas in circuitu habeant, et portas firmas qualiter opera nostra bene peragere valeant.

L. Ut unusquisque iudex praevideat, quanti poledri in uno stabulo stare debeant, et quanti poledrarii cum ipsis esse possint, et ipsi poledrarii, qui liberi sunt, et in ipso ministerio beneficia habuerint, de illorum vivant beneficiis, similiter et fiscalini, qui mansas habuerint inde vivant, et qui hoc non habuerit de dominica accipiat provendam[8]).

LI. Praevideat unusquisque iudex ut sementia nostra nullatenus pravi homines subtus terram, vel aliubi abscondere possint, et propter hoc messis rarior fiat, similiter et de aliis maleficiis illos praevideant ne aliquando facere possint.

LII. Volumus ut de fiscalis vel servis nostris, sive de ingenuis qui per fiscos, aut villas nostras commanent diversis hominibus plenam et integram qualem habuerint reddere faciant iustitiam.

---

1) Büttner. — 2) Falkner. — 3) Brauer. — 4) Brühle.
5) Arbeitsstuben. — 6) Schuppen. — 7) Schreine.
8) Pfründe, Deputat.

LIII. Ut unusquisque iudex praevideat qualiter homines nostri de eorum ministerio latrones vel malefici nullo modo esse possint.

LIV. Ut unusquisque iudex praevideat quatenus familia nostra ad eorum opus bene laboret et per mercata vacando non eat.

LV. Volumus ut quicquid ad nostrum opus iudices dederint, vel servierint, aut sequestraverint in uno breve conscribi faciant, et quicquid dispensaverint in alio, et quod reliquum fuerit nobis per brevem innotescant.

LVI. Ut unusquisque iudex in eorum ministerio frequentius audientias teneat, et iustitiam faciat, et praevideat qualiter recte familiae nostrae vivant.

LVII. Si aliquis ex servis nostris super magistrum suum nobis de causa aliquid vellet dicere, vias ei ad nos veniendi non contradicat, et si iudex cognoverit quod iuniores illius adversus eum ad palatium proclamando venire velint, tunc ipse iudex contra eos rationes deducendi ad palatium venire faciat, qualiter eorum proclamatio in auribus nostris fastidium non generet, et sic volumus cognoscere utrum ex necessitate, an ex occasione veniant.

LVIII. Quando catelli[1]) nostri iudicibus commendati fuerint ad nutriendum, ipse iudex de suo eos nutriat, aut iunioribus suis id est maioribus, et decanis, vel cellerariis ipsos commendare faciat, quatenus de illorum causa eos bene nutrire faciant, nisi forte iussio nostra aut reginae fuerit, ut in villa nostra ex nostro eos nutriant, et tunc ipse iudex hominem ad hoc opus mittat, qui ipsos bene nutriat, et segreget unde nutriantur, et non sit illi homini quotidie necessitas ad scuras recurrere.

LIX. Unusquisque iudex quando servierit per singulos dies dare faciat de cera libras III, de sapone sextaria VIII, et super hoc ad festivitatem sancti Andreae, ubicunque cum familia nostra fuerimus, dare studeat de cera libras VI, similiter mediante quadragesima[2]).

LX. Nequaquam de potentioribus hominibus maiores fiant, sed de mediocribus qui fideles sint.

LXI. Ut unusquisque iudex quando servierit suos bracios ad palatium ducere faciat, et simul veniant magistri qui cervisam bonam ibidem facere debeant.

LXII. Ut unusquisque iudex per singulos annos ex omni

---

[1]) Hunde. — [2]) Mitfasten.

conlaboratione nostra, quam cum bubus quos bubulci nostri servant, quid de mansis qui arari debent, quid de fide facta vel freda[1], quid de feraminibus[2] in forestis nostris sine nostro permisso captis, quid de diversis compositionibus[3], quid de molinis, quid de forestibus, quid de campis, quid de pontibus vel navibus, quid de liberis hominibus et centenis qui partibus fisci nostri deserviunt, quid de mercatis, quid de vineis, quid de illis qui vinum solvunt, quid de feno, quid de lignariis et faculis[4], quid de axilis[5] et aliud materiamen[6], quid de proterariis[7], quid de leguminibus, quid de milio et panigo, quid de lana, lino vel canava[8], quid de frugibus arborum, quid de nucibus maioribus vel minoribus, quid de insitis ex diversis arboribus, quid de hortis, quid de napibus, quid de vivariis, quid de coriis, quid de pellibus, quid de cornibus, quid de melle et cera, quid de uncto, et siv vel sapone, quid de morato, vino cocto, medo et aceto, quid de cervisa, de vino novo et vetere, de annona nova et vetere, quid de pullis et ovis, vel anseribus, id est aucas, quid de piscatoribus, de fabris, de scurariis vel sutoribus, quid de buticis et cofinis[9], id est scriniis, quid de tornatoribus vel sellariis[10], de ferrariis et scrobis[11], id est fossis ferrariciis, vel aliis fossis plumbariciis, quid de tributariis, quid de poledris et putrellis habuerint omnia seposita distincta et ordinata, ad nativitatem Domini nobis notum faciant, ut scire valeamus, quid vel quantum de singulis rebus habeamus.

LXIII. De his omnibus supradictis nequaquam iudicibus nostris asperum videatur si hoc requirimus, quia volumus ut et ipsi simili modo iunioribus eorum omnia absque ulla indignatione requirere studeant, et omnia quicquid homo in domo sua, vel in villis suis habere debet, iudices nostri in villis nostri habere debeant.

LXIV. Ut carra nostra quae in hostem pergunt et basternae[12] bene factae sint, et operculi bene sint cum coriis cooperti, et ita sint consuti, ut si necessitas evenerit, aquas ad natandum, cum ipsa expensa quae intus fuerit transire flumina possint, ut nequaquam aqua intus intrare valeat, et bene salva causa nostra sicut diximus transire possit, et hoc volumus ut farina in unoquoque carro ad spensam nostram missa fiat, hoc est duodecim modia de farina, et in quibus vinum ducunt modia XII, ad no-

1) D. h. *Friede.* S. *Sachsenspiegel* von **Homeyer**, II, 66, 1, S. 172. **Eichhorn**, *Deutsches Privatrecht*, §. 155, *S.* 411 ff.
2) Wild. — 3) Strafen. — 4) Kien. — 5) Bretter. — 6) Bauholz.
7) Ackergrundstücke. — 8) Hanf. — 9) Koffer. — 10) Sattler.
11) Bleigruben. — 12) bedeckte Wagen.

strum modium mittant, et ad unumquodque carrum scutum et lanceam, cucurum [1]) et arcum habeant.

LXV. Ut pisces de vivariis nostris venundentur, et alii mittantur in locum ita ut pisces semper habeant, tamen quando nos in villas non venimus, tunc fiant venundati, et ipsos ad nostrum profectum iudices nostri conlucrari faciant.

LXVI. De capris et hircis, et eorum cornua et pellibus nobis rationes deducant, et per singulos annos niusaltos crassos [2]) nobis inde adducant.

LXVII. De mansis absis et mancipiis adquisitis, si aliquid super se habuerint quod non habeant ubi eos collocare possint nobis nuntiare faciant.

LXVIII. Volumus ut bonos barridos [3]) ferro ligatos, quos in hostem et ad palatium mittere possint, iudices singuli praeparatos semper habeant, et buttes [4]) ex coriis non faciant.

LXIX. De lupis omni tempore nobis adnuntient, quantos unusquisque comprehenderit, et ipsas pelles nobis praesentare faciant, et in mense Maio, illos lupellos perquirant et comprehendant, tam cum pulvere [5]) et hamis, quamque cum fossis et canibus.

LXX. Volumus quod in horto omnes herbas habeant, id est filium, rosas, fenigraecum [6]), costum [7]), salviam, rutam, abrotanum [8]), cucumeres, pepones, cucurbitas, fasiolum, ciminum [9]), rosmarinum, careium [10]), cicerum italicum, squillam, gladiolum, dragontea [11]), anesum, coloquentidas, solsequiam [12]), ameum, silum, lactucas, git [13]), eruca alba, nasturtium, pardunam [14]), puledium, olisatum [15]), petresilinum, apium, levisticum, savinam [16]); anetum, feniculum, intubas, diptamnum, sinape, satureiam, sisimbrium, mentam, mentastrum [17]), tanacetum [18]), neptam, febrefugium [19]), papaver, betas, vulgigina [20]), ibischa, mismaluas id est alteas, maluas, carvitas [21]), pastenacas, adripias [22]), blidas [23]), ravacaulos [24]), caulos [25]), uniones [26]), britlas [27]), porros, radices ascalonicas [28]), cepas, alia [29]), warentiam [30]),

---

1) Köcher. — 2) Frische Schinken. — 3) Fässer. — 4) Butten. — 5) Asche.
6) Steinklee. *Trifolium melilotus.* — 7) Kostwurz. *Costus arabicus.*
8) Stabwurz. — 9) Kümmel. — 10) Kerbel. Korvei. — 11) Schlangenwurz.
12) Sonnenblumen. — 13) Schwarzkümmel. *Nigella sativa.*
14) Klette. *Arctium Lappa.* — 15) wilde Petersilie. — 16) Sadebaum.
17) Pferdemünze. — 18) Die Handschrift hat *tanaricum.*
19) *Gentiana centaurium.* — 20) Haselwurz. *Asarum europaeum.*
21) Möhren, Mohrrüben. — 22) Melden. *Atriplex hortensis.*
23) Maierkraut. *Blitum capitatum.* — 24) Kohlrüben. — 25) Kohl.
26) Zwiebeln. — 27) Schnittlauch. — 28) Schalotten. — 29) *allia.*
30) Färberröthe. *Garance, vérance.* Vielleicht aber auch *Wermuth*?

cardones, fabas maiores, pisos mauriscos, coriandrum, cerfolium[1]), lacteridas[2]), sclareiam, et ille hortulanus habeat super domum suam Iovis barbam[3]). De arboribus volumus quod habeant pomarios diversi generis, sorbarios, mespilarios, castaneanos, persicarios diversi generis, cotoniarios[4]), avellanarios, amandalarios, morarios, lauros, pinos, ficus, nucarios, ceresarios diversi generis. Malorum nomina, Gormaringa, Geroldinga, Crevedella, spirauca[5]), dulcia, acriores, omnia servatoria et subito commessura. Primitiv. Per ariciis servatoria, trium[6]) et quartum Genus, dulciores, et cocciores et serotina[7]).

XXXIII.

Capitulare primum anni DCCCVI,

sive Charta divisionis regni Francorum inter Karolum, Pippinum et Ludovicum, filios Karoli Magni Imperatoris[8]).

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Imperator Caesar Karolus, Rex Francorum invictissimus, et Romani Rector Imperii, pius, felix, ac triumphator semper augustus, omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae, et cuncto populo catholico, praesenti et futuro, gentium ac nationum quae sub eius imperio et regimine constitutae sunt. Sicut omnibus vobis notum esse, et neminem vestrum latere credimus quomodo nos divina Clementia, cuius nutu ad occasum tendentia secula per successiones generationum reparantur, tres nobis dando filios, magno miserationis ac benedictionis suae ditavit munere, quia per eos, secundum vota nostra, et spem nostram de regno confirmavit, et curam oblivioni obnoxiae posteritatis leviorem fecit, ita et hoc vobis notum fieri volumus quod eosdem per Dei gratiam filios nostros regni a Deo nobis concessi, donec in corpore sumus, et post nostrum ab hac mortalitate discessum, huius a Deo conservandi Regni vel Imperii nostri heredes relinquere, si sic divina maiestas innuerit, optamus: non ut confuse atque inordinate, aut sub totius regni dominatione, iurgii controversiam eis relinquamus, sed trina partitione totum regni corpus dividentes, quam

---

[1]) Kerbel. — [2]) Springwurz. *Euphorbia Lathyris.*
[3]) Donnerbart. *Sempervivum tectorum.* — [4]) Quitten. — [5]) Speieräpfel.
[6]) l. *tertium.*
[7]) Es bedarf wol kaum der Bemerkung, dass in diesem *Capitulare* die handschriftliche Leseart genau wiedergegeben worden ist. Wie Friedrich d. G. schrieb ist bekannt. Auch Karl d. G. hat das Recht, in eigenem Gewande zu erscheinen.
[8]) *Walter, Corpus iuris Germanici antiqui*, II, p. 215—220.

quisque illorum tueri vel regere debeat portionem, distribuere et designare volumus; eo videlicet modo, ut sua quisque portione contentus, iuxta ordinationem nostram, et fines regni sui, qui ad alienigenas extenduntur, cum Dei adiutorio nitatur defendere, et pacem atque caritatem cum fratre custodire.

Cap. I. Divisiones vero a Deo conservati atque conservandi imperii vel regni nostri tales facere placuit, ut Aquitaniam totam et Wasconiam, excepto pago Turonico, et quicquid inde ad occidentem atque Hispaniam respicit, et de civitate Nivernis [1]), quae est sita super fluvium Ligerem, cum ipso pago Nivernense, pagum Avalensem atque Alsensem, Cabilionensem [2]), Matisconensem [3]), Lugdunensem, Sabdiam, Moriennam, Tarentasiam, montem Cinisium, vallem Segusianam [4]) usque ad Cusas, et inde per terminos Italicorum montium usque ad mare, hos pagos cum suis civitatibus, et quicquid ab eis contra meridiem et occidentem usque ad mare, vel usque ad Hispanias continetur, hoc est illam portionem Burgundiae, et Provinciam, ac Septimaniam, vel Gothiam, Ludovico dilecto filio nostro consignavimus.

II. Italiam vero, quae et Langobardia dicitur, et Baiovariam, sicut Tassilo tenuit, excepto duabus villis quarum nomina sunt Ingoldestat et Lutrahahof, quas nos quondam Tassiloni beneficiavimus, et pertinent ad pagum qui dicitur Northgouve; et de Alamannia partem quae in australi ripa Danubii fluminis est, et de ipso flumine Danubii currente limite usque ad Rhenum fluvium in confini pagorum Chletgouve et Hegouve in locum, qui dicitur Enge, et inde per Rhenum fluvium sursum versus usque ad Alpes, quicquid inter hos terminos fuerit, et ad meridiem vel orientem respicit, una cum ducatu Curiensi [5]) et pago Durgouve [6]), Pippino dilecto filio nostro.

III. Quicquid autem de regno nostro extra hos terminos fuerit, id est Franciam et Burgundiam, excepto illa parte, quam Ludovico dedimus, atque Alamaniam, excepto portione quam Pippino adscripsimus, Austriam, Niustriam, Turingiam, Saxoniam, Frisiam, et partem Baiovariae quae dicitur Northgow, dilecto filio nostro Karolo concessimus; ita ut Karolus et Ludovicus viam habere possint in Italiam ad auxilium ferendum fratri suo, si ita necessitas exstiterit, Karolus per vallem Augustanam [6]), quae ad regnum eius pertinet, et Ludovicus per vallem Segusianum,

---

1) Nevers. — 2) Chalons a. d. Saone. — 3) Mascon.
4) Val de Suse. — 5) Coire. — 6) Thurgau. — 7) Aosta.

Pippinus vero et exitum et ingressum per Alpes Noricas atque Curiam.

IV. Haec autem tali ordine disponimus, ut si Karolus, qui maior natu est, prius quam caeteri fratres sui diem obierit, pars regni quam habeat dividatur inter Pippinum et Ludovicum, sicut quondam divisum est inter nos et fratrem nostrum Karlomannum, eo modo ut Pippinus illam portionem habeat quam frater noster Karlomannus habuit, Ludovicus vero illam partem accipiat quam nos in illa portione suscepimus. Si vero Karolo et Ludovico viventibus, Pippinus debitam humanae sortis compleverit, Karolus et Ludovicus dividant inter se regnum quod ille habuit, et haec divisio tali modo fiat ut ab ingressu Italiae per Augustam civitatem accipiat Karolus Eboreiam, Vercellas, Papiam, et inde per Padum fluvium termino currente usque ad fines Regensium, et ipsam Regiam, et civitatem novam, atque Mutinam usque ad terminos sancti Petri. Has civitates cum suburbanis et terminoriis suis, atque comitatibus quae ad ipsas pertinent, et quicquid inde Romam pergenti ad laevam respicit, de regno quod Pippinus habuit, una cum ducatu Spoletano, hanc portionem, sicut praediximus, accipiat Karolus. Quicquid autem a praedictis civitatibus vel comitatibus Romam eunti ad dextram iacet, de praedicto regno, id est, portionem quae remansit de regione Transpadana, una cum ducatu Toscano usque ad mare australe et usque ad Provinciam, Ludovicus ad augmentum sui regni sortiatur. Quod si caeteris superstitibus Ludovicus fuerit defunctus, eam partem Burgundiae quam regno eius adiunximus, cum Provincia et Septimania sive Gothia usque ad Hispaniam, Pippinus accipiat, Karolus vero Aquitaniam et Wasconiam.

V. Quod si talis filius cuilibet istorum trium fratrum natus fuerit quem populus eligere velit, ut patri suo succedat in regni hereditate, volumus ut hoc consentiant patrui ipsius pueri, et regnare permittant filium fratris sui in portione regni quam pater eius frater eorum habuit.

VI. Post hanc nostrae auctoritatis dispositionem placuit inter praedictos filios nostros statuere atque praecipere, propter pacem quam inter eos permanere perpetuo desideramus[1]), ut nullus eorum fratris sui terminos vel regni limites invadere praesumat, neque fraudulenter ingredi ad conturbandum regnum eius vel marcas minuendas; sed adiuvet unusquisque illorum fratrem suum, et auxilium illi ferat contra inimicos eius iuxta rationem et possibilitatem, sive infra patriam, sive contra exteras nationes.

---

[1]) Also Zwiespalt unter den Brüdern?

VII. Neque aliquis illorum hominem fratris sui pro quibuslibet causis sive culpis ad se confugientem suscipiat, nec intercessionem quidem pro eo faciat; quia volumus ut quilibet homo peccans, et intercessione indigens intra regnum domini sui, vel ad loca sancta, vel ad honoratos homines confugiat, et inde iustam intercessionem mereatur.

VIII. Similiter praecipimus ut quemlibet liberum hominem, qui dominum suum contra voluntatem eius dimiserit, et de uno regno in aliud profectus fuerit, neque ipse Rex suscipiat, neque hominibus suis consentiat ut talem hominem recipiant, vel iniuste retinere praesumant. Hoc non solum de liberis, sed etiam de servis fugitivis statuimus observandum, ut nulla discordiis relinquatur occasio.

IX. Quapropter praecipiendum nobis videtur ut, post nostrum ab hac mortalitate discessum, homines uniuscuiusque eorum accipiant beneficia unusquisque in regno domini sui, et non in alterius, ne forte per hoc, si aliter fuerit, scandalum aliquod accidere possit. Hereditatem autem suam habeat unusquisque illorum hominum absque contradictione, in quocunque regno hoc eum legitime habere contigerit.

X. Et unusquisque liber homo, post mortem domini sui, licentiam habeat se commendandi inter haec tria regna ad quemcunque voluerit. Similiter et ille qui nondum alicui commendatus est.

XI. De traditionibus autem atque venditionibus quae inter partes fieri solent, praecipimus ut nullus ex his tribus fratribus suscipiat de regno alterius a quolibet homine traditionem seu venditionem rerum immobilium, hoc est, terrarum, vinearum atque sylvarum, servorumque qui iam casati sunt, sive ceterarum rerum quae hereditatis nomine censentur; excepto auro, argento, et gemmis, armis ac vestibus necnon et mancipiis non casatis, et his speciebus, quae proprie ad negotiatores pertinere noscuntur. Caeteris vero liberis hominibus hoc minime interdicendum indicavimus.

XII. Si quae autem feminae, sicut fieri solet, inter partes et regna fuerint ad coniugium postulatae, non denegentur iuste poscentibus, sed liceat eas vicissim dare et accipere, et adfinitatibus populos inter se sociari. Ipsae vero feminae potestatem habeant rerum suarum in regno unde exierant, quamquam in alio propter mariti societatem habitare debeant.

XIII. De obsidibus autem qui propter credentias dati sunt, et a nobis per diversa loca ad custodiendum destinati sunt, volumus ut ille Rex in cuius regno sunt, absque voluntate fratris

sui, de cuius regno sublati sunt, in patriam eos redire non permittat; sed potius in futurum in suscipiendis obsidibus alter alteri mutuum ferat auxilium, si frater fratrem hoc facere rationabiliter postulaverit. Item iubemus et de his qui pro suis facinoribus in exilium missi vel mittendi sunt.

XIV. Si causa vel intentio sive controversia talis inter partes propter terminos aut confinia regnorum orta fuerit, quae hominum testimonio declarari vel definiri non possit, tunc volumus ut ad declarationem rei dubiae, iudicio crucis, Dei voluntas et rerum veritas inquiratur, nec unquam pro tali causa cuiuslibet generis pugna vel campus ad examinationem iudicetur. Si vero quilibet homo de uno regno hominem de altero regno de infidelitate contra fratrem domini sui apud dominum suum accusaverit, mittat eum dominus suus ad fratrem suum; ut ibi comprobet quod de homine illius dixit. [*Karl d. Gr. empfiehlt hiernach selbst die Kreuzesprobe.* (*Vergl.* Mabillon, de Re Diplomat., *VI*, 51, *p.* 499.) *Sie war ein aus den heidnischen Zeiten herübergekommenes Ordal* (Grimm, deutsche Rechtsalterthümer, *S.* 927. Phillips, Angelsächsische Rechtsgeschichte, *n.* 522, *a*), *welches Ludwig der Fromme untersagte.* Capit. Aquisgranens. 816, c 27. (Walter, *Tom. II*, *p.* 306 *sq.*): Sancitum est ut nullus deinceps quamlibet examinationem Crucis facere praesumat; ne quae Christi passione glorificata est, cuiuslibet temeritate contemtui habeatur. (*Vergl.* Capitul. *I*, 102. Walter, *II*, *p.* 426). *Merkwürdig genug aber ist, dass trotz des ausdrücklichen Verbotes Ludwigs des Frommen in der* Charta divisionis *vom Jahre* 837 (Walter, *Tom. II*, *p.* 397 *sqq.*), *die fast wörtlich mit der Theilungsurkunde Karls des Gr. übereinstimmt, auch dieser Artikel wiederholt ist. Nur steht dort cap. X*, *p.* 399 *statt* iudicio crucis, vexillo crucis. *Anbefohlen wird sie auch* Capit. anni 779, cap. 10. (Walter, *Tom. II*, *p.* 59): De eo, qui periurium fecerit, nullam redemtionem det, nisi manum perdat. Quod si accusator contendere voluerit de ipso periurio, stent ad crucem. *Ueber die verschiedenen Arten der Kreuzesprobe s. noch* Agobard, de divin. sentent. contra damnab. opinionem putant. divini iudic. verit. igne etc. patefieri *in* Opp. (*ed. Baluze, Paris* 1666, 8.) *Vol. I*, *p.* 302. Vita S. Liob. *c.* 15, *ap.* Sur. Vit. SS. d. XXVIII Sept. Ughell. Italia sacra, *Tom. V*, *p.* 744. Dipl. *a.* 837. Gericken, Schottelius illustratus et continuatus s. spicilegium ad J. G. Schottelii tractatum de singularibus et antiq. in Germania iuribus (*Lips.* 1718, 8.) q. 5. Spelmann, Glossar. archaeolog. (*Londin.* 1687, *fol.*) *s. v.* iu-

dicium crucis. — *Die übrigen Ordalien waren der gerichtliche Zweikampf; die Probe des kalten Wassers, welche Ludwig der Fr. gleichfalls verbot* (Capitul. *anni* 829. *Tit. II, c.* 12 *ap.* Walter, *II. p.* 384: Ut examen aquae frigidae, quod hactenus faciebant, a Missis nostris omnibus interdicatur ne ulterius fiat), *der Erzbischof Hinkmar aber vertheidigte* (Ep. 39 ad Hildegar. Episc. Meldensem de iudicio aquae frigidae *in* Opp. *Tom. II, p.* 676 *sqq.* de divortio Lotharii, Opp. *Tom. I, p.* 607); *die Abendmahlsprobe, welche noch in späteren Zeiten vorkommt* (Concil. Wormat. 868, *cap.* 16 *ap.* Harzheim, Concil. German., *Tom. II, p.* 318); *die Probe des geweihten Bissens*, iudicium offae, *jedenfalls heidnischen Ursprungs* (Grimm, *a. a. O., S.* 931. Philipps, *a. a. O., n.* 522. Kanuti R. L. L. *cap.* 5.), *die besonders bei Geistlichen angewendet, aber auch anderen gestattet wurde* (*z. B. dem Kaiser Lothar;* Annal. Bertin. 869, *p.* 481); *der Kesselfang wovon* Gregorius Turonensis (de glor. Conf. *I*, 81, *p.* 814 *Ruinart.*) *ein Beispiel erzählt, und der bei den Franken sehr gebräuchlich war* (Lex Salica, *Tit. LVI*, Walter *I, p.* 75; *Tit. LXXVI, p.* 90), *und bei Unfreien noch unter Ludwig d. Fr. vorkommt* (Capitul. *I, anni* 819, *Cap.* 1. Walter *II, p.* 330.); *die Feuerprobe*, iudicium ferri candentis. (Lex Ripuarior. *Tit. XXX, cap. I*, Walter *I, p.* 171; *Tit. XXXI, cap.* 5, *p.* 172), *die besonders bei Mördern beibehalten wurde* (Leg. Langob. *Lib. I, Tit. X, c.* 3, *Lindenbrog, oder* Capitul. *II*, 803 c. 5. Walter *II.*, 178. *III*, 601. Annal. Hildesheim. *a.* 1028 Leibnit. Script. Rer. Brunsvic. *Tom. I. Vergl. noch* Aimoin *V*, 34. Vit. Meinwerc. Episc. Hildesh. ap. Leibnit. 1. *l. I. p.* 517. Vita S. Heinrici I. Imper. ap. Canis. Lect. ant. *Tom. III, P. II, p.* 29. Sax. Grammat. *X, p.* 189 *ed. Sor.* 1644 *fol.*); *das Loosen durch Aufschlagen in dem Evangelienbuche. Letzteres Ordal* (Gregor Turonens. *IV*, 16, *p.* 158. Mone, Geschichte des Heidenthumes im nördlichen Europa, *Bd. II, S.* 130.) *untersagte schon Karl d. Gr.* Capit. 3. *anni* 789, *c.* 4 *ap.* Walter *II, p.* 100: Ut nullus in psalterio vel in evangelio, vel in aliis rebus, sortire praesumat, nec divinationes aliquas observare. *Auch dieses war heidnischen Ursprungs und mag wol mit den* sortibus Virgilianis (Schmidt, Beiträge zur romantischen Poësie, *S.* 130 *ff.*) *zusammenhängen. — Die Kirche verdammte die Ordale durchaus* (Stephani V. Epist. ad Humbert. Episcop. Mogunt. in Decret. Gratian. *c.* 20. *C.* 2. *q.* 5.: Consuluisti de infantibus, qui in uno lecto dormientes cum parentibus mortui reperiuntur, utrum ferro candente aut aqua fervente, seu

alio quolibet examine, parentes se purificare debeant, eos non oppressisse. Monendi sunt namque et protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur. Nam ferri candentis, vel aquae ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri non censent canones; et quod sanctorum patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est praesumendum). *So lange sie dieselben nicht gänzlich zu unterdrücken im Stande war, verband sie damit wenigstens kirchliche Handlungen, welche man aus den* Formulis Exorcismorum *ap.* Walter, *III, p.* 559 *ff. kennen lernt. Vergl.* Phillips, *a. a. O., n.* 521. — *Ueber die Ordalien im Allgemeinen s. noch.* Grimm, *a. a. O., S.* 908 *ff.* F. Maier, Geschichte der Ordalien 1795, 8. Zwicker, Ueber die Ordale; ein Beitrag zur deutschen Rechtsgeschichte. *Göttingen* 1818, 8. *Endlich vergl. man die Abhandlung von* Muratori, *in dessen* Antiq. Ital. *Vol. III.*]

XV. Super omni autem iubemus atque praecipimus ut ipsi tres fratres curam et defensionem Ecclesiae sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Karolo, et beatae memoriae genitore nostro Pippino Rege, et a nobis postea suscepta est, ut eam cum Dei adiutorio ab hostibus defendere nitantur, et iustitiam suam, quantum ad ipsos pertinet et ratio postulaverit, habere faciant. Similiter et de caeteris Ecclesiis quae sub illorum fuerint potestate, praecipimus ut iustitiam suam et honorem habeant, et Pastores atque Rectores venerabilium locorum habeant potestatem rerum quae ad ipsa loca pia pertinent, in quocunque de his tribus regnis illarum Ecclesiarum possessiones fuerint.

XVI. Quod, si de his statutis atque convenientiis aliquid casu quolibet, vel ignorantia, quod non optamus, fuerit irruptum, praecipimus ut quam citissime secundum iustitiam emendare studeant, ne forte propter dilationem maius damnum possit adcrescere.

XVII. De filiabus autem nostris, sororibus scilicet praedictorum filiorum nostrorum, iubemus ut post nostrum ab hoc corpore discessum licentiam habeant unaquaeque eligendi sub cuius fratris tutela et defensione se conferre velit. Et qualiscunque ex illis monasticam vitam elegerit, liceat ei honorifice vivere sub defensione fratris sui in cuius regno degere voluerit. Quae autem iuste et rationabiliter a condigno viro ad coniugium quaesita fuerit, et ei coniugalis vita placuerit, non ei denegetur

a fratribus suis, si et viri postulantis et feminae consentientis honesta et rationabilis fuerit voluntas.

XVIII. De nepotibus vero nostris, scilicet filiis praedictorum filiorum nostrorum, qui ex eis vel iam nati sunt vel adhuc nascituri sunt, placuit nobis praecipere ut nullus eorum per quaslibet occasiones quemlibet ex illis apud se accusatum, sine iusta discussione atque examinatione, aut occidere, aut membris mancare, aut excaecare, aut invitum tondere faciat; sed volumus ut honorati sint apud patres et patruos suos, et obedientes sint cum omni subiectione quam decet in tali consanguinitate esse.

XIX. Hoc postremo statuendum nobis videtur, ut quicquid adhuc de rebus et constitutionibus quae ad profectum et utilitatem eorum pertinent, his nostris decretis atque praeceptis addere voluerimus, sic a praedictis dilectis filiis nostris observetur atque custodiatur, sicut ea quae in his iam statuta et descripta sunt custodire et observare praecipimus.

XX. Haec autem omnia ita disposuimus, atque ex ordine firmare decrevimus, ut quamdiu divinae maiestati placuerit nos hanc corporalem agere vitam, potestas nostra sit super a Deo conservatum regnum atque imperium istud, sicut hactenus fuit, in regimine atque ordinatione, et omni dominatu regali atque imperiali, et ut obedientes habeamus praedictos dilectos filios nostros, atque Deo amabilem populum nostrum cum omni subiectione quae patri a filiis et Imperatori ac Regi a suis populis exhibetur. *Amen.*

XXXIV.

De Episcopis vel Presbyteris, ut non militarem induerent armaturam, sed spiritalem, id est, ieiuniis et orationibus vacarent: seu de venalitate vel captivatione hominum, vel aliis illicitis causis, quae a pravis hominibus perpetrata erant: seu de visione Johannis Monachi, quae falsa vel inanis esse videbatur.

Domno excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo Regi Francorum et Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Orthodoxae fidei plenissimos atque nectareos vestra a Deo promotae regalis Excellentiae suscepimus affatus, quos reserantes, vestram a Deo promotam salutem, ac in triumphis victorias, seu praecellentissimae filiae nostrae domnae Reginae, vestrorumque fidelium sospitatem, simulque sin-

ceritatem reperientes, magnas omnipotentis Dei clementiae retulimus grates. Illud autem, quod nobis vestra innotuit regalis Potentia per suum fidelissimum Missum, scilicet Garamannum gloriosum Ducem, pro Johanne Monacho atque Presbytero, qui sicuti in vestris referebatur regalibus apicibus, de captivatione hominum, et de aliis illicitis causis, quae a pravis perpetrantur hominibus, vobis enuntiasset, ut, Deo propitio, per vestrum praecelsum regale dispositum corrigerentur vel emendarentur; quemadmodum a nobis poposcit regalis Potentia, libenti eum suscepimus animo, solite in omnibus vestris accomodantes votis. Talem prorsus scimus vestram regalem Excellentiam, quia in his nullius eget monitione, quia, Domino coopitulante, beatoque Apostolorum principe Petro pro ipso semper suffragante, veram praedicationem orthodoxae fidei, quam ab eius suscepit Ecclesia, illaesam atque immobilem tenens, ultroque irreprehensibilem sine macula, vibrans exultat, atque in omnibus penitus fulget, et non desinit emendare saevos atque iniquos callidosque homines ab illicitis actibus. Sed et captivos in sua propria reverti crebris fecit diebus. Fatus quippe est nobis praefatus Johannes Monachus quia dixisset vobis ut omnis Episcopus spiritalia teneret arma, et non terrena: quatenus si ita est quia militaria induunt arma, hortantes vestrae notescimus a Deo protectae regali Excellentiae, ut nullomodo sic fieri permittat: sed quoscumque in quolibet deferri cupit loco, tam Episcopi quam Presbyteri orthodoxae fidei galeam et salutis induti arma, orationibus vacare gnaviter studeant, et cuncto populo ea, quae pro salute animae sunt, spiritale gerant officium. Ceteri vero Episcopi atque Presbyteri in eorum degentes Ecclesiis, canonice unusquisque per vestrum regale robustissimum praesidium suum valeant regere populum a Deo sibi commissum.

Porro de revelatione eiusdem Johannis Monachi, sicut eius referebat locutio vere fantasma esse existimatur. Dicebant enim quod vidit primis in somnis caelos apertos, et dexteram Dei; deinde vidit postmodum somnium aliud, turrem magnam, et descendentes Angelos, inter quos vidit speciem hominis alas habentis aquilae, mortuique existentis, et aliam speciem hominis alas habentem columbinas, et dicentem: Quia hic est filius Dei. Absit enim a fidelium cordibus ut fides Christianorum mortua esse praedicetur. Nos enim speciem aquilae alas habentem, sicut a sanctis suscepimus Patribus, Johannem Evangelistam testamur, qui secreta caelestia hominibus praedicat; In principio erat Verbum, etc. In specie vero Columbae Spiritus sanctus

visus est: nam numquam legimus speciem hominis alas columbae indutam. Quapropter nimis vestram laudantes firmissimam atque laudabilem fidem, in hoc cognovimus quia vos fantasma ipsas reputastis visiones: ideo a nobis pro eo vestra poposcit regalis Potentia, ut nequaquam a nobis condemnaretur, anathematizaretur vel flagellaretur, neque aliquam adversitatem ei faceremus: quatenus in his omnibus vestrae accomodantes regali petitioni, in quantum necesse fuit ipsum ammonuimus Monachum, atque in proprium suum locum illaesum absolvimus. Nam si vestrum illi non profuisset regale adminiculum, Ecclesiasticam illi disciplinam canonice inferentes, sicuti Monacho Cyrillo a nobis correcto et emendato, Monachicam regulam illi demonstrare irreprehensibiliter habuissemus. Ob nimium vero amorem vestrum cum magna patientia atque benignitate susceptus commonitusque, ultro citroque divinis praeceptis in pace absolutus est. Vestram regalem Excellentiam una cum filia nostra praecellentissima domna Regina, vestraque praecelsa prole, multorum annorum curriculis regni gubernacula perfrui divina faciat clementia, ut in hoc mundo super omnes barbaras regnantes nationes, in aethereis arcibus sine fine cum Sanctis omnibus regnare mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

XXXV.

Epistola increpatoria

ad Monachos sancti Martini Turonensis, iubens ut Clericum Theodulphi, Episcopi Aurelianensis, qui ad illos post publicum Episcopi sui iudicium confugerat, ut se poenae subtraheret, ei reddant [1]).

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti Karolus, etc. Albino venerabili magistro et omni Congregationi monasterii sancti Martini. Pridie quam ad nostram praesentiam a vobis missa venisset epistola adlatae sunt nobis literae a Theodulfo Episcopo missae, quaerimonias continentes de inhonoratione hominum suorum, et non tam illorum quam Episcopi huius civitatis, vel contemptu iussionis imperii nostri. Quam iussionem de redditione cuiusdam Clerici de custodia ipsius elapsi, et in basilica sancti Martini latitantis, sub nostri nominis auctoritate conscribere iussimus; cuius etiam nobis exemplaria misistis, in quibus nos nequaquam iniuste aliquid decrevisse, ut vobis visum fuit, putamus. Sed cum utrasque epistolas, vestram scilicet ac Theo-

---

1) *Walter* II, p. 196—198.

dulfi, nobis relegere fecissemus, asperior multo nobis et cum iracundia composita vestra, quam Theodulfi, videbatur epistola, et in nullo erga illum caritatis condimento respersa, sed potius quasi reum defendens et Episcopum accusans, et sub velamine quodam celati nominis continens vel posset vel admitti ad accusationem deberet; cum hoc omnino et divina et humana lege sancitum sit, nulli criminoso alterum accusandi dari licentiam, quamquam a vobis ad hoc defensus et conservatus sit sub obtentu iussionis nominis nostri; ut qui iam accusatus et in conspectu populi civitatis suae iudicatus est, accusandi locum habere Caesarei nominis appellatione deberet, ad exemplum beati Pauli Apostoli, qui apud Principes Iudaeae a gente sua accusatus, nondum iudicatus, Caesarem appellavit, et ab eisdem Principibus ad Caesarem iudicandus missus est. Quod nequaquam praesenti negotio convenit: Paulus enim Apostolus a Iudaeis accusatus, sed non iudicatus, Caesarem appellavit et adire permissus est. Hic vero infamis Clericus et accusatus, et iudicatus, et in custodia missus, et de custodia elapsus, basilicam, quam nisi post poenitentiam ingredi non debuerat, contra legem ingressus, et adhuc, ut fertur, perverse vivere non cessans, ut dicitis, sicut Paulus Apostolus Caesarem appellavit, sed nequaquam ut Paulus Caesarem aditurus est. Illi enim apud quem accusatus, et a quo iudicatus, atque in custodia missus est, et de cuius custodia evasit, praecipimus ut reddatur, et ille eum ad nostram audientiam, sive vera sive falsa dicentem, adducat; quia non decet ut propter talem hominem nostrae primae iussionis ulla fiat immutatio. Sed et valde miramur cur vobis solis visum sit nostrae auctoritatis sanctioni et decreto contraeundum, cum liquido pateat, et ex consuetudine veteri et ex constitutione legum alterum decreta recte esse debere, ne cuiquam permissum illorum edicta vel statuta contemnere. Et in hoc satis mirari nequivimus quod illius scelerati hominis precibus, quam nostrae auctoritatis iussionibus obtemperare maluistis, cum nunc clarissime liqueat cum eodem homine amorem discordia, et inruptione caritatis, de hoc loco vetuit egredi: ipsi quippe nostis, qui congregatio huius monasterii ac servi Dei, et utinam vere, dicimini, qualiter iam crebro vita vestra a multis diffamata est; et non absque re. Aliquando enim Monachos, aliquando Canonicos, aliquando neutrum vos esse dicebatis. Et nos consulendo vobis, et ad malam famam abolendam, magistrum et rectorem idoneum vobis elegimus, et de longinquis provinciis invitavimus, qui et verbis et admonitionibus rectam vitam instruere, et quia religiosus erat, bonae con-

versationis exemplo potuisset informare. Sed, proh dolor! aliorsum cuncta conversa sunt, et diabolus vos quasi ministros suos ad seminandam discordiam inter quos minime decebat, invenit, scilicet inter sapientes et doctores Ecclesiae; et qui peccantes corrigere et castigare debuerunt, cogitis ad peccatum invidiae atque iracundiae prorumpere. Sed illi, Deo miserante, nequaquam adsensu vestris malis suggestionibus praebituri sunt. Vos autem, qui contemptores nostrae iussionis exstitistis, sive Canonici sive Monachi vocamini, ad placitum nostrum, iuxta quod praesens Missus noster vobis indixerit, nobis vos adsistere scitote. Et quamvis ad nos missa hic factae seditionis vos excuset epistola, venite, et condigna satisfactione inustum crimen eluite.

XXXVI.

Karoli Magni

Capitulare primum

datum, ut videtur, sub eius regni exordia anno DCCLXIX [1]).

I. Karolus, gratia Dei Rex regnique Francorum rector, et devotus sanctae Ecclesiae Defensor, atque adiutor in omnibus apostolicae Sedis hortatu omnium fidelium nostrorum, et maxime Episcoporum ac reliquorum Sacerdotum consultu, servis Dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum et in hostem pergere omnino prohibemus, nisi illi tantummodo qui propter divinum ministerium, Missarum scilicet solemnia adimplenda et sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt; id est unum vel duos Episcopos cum Capellanis Presbyteris. Et unusquisque Princeps unum Presbyterum secum habeat, qui hominibus peccata confitentibus iudicare et indicare poenitentiam possit.

II. Ut Sacerdotes neque Christianorum neque paganorum sanguinem fundant.

III. Omnibus servis Dei venationes et silvaticas vagationes cum canibus, et ut accipitres et falcones non habeant interdicimus.

IV. Statuimus ut secundum canonicam cautelam omnes undecunque supervenientes ignotos Episcopos vel Presbyteros, ante probationem synodalem in ecclesiasticum ministerium non admitteremus.

V. Si Sacerdotes plures uxores habuerint, vel sanguinem Christianorum vel paganorum fuderint, aut canonibus obviaverint, sacerdotio priventur, quia deteriores sunt secularibus.

---

1) *Baluze, Capit. Reg. Fr.* Tom. I, p. 189. *Walter, Corp. iuris Germ. antiqui,* II. p. 53. sqq.

VI. Decrevimus ut secundum canones unusquisque Episcopus in sua parochia sollicitudinem adhibeat, adiuvante Graphione qui defensor Ecclesiae est, ut populus Dei paganias non faciat; sed ut omnes spurcitias gentilitatis abiiciat et respuat, sive profana sacrificia mortuorum, sive sortilegos vel divinos, sive phylacteria et auguria, sive incantationes, sive hostias immolatitias, quas stulti homines iuxta Ecclesias ritu papano faciunt sub nomine sanctorum Martyrum vel Confessorum Domini; qui potius quam ad misericordiam sanctos suos ad iracundiam provocant.

VII. Statuimus ut singulis annis unusquisque Episcopus parochiam suam sollicite circumeat, et populum confirmare et plebes docere et investigare, et prohibere paganas observationes, divinosque vel sortilegos, aut auguria, phylacteria, incantationes, vel omnes spurcitias gentilium, studeat.

VIII. Decrevimus quoque iuxta sanctorum canones ut unusquisque Presbyter in parochia habitans Episcopo subiectus sit illi in cuius parochia habitat, et semper in Quadragesima rationem et ordinem ministerii sui, sive de baptismo, sive de fide catholica, sive de precibus, et ordine Missarum, Episcopo reddat. Et quandocunque iure canonico Episcopus circumeat parochiam ad populos confirmandos, Presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum, cum collectione et adiutorio populi qui ibi confirmari debet. Et in coena Domini semper novum chrisma ab Episcopo suo quaerat. Et de vetere nullus baptizare praesumat, sed ardere in luminaribus Ecclesiae faciat.

IX. Ut nemo accipiat Ecclesiam infra parochiam sine consensu Episcopi sui, nec de una ad aliam transeat.

X. Ut de incestis et criminosis magnam curam habeant Sacerdotes, ne in suis pereant sceleribus, et animae eorum a districto iudice Christo eis requirantur. Similiter de infirmis et poenitentibus, ut morientes sine sacrati olei unctione et reconciliatione et viatico non deficiant.

XI. Ut ieiunium quatuor temporum et ipsi Sacerdotes observent, et plebi denuntient observandum.

XII. Ut ad mallum venire nemo tardet primum circa aestatem, secundum circa autumnum. Ad alia vero placita, si necessitas fuerit, vel denuntiatio Regis urgeat, vocatus venire nemo tardet.

XIII. Ut quando denuntiatum fuerit pro Rege vel pro fidelibus suis qualibet causa orationes facere, nemo ex hoc neglegens appareat.

XIV. Nullus sacerdos nisi in locis Deo dicatis, vel in iti-

nere positus in tabernaculis et mensis lapideis ab Episcopo consecratis, Missas celebrare praesumat. Quod si praesumpserit, gradus sui periculo subiacebit.

XV. Sacerdotes qui rite non sapiunt adimplere ministerium suum, nec discere iuxta praeceptum Episcoporum suorum pro viribus satagunt, vel contemptores canonum existunt, ab officio proprio sunt submovendi quousque haec pleniter emendata habeant.

XVI. Quicunque autem a suo Episcopo frequenter admonitus de sua scientia, ut discere curet, facere neglexerit, procul dubio et ab officio removeatur, et Ecclesiam quam tenet, amittat; quia ignorantes legem Dei eam aliis annuntiare et praedicare non possunt.

XVII. Ut nullus Iudex neque Presbyterum neque Diaconum aut Clericum, aut Iuniorem Ecclesiae, extra conscientiam Pontificis per se distingat aut condemnare praesumat. Quod si quis hoc fecerit, ab Ecclesia cui iniuriam inrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus quamdiu reatum suum cognoscat et emendet.

XVIII. Ut nullus Episcoporum vel Secularium cuiuscunque alterius Episcopi sive Ecclesiae sive Privati res, aut regnorum divisione aut provinciarum sequestratione, competere aut retinere praesumat. Quod si quis hoc facere tentaverit, tamdiu sit ab omnium caritate suspensus, et a communionis gratia sequestratus, quoadusque res ablatas cum fructuum satisfactione restituat.

XXXVII.

Constitutio

de scholis per singula Episcopia et Monasteria instituendis[1]).

Karlus, gratia Dei Rex Francorum et Langobardorum, ac Patricius Romanorum, Baugulfo Abbati et omni congregationi, tibi etiam commissis fidelibus oratoribus nostris, in omnipotentis Dei nomine amabilem direximus salutem. Notum igitur sit Deo placitae Devotioni vestrae quia nos una cum fidelibus nostris consideravimus utile esse ut episcopia et monasteria nobis, Christo propitio, ad gubernandum commissa, praeter regularis vitae ordinem atque sanctae religionis conversationem, etiam in literarum meditationibus, eis qui donante Domino discere possunt, secundum uniuscuiusque capacitatem, docendi studium debeant

1) *Walter*, II, p. 62 sqq. *Sirmondi*, *Concil. Gall.* Tom. II, p. 121. *Mabillon*, *Annal.* Tom. II, L. XXV, C. 64, p. 278. *Harduin*, *Concil.* Tom. III, p. 2024. Aus dem Jahre 787, wahrscheinlich von Karl selbst geschrieben.

impendere; qualiter sicut regularis norma honestatem morum, ita quoque docendi et discendi instantia ordinet et ornet seriem verborum; ut qui Deo placere appetunt recte vivendo, ei etiam placere non negligant recte loquendo. Scriptum est enim: *Aut ex verbis tuis iustificaberis, aut ex verbis tuis condemnaberis. Matth.* XII, 37. Quamvis enim melius sit bene facere, quam nosse, prius tamen est nosse quam facere. Debet ergo quisque discere quod optat implere; ut tanto uberius quid agere debeat, intelligat anima, quanto in omnipotentis Dei laudibus sine mendaciorum offendiculis concurrerit lingua. Nam cum omnibus hominibus vitanda sint mendacia, quanto magis illi secundum possibilitatem declinare debent qui ad hoc solummodo probantur electi ut servire specialiter debeant veritati. Nam cum nobis in his annis a nonnullis monasteriis saepe scripta dirigerentur, in quibus quod pro nobis fratres ibidem commorantes in sacris et piis orationibus decertarent, significaretur, cognovimus in plerisque praefatis conscriptionibus eorundem et sensus rectos et sermones incultos: quia quod pia devotio interius fideliter dictabat, hoc exterius, propter negligentiam discendi, lingua inerudita exprimere sine reprehensione non valebat. Unde factum est ut timere inciperemus ne forte, sicut minor erat in scribendo prudentia, ita quoque et multo minor esset quam recte esse debuisset in sanctarum scripturarum ad intelligendum sapientia. Et bene novimus omnes quia quamvis periculosi sint errores verborum, multo periculosiores sunt errores sensuum. Quamobrem hortamur vos literarum studia non solum non negligere, verum etiam humillima et Deo placita intentione ad hoc certatim discere, ut facilius et rectius divinarum scripturarum mysteria valeatis penetrare. Cum autem in sacris paginis schemata, tropi, et caetera his similia inserta inveniantur, nulli dubium est, quod ea unusquisque legens tanto citius spiritualiter intelligit, quanto prius in literarum magisterio plenius instructus fuerit. Tales vero ad hoc opus viri eligantur, qui et voluntatem et possibilitatem discendi et desiderium habeant alios instruendi. Et hoc tantum ea intentione agatur, qua devotione a nobis praecipitur. Optamus enim vos, sicut decet Ecclesiae milites, et interius devotos et exterius doctos castosque bene vivendo, et scholasticos bene loquendo, ut quicunque vos propter nomen Domini et sanctae conversationis nobilitatem ad videndum expetierit, sicut de aspectu vestro aedificatur visus, ita quoque de sapientia vestra, quam in legendo seu cantando perceperit, instructus, omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat. Huius itaque epistolae

exemplaria ad omnes suffragantes tuosque coepiscopos, et per universa monasteria dirigi non negligas, si gratiam nostram habere vis. Et nullus Monachus foris monasterio iudiciaria teneat, nec per mallos et publica placita pergat. Legens valeat.

XXXVIII.

Constitutio

de emendatione librorum et officiorum ecclesiasticorum [1]).

Karolus, Dei fretus auxilio Rex Francorum et Langobardorum, ac Patricius Romanorum, religiosis lectoribus nostrae ditioni subiectis. Cum nos divina semper domi forisque clementia, sive in bellorum eventibus, sive in pacis tranquillitate custodiat, etsi rependere quicquam eius beneficiis tenuitas humana non praevalet, quia est inaestimabilis misericordiae Deus noster, devotas suae servituti benigne approbat voluntates. Igitur quia curae nobis est ut nostrarum Ecclesiarum ad meliora semper proficiat status, obliteratam pene maiorum nostrorum desidia reparare vigilante studio literarum satagimus officinam, et ad pernoscenda studia liberalium artium nostro etiam quos possumus invitamus exemplo. Inter quae iampridem universos veteris ac novi instrumenti libros, librariorum imperitia depravatos, Deo nos in omnibus adiuvante, examussim correximus [2]). Accensi praeterea memoriae venerandae Pippini genitoris nostri exemplis, qui totas Galliarum Ecclesias Romanae traditionis suo studio cantibus decoravit [3]), nos nihilo minus solerti easdem curamus intuitu praecipuarum insignire serie lectionum. Denique quia ad nocturnale officium compilatas quorundam casso labore, licet recto intuitu, minus tamen idoneo, reperimus lectiones, quippe quae et sine auctorum suorum vocabulis essent positae, et infinitis vitiorum anfractibus scaterent, non sumus passi nostris in diebus in divinis lectionibus inter sacra officia inconsonantes perstrepere soloecismos, atque earundem lectionum in melius reformare trami-

---

1) *Walter*, II, p. 64. Aus demselben Jahre. — *Baluze*, *Capit.*, Tom. I. p. 203. *Mabillon*, *Veter. Analect.* p. 73. *Annal.* Tom. II, L. XXVI, §. 62, p. 328.

2) Vergl. *Thegan. vit Hludov. Imper.* c. 7. ap. *Pertz.*, II, p. 592.

3) S. *Capitulare I. anni* 789, cap. LXXVIII. ap. *Walter*, II. p. 97. *Paul. Warnefrid. Gesta Episcop. Mettens.* ap. *Pertz*, II, p. 268. *Walafridi Strabi lib. de exord. et increment. rerum ecclesiasticar.* (*Bibl. max. patr.* Vol. XV. Lugd. 1677. fol.) c. 25.

tem mentem intendimus. Idque opus Paulo Diacono, familiari clientulo nostro, elimandum iniunximus, scilicet ut studiose catholicorum Patrum dicta percurrens, veluti e lectissimis eorum pratis certos quosque flosculos legeret, et in unum quaeque essent utilia quasi sertium aptaret. Qui nostrae Celsitudini devote parere desiderans, tractatus atque sermones diversorum catholicorum Patrum perlegens, et optima quaeque decerpens, in duobus voluminibus per totius anni circulum congruentes cuique festivitati distincte et absque vitiis nobis obtulit lectiones. Quarum omnium textum nostra sagacitate perpendentes, nostra eadem volumina auctoritate constabilimus, vestraeque religioni in Christi Ecclesias tradimus ad legendum.

XXXIX.

Praefatio
in
Capitulare Aquisgranense
sive Capitulare primum anni DCCLXXXIX [1]).

Regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum, ego Karolus, gratia Dei eiusque misericordia donante, Rex et rector regni Francorum, et devotus sanctae Dei Ecclesiae defensor humilisque adiutor, omnibus ecclesiasticae pietatis ordinibus, seu secularis potentiae dignitatibus, in Christo Deo aeterno perpetuae pacis et beatitudinis, salutem. Considerans pacifico piae mentis intuitu, una cum Sacerdotibus et Consiliariis nostris, abundantem in nos nostrumque populum Christi Regis clementiam, et quam necessarium est non solum toto corde et ore eius pietati agere gratias incessanter, sed etiam continua bonorum operum exercitatione eius insistere laudibus, quatenus qui nostro regno tantos contulit honores, sua protectione nos nostrumque regnum in aeternum conservare dignetur. Quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, o Pastores Ecclesiarum Christi et ductores gregis eius et clarissima mundi luminaria, ut vigili cura et sedula admonitione populum Dei per pascua vitae aeternae ducere studeatis, et errantes oves, bonorum operum exemplo, seu adhorta-

---

1) *Walter*, II. p. 66. *Sirmond*, *Concil. Gall.* Tom. II. p. 129. *Baluze*, *Capit.* Tom. I, p. 202 sq. *Harduin*, *Concil.* Tom. IV, p. 825 sq.

tione, humeris intra ecclesiasticae firmitatis muros reportare satagimini; ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem, vel paternas traditiones universalium conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideo magnae devotionis studio admonendi et adhortandi sunt, immo compellendi, ut firma fide et infatigabili perseverantia intra paternas sanctiones se contineant: in quo operis studio sciat certissime sanctitas vestra nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter et nostros ad vos direximus Missos, qui ex nostri nominis auctoritate una vobiscum corrigerent quae corrigenda essent. Sed et aliqua capitula ex canonicis institutionibus, quae magis vobis necessaria videbantur, subiunximus. Ne aliquis, quaeso, huius pietatis admonitionem esse praesumptionem iudicet, qua nos errata corrigere, superflua abscidere, recta coartare studuimus, sed magis benevolo caritatis animo suscipiat. Nam legimus in Regnorum libris quomodo sanctus Josias regnum sibi a Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare. Non ut me eius sanctitati aequiparabilem faciam, sed quod nobis sint ubique sanctorum semper exempla sequenda, et quoscunque poterimus ad studium bonae vitae, in laudem et in gloriam Domini nostri Jesu Christi, congregare necesse est. Quapropter, ut praediximus, aliqua capitula notare iussimus, ut simul haec eadem vos admonere studeatis, et quaecunque vobis alia necessaria esse scitis: ut et ista et illa aequali intentione praedicetis. Nec aliquid quod vestrae sanctitati populo Dei utile videatur, omittatis ut pio studio non admoneatis; quatenus ut et vestra solertia et subiectorum obedientia aeterna felicitate ab omnipotenti Deo remuneretur.

XL.

Capitulare octavum anni DCCCIII,

sive Capitula de immunitate Episcoporum ac reliquorum sacerdotum ab expeditionibus bellicis, data Wormatiae in generali populi conventu sub finem ut videtur, anni DCCCIII [1].

Petitio populi ad Imperatorem.

Flexis omnes precamur poplitibus Maiestatem vestram ut Episcopi deinceps, sicut hactenus, non vexentur hostibus. Sed

1) *Walter*, II, p. 190 sqq.

quando vos nosque in hostem pergimus, ipsi propriis resideant in parochiis, Deoque fideliter famulari studeant, et eorum sacro sancta ministeria canonice et Deo placite peragere satagant, atque pro vobis et cuncto exercitu vestro, una cum omnibus sibi commissis, orare viriliter, Missasque cantare, et letanias atque eleemosynas facere decertent. Quosdam enim ex eis in hostibus et praeliis vulneratos vidimus, et quosdam perisse cognovimus. Haec vero valde periculosa, et oppido sunt cavenda. Quae idcirco suggerimus, ne pro talibus vos et nos simul pereamus. Novit Dominus, quando eos in talibus videmus, terror apprehendit nos, et quidam ex nostris timore perterriti propter hoc fugere et inimicis terga vertere solent. Plures enim potestis habere praeliatores, si illi propriis resident in parochiis, quam si vobiscum pergunt; quoniam illi, qui eos praevident, omnes tunc pugnabunt: quod modo nequaquam faciunt, sed eos tantummodo custodiunt. Nam sine dubio potius vobis nobisque proficere possunt, si remanserint, quam si in hostem vel ad pugnam perrexerint; quia tunc eorum precibus adiuvamur, et modo eorum pressuris gravamur. Quando vero Moyses expansis ad coelum manibus orabat, vincebat Israel; et quando a precibus cessabat, et manus eius gravabantur, priusquam sustentatae fierent et ipse precibus insisteret, vincebatur et terga vertebat. Talibus ergo et multis aliis exemplis fulti, quorum prolixitatem vitantes modo non dicimus, quia sapienti semel dicta sufficiunt praedicta, obnixe omnes precamur, et ut concedantur rogamus; quia nullatenus volumus adsentire ut nobiscum ad talia pergant, nisi duo aut tres bene docti, electione videlicet caeterorum, ad benedictionem dandam, et ad periclitantium reconciliationem faciendam, ne vos et nos simul cum pluribus pereamus, sed eorum precibus, ut iam memoratum est, fulciamur. Quam formam et de Sacerdotibus tenere optamus, id est, ut nec illi in hostem nisi bene docti, et ipsi electione atque permissione propriorum Episcoporum; qui tamen tales sint de quorum scientia et vita et conversatione omnes securi esse possimus. Illud tamen vobis et omnibus scire cupimus, quod non propterea haec petimus ut eorum res aut aliquid ex eorum pecuniis, nisi ipsis aliquid sponte nobis dare placuerit, ut eorum Ecclesias viduari cupiamus, sed magis eis, si Dominus posse dederit, augere desideramus, ut et ipsi et vos et nos salviores simus, et Deo potius ipso amminiculante placere mereamur. Scimus enim res Ecclesiae Deo esse sacratas, scimus eas esse oblationes fidelium et pretia peccatorum. Quapropter si quis eas ab Ecclesiis, quibus a fidelibus collatae

Deoque sacratae sunt, aufert, procul dubio sacrilegium committit: caecus enim est qui ista non videt. Quisquis ergo nostrûm suas res Ecclesiae tradit, Domino Deo illas offert atque dedicat, suisque Sanctis, et non alteri, dicendo talia, et agendo ita. Facit enim scripturam de ipsis rebus quas Deo dare desiderat, et ipsam scripturam coram altari aut supra tenet in manu, dicens eiusdem loci Sacerdotibus atque custodibus: *Offero Deo atque dedico omnes res quae hac in chartula tenentur insertae, pro remissione peccatorum meorum ac parentum et filiorum*, (aut pro quocunque illas Deo deliberare voluerit) *ad serviendum ex his Deo in sacrificiis Missarumque solemniis, orationibus, luminariis, pauperum ac Clericorum alimoniis, et ceteris divinis cultibus, atque illius Ecclesiae utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub poena sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, districtissimas reddat rationes.* Ponit etiam in ea alias coniurationes, quas enumerare longum est. Nam qui eas inde postea aufert, quid agit nisi sacrilegium? Si ergo amico quippiam rapere furtum est, Ecclesiae vero fraudari vel auferri indubitanter sacrilegium est. Unde et in sacris Canonibus Spiritu Dei conditis, habetur ita: *Si quis oblationes Ecclesiae extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit praeter Episcopi conscientiam, vel eius cui huiuscemodi sunt officia commissa, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit.* Absit enim, ut rerum ecclesiasticarum cupiditate vel ablatione sacrilegii aut anathema efficiamur, aut talibus laqueis unquam devinciamur; quoniam scimus anathematos homines, vel sacrilegos, non solum infames, et a consortio fidelium, priusquam haec per publicam satisfactionem Ecclesiae et Episcoporum conciliationem manusque impositionem emendent, alienos esse, sed etiam a regno Dei extorres fieri, si in talibus defecerint, non dubitamus. Ut ergo omnis suspicio a nobis cunctis Sacerdotibus, et omnibus Christi et sanctae ecclesiae fidelibus funditus auferatur, profitemur omnes, stipulas dextris in manibus tenentes easque propriis e manibus eiicientes, coram Deo et angelis eius, ac vobis cunctisque Sacerdotibus et populis circumstantibus, nec talia facere, nec facere volentibus consentire, sed magis Deo auxiliante resistere. Et hoc vobis omnibusque fidelibus sanctae Dei Ecclesiae, et nostris, notum esse cupimus, quod cum his qui absque voluntate aut consensu vel datione rectoris illius Ecclesiae, cuius ipsae res iuste esse debentur, et maxime proprii Episcopi, res Ecclesiae a Regibus petere aut retentare, vel auferri aut invadere, vel vastare praesumserint, nec in hostem nec ad pugnam

ire, nec cibum sumere, nec ad Ecclesiam vel ad palatium aut in itinere pergere, nec etiam nostros homines cum eorum hominibus, aut caballos vel reliqua pecora nostra cum eorum pecoribus, aut ad pastum ire, aut simul habitare, vel manere nec ullam participationem cum eis, nisi pro emendatione, ante publicam emendationem et Ecclesiae satisfactionem unquam scienter aut libenter habere debeamus, ne pro eorum iniquitatibus atque flagitiis una cum eis nos et nostri, quod absit, pereamus. Scimus enim quia perit iustus pro impio. Tales vero a nobis, si nos fideles habere vultis, segregate et in ergastulum sub publica poenitentia redigite [1]; et postulata concedite. Ut ergo haec omnia a vobis et a nobis, sive a successoribus vestris et a nostris, futuris temporibus absque ulla dissimulatione conserventur scriptis ecclesiasticis inserere iubete, et inter vestra Capitula interpolare praecipite.

XLI.

Concessio Domini Karoli Imperatoris
ad suprascriptam petitionem.

Omnibus notum esse volumus quia non solum ea quae super Episcoporum et Presbyterorum hostium vexationibus et precibus pro nobis et vobis fieri rogitastis, concedere optamus, sed quicquid pro sanctae Dei Ecclesiae et Sacerdotum, sive totius populi et vestra utilitate inveneritis, concedere paratissimi sumus. Et modo ista, sicut petistis, concedimus. Et quando, vita comite, Deo auxiliante, ad generale placitum venerimus, sicut petistis, consultu omnium fidelium nostrorum scriptis firmare, nostris nostrorumque atque futuris temporibus irrefragabiliter manenda firmissime, Domino amminiculante, cupimus. Modo ea quae generalia sunt, et omnibus conveniunt Ordinibus, statuere ac cunctis sanctae Dei Ecclesiae nostrisque fidelibus, ob Dei omnipotentis amorem et recordationem, tradere parati sumus; et ad proximum synodalem nostrum conventum ac generale placitum,

---

[1]) Erhellt hieraus das Vorhandensein öffentlicher Straf- und Arbeitshäuser unter der Regierung Karls des Gr.? S. auch die Stelle aus dem Mönche von St. Gallen (I, 8), welche wir unten unter Nr. 76. mitgetheilt haben.

ubi plures Episcopi et Comites convenerint, ista, sicut postulastis, firmabimus.

XLII.

Quod sequitur Capitulum datum videtur in Synodo, cuius mentio fit in postremis verbis superioris Concessionis.

De hoste et pugna atque armis Sacerdotibus prohibitis.

Secunda vice, propter ampliorem observantiam, apostolica auctoritate et multorum sanctorum Episcoporum admonitione instructi, sanctorumque Canonum regulis edocti, consultu videlicet omnium nobilium nostrorum, nosmetipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, volumus ut nullus Sacerdos in hostem pergat, nisi duo vel tres tantum Episcopi, electione caeterorum, propter benedictionem et praedicationem populique reconciliationem, et cum illis electi Sacerdotes, qui bene sciant populis poenitentias dare, Missas celebrare, de infirmis curam habere, sacratique olei cum sacris precibus unctionem impendere, et hoc maxime praevidere ne sine viatico quis de saeculo recedat. Hi vero nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, nec effusores sanguinum vel agitatores fiant, sed tantum Sanctorum pignora et sacra ministeria ferant, et orationibus pro viribus insistant; ut populus qui pugnare debet, auxiliante Domino, victor existat, et non sit Sacerdos sicut populus. Reliqui vero qui ad Ecclesias suas remanent, suos homines bene armatos nobiscum, aut cum quibus iusserimus, dirigant; et ipsi pro nobis et cuncto exercitu nostro Missas, letanias, oblationes, eleemosynas faciant, orantes Deum casti ut proficiamus in itinere quo pergimus, victoresque, Deo amminiculante, existamus. Gentes enim et Reges earum quae Sacerdotes secum pugnare permiserunt, nec praevalebant in bello, nec victores exstiterunt; quia non erat differentia inter Laicos et Sacerdotes, quibus pugnare non est licitum. Haec vero Galliarum, Hispaniarum, Langobardorum, nonnullasque alias Gentes et Reges earum fecisse cognovimus; quae propter praedictum nefandissimum scelus, nec victores exstiterunt, nec patrias retinuerunt. Quam foveam caventes malumus cum paucis et licitis Domino opem ferente, victores existere, quam cum multis et inlicitis terga, quod absit, vertere et cum praedictis gentibus perire. Qualis enim victoria datur ubi Sacerdotes

una hora dominica pertractant mysteria, et Christianis dominicum porrigunt corpus pro suarum animarum redemptione, et post Christianos, quibus hoc ministrare debuerant, aut Paganos, quibus Christum praedicare, propriis sacrilegisque manibus necant; praecipue dicente eis Domino: *Vos estis sal terrae; Quod si sal evanuerit, in quo condietur? Ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.* Et dum haec ita se habeant, elegimus potius, Domino amminiculante, nobisque illis et cunctis eorum Ecclesiis opem ferente, nec quicquam eis pro hoc de honoribus vel Ecclesiarum rebus minuente, ut gradus eorum et sanctorum Canonum decreta custodiant, quam illi aut nobis imperantibus aut consentientibus contra haec faciant, aut gradibus careant, ac simul nos, quod absit, cum eis et victoria careamus vel pereamus. Quoniam, peccatis exigentibus, timemus si talia et tam inlicita aut imperemus aut agere consentiamus, ut una cum eis pereamus; quia non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, aequo piaculo rei sunt in conspectu Dei et Sanctorum eius. Si vero ista veraciter ex utraque parte fuerint custodita, credimus quia corruent ante nos omnes paganae gentes, et erimus victores, insuper et bene agentes, Domino auxiliante, vitam possidebimus sempiternam.

XLIII.

Capitula data Presbyteris[1]).

Admonere vos cupio, fratres et filioli mei, ut ista pauca capitula, quae hinc scripta sunt, attentius audiatis.

I. Inprimis, ut Sacerdos Dei divina scriptura doctus sit, et fidem Trinitatis recte credat, et alios doceat, et suum officium bene possit implere.

II. Ut totum psalterium memoriter teneat.

III. Ut signaculum et baptisterium memoriter teneat.

IV. Ut de canonibus doctus sit, et suum poenitentiale bene sciat.

V. Ut cantum et compotum sciat.

VI. Ut nullus Sacerdos feminas secum habitare permittat, excepto matre, sorore, vel amita.

---

[1]) *Walter*, II, p. 199 sq. Wahrscheinlich vom Jahre 804.

VII. Ut Presbyteri in tabernis bibere non praesumant.

VIII. Ut nullus avaritiam sectetur; non sit superbus, non ebriosus, non vinolentus, non somnulentus.

IX. Ut nullus praesumat in coena Domini ieiunium solvere.

X. Ut nullus baptizare praesumat, nisi in Pascha et Pentecosten, excepto infirmo.

XI. Ut nullus Presbyter, nec Diaconus, nec Clericus, chrisma alicui dare praesumat pro aliqua necessitate. Qui hoc fecerit, degradetur.

XII. Ut nullus Presbyter ad Synodum contemnat venire. Quod si aliter facere praesumserit coactus veniat, et secundum canones iudicetur.

XLIV.

Karoli Magni Praeceptum

de scholis Graecis et Latinis instituendis in Ecclesia Osnabrugensi.

Datum anno DCCCIV [1]).

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Karolus Imperator Augustus, Romanum gubernans Imperium, qui et Rex Francorum et Langobardorum, necnon modo Dominator et Saxonum. Notum sit omnibus Sanctae Dei Ecclesiae fidelibus, nostrisque praesentibus scilicet et futuris, qualiter nos, ob nostrae mercedis augmentum, Wihoni Osnabrukgensi Episcopo, suaeque Ecclesiae, quam nos primam omnium in Saxonia in honore sancti Petri Principis Apostolorum, et sanctorum Martyrum Crispini et Crispiani, construximus, quoddam nemus vel forestum infra haec loca situm, Franevinkit, Rutanstein, Angeri, Osning, Sinedi, Bergashovid, Drevensmeri, Etanarfeld, Dumeri, collaudatione illius regionis potentum cum omni integritate, in porcis videlicet silvaticis, atque cervis, avibus, et piscibus, omnique venatione quae sub banno usuali ad forestum deputatur, ad similitudinem foresti nostri Aquisgranum pertinentis in silva Osningi, in perpetuum propietatis usum donavimus, ea videlicet ratione quod si quisquam hoc idem nemus nostro banno munitum sive praedictae sedis Episcopi licentia, studio venandi, vel sylvam extir-

---

1) *Walter*, II, p. 200.

pandi, vel aliquod huiusmodi negotium peragendi, unquam intrare praesumserit, sciat se tam divinae quam et regiae ultionis vindictam incursurum, necnon pro delicto sexaginta solidos nostri ponderis, quos nobis pro banno violato deberi statuimus, redditurum. Insuper vero eidem Episcopo suisque successoribus perpetuam concedimus libertatem, et ab omni regali servitio confirmamus absolutionem. Nisi forte contingat ut Imperator Romanorum vel Rex Graecorum coniugalia foedera inter filios eorum contrahere disponant, tunc Ecclesiae illius Episcopus, omni sumtu a Rege vel Imperatore adhibito, laborem simul et honorem illius legationis assumat. Et hoc ea de causa statuimus, quia in eodem loco graecas et latinas Scholas in perpetuum manere ordinavimus, et nunquam Clericos utriusque linguae gnaros ibidem deesse in Dei misericordia confidimus. Et ut haec auctoritas firmior habeatur, ac diuturnis temporibus melius conservetur, manu propria subter eam roborare decrevimus, et de annulo nostro sigilare iussimus.

Signum Karoli piissimi Imperatoris.

Amalbertus ad vicem *Ercanboldi* recognovi.

Data XIII. Kal. Januarias anno IV. Christo propitio Imperii nostri, et XXXVII. regni nostri in Francia, atque XXXI. in Italia.

Actum Aquisgrani Palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

XLV.

Epistola Generalis

ad Archiepiscopos Regni Francorum, data, ut videtur, anno 811 [1]).

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Karolus serinissimus Augustus a Deo coronatus, magnus, pacificus Imperator, (Romanorum) gubernans Imperium, qui et per misericordiam Dei Rex Francorum et Langobardorum, Odilberto Arihiepiscopo in Domino salutem. Saepius tecum, immo et cum caeteris collegis tuis familiare colloquium de utilitate sanctae Dei Ecclesiae habere voluissemus, si absque molestia corporali id efficere potuisses. Sed quamvis Sanctitatem tuam in divinis rebus tota intentione vigilare non ignoremus, omittere tamen non

[1]) *Walter*, II, p. 244.

possumus quin tuam Devotionem, sancto incitante Spiritu, nostris apicibus compellamus atque commoneamus ut magis ac magis in sancta Dei Ecclesia studiose ac vigilanti cura laborare studeas in praedicatione sancta et doctrina salutari: quatenus per tuam devotissimam solertiam verbum vitae aeternae crescat et currat, et multiplicetur numerus populi Christiani in laudem et gloriam Salvatoris nostri Dei. Nosse itaque per tua scripta aut per te ipsum volumus qualiter tu et Suffraganei tui doceatis et instruatis Sacerdotes Dei et plebem vobis commissam de baptismi sacramento; id est, cur primo infans catechumenus efficitur, vel quid sit catechumenus deinde per ordinem omnia quae aguntur. De scrutinio. De symbolo, quae sit eius interpretatio secundum Latinos. De credulitate, quomodo credendum sit in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium eius natum et passum, et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, et ceteraque in eodem symbolo. De abrenuntiatione Satanae et omnibus operibus eius atque pompis. Quid sit abrenuntiatio, vel quae opera diaboli et pompae eius. Cur insufflatur, vel cur exorcizatur. Cur catechumenus accipit salem. Quare tangantur nares, pectus unguatur oleo; cur scapulae signantur, et quare pectus et scapulae liniantur. Cur albis induitur vestimentis; cur sacro chrismate caput perungitur, et mystico tegitur velamine, vel cur corpore et sanguine dominico confirmatur. Haec omnia subtili indagine per scripta nobis, sicut diximus, nuntiare satage; vel si ita teneas et praedices, aut si in hoc quod praedicas te ipsum custodias. Bene vale, et ora pro nobis.

XLVI.

Ad Leonem Papam, de eius electione.

Karolus gratia Dei Rex Francorum et Langobardorum, ac Patritius Romanorum, Leoni Papae perpetuae beatitudinis in Christo salutem. Perlectis Excellentiae vestrae literis et audita Decretali Cartula, valde, ut fateor, gavisi sumus, seu in electionis unanimitate, seu in humilitatis nostrae obedientia, et in promissionis ad nos fidelitate. In quibus omnibus ex intimo cordis affectu multiplices divinae pietati agentes gratias, quia nobis post lacrymabile doloris vulnus, quod animae nostrae dilectissimi Patris et fidelissimi amici obitus inflixit, tale in vobis solita suae

clementiae providentia solatium perdonare dignatus est. Unde et vestrae sanctitati quasi vicario laetitiae munere, per eiusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi misericordiam, qui sanctae suae Ecclesiae in vestrae beatitudinis exaltatione consuluit, nostram omnicumque fidelium nostrorum demandamus prosperitatem; necnon et pacificam in Dei voluntate totius regni nostri innotescimus unanimitatem: ut aeque in nostrae devotionis gaudeatis, sicut et nos in vestrae sanctitatis laetamur successibus. Sed et hoc vestrae sanctissimae Benivolentiae innotescimus, quod cum dilectionis munera Patri meo dulcissimo, praedecessori vestro, dirigere paraveram, ut caritatis, quam in eo habui, munificentiae largitate monstrarem magnitudinem, et suavissimae inter nos familiaritatis fidelitas multorum ostenderetur oculis: ecce subito, quod sine dolore non dicam, sine lacrymis non cogito prae tristitia, obitus illius legatione consternatus sum: et ubi laetitiae paraveram insignia, ibi me tristitiae turbaverunt lugubria. Etsi Apostolus de mortuis contristare prohiberet, tamen caritas lacrymas elicere non cessat. Non quasi mortuum plangentes, sed quasi melius cum Christo viventem recordantes; si nos corporali praesentia amisisse, non tamen spiritali suffragio illum nos amittere arbitramur. Sed magnum divina nobis praevidebat gratia solatium, dum vos, vir venerande, in locum illius subrogavit: ut esset qui cotidie apud beatum Petrum principem Apostolorum per totius Ecclesiae stabilitate, et qui pro salute mea meorumque fidelium, immo et pro totius stabilitate regni nobis a Deo dati intercederet, et paterna pietate nos in filium sibi adoptaret. Ad dilectionis pacificam unanimitatem Angilberctus manualem vestrae familiaritatis vestrae direximus Sanctitati, quem prius, sicut promisimus per religiosos viros Campulum et Anastasium, beatissimo Patri nostro, praedecessori vestro, dirigere curavimus; sed ut praefati sumus, dum exenia omnia parata erant, lugubri paternae mortis nuntio repente tardatum est iter illius: sed modo laetiores de vestrae sanctitatis successione facti, quod desideravimus in illo pio Patre agere, in vobis perficere studemus; illique omnia iniunximus, que vel nobis voluntaria, vel vobis necessaria esse videbantur, ut ex conlatione mutua conferatis, quicquid ad exaltationem sanctae Dei Ecclesiae, vel ad stabilitatem honoris vestri, vel patritiatus nostri firmitatem necessarium intellegeritis. Sicut enim cum beatissimo praedecessore vestro santae paternitatis pactum inii, sic cum Beatitudine vestra eiusdem fidei et caritatis inviolabile foedus statuere desidero: quatenus Apostolicae Sanctitatis vestrae, divina do-

nante gratia Sanctorum advocata precibus, me ubique Apostolica benedictio consequatur, et sanctissima Romanae Ecclesiae sedes, Deo donante, nostra semper devotione defendatur. Nostrum est, secundum auxilium divinae pietatis, sanctam ubique Christi Ecclesiam ab incursu paganorum et ab infidelium devastatione armis defendere foris, et intus Catholicae fidei agnitione munire. Vestrum est, sanctissime Pater, elevatis ad Deum cum Moyse manibus, nostram adiuvare militiam; quatenus vobis intercedentibus, Deo ductore et datore, populus Christianus super inimicos sui sancti nominis ubique semper habeat victoriam, et nomen Domini nostri Jesu Christi toto clarificetur in orbe. Vestrae vero auctoritatis prudentia Canones ubique sequatur; quatenus totius sanctitatis exempla omnibus evidenter in vestra fulgeant conversatione, et sanctae admonitionis exhortatio audiatur ab ore; quatenus sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est. Omnipotens Deus vestrae auctoritatis Beatitudinem ad sanctae suae Ecclesiae exaltationem per multa annorum curricula incolomem conservare dignetur.

XLVII.

Ad Albinum Magistrum et ad Congregationem St. Martini Monasterii.

In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Karolus etc. Albino venerabili Magistro et omni Congregationi Monasterii S. Martini. Pridie quam ad nostram praesentiam a vobis missa venisset epistola, adlatae sunt nobis litterae a Theodulfo Episcopo missae, querimonias continentes de inhonoratione hominum suorum, et non tam illorum quam Episcopi huius civitatis, vel contemptu iussionis imperii nostri. Quam iussionem de redditione cuiusdam Clerici de custodia ipsius elapsi, et in Basilica S. Martini latitantis sub nostri nominis auctoritate conscribere iussimus cuius etiam nobis exemplaria misistis, in quibus nos nequaquam iniuste aliquid decrevisse, ut vobis visum fuit, putamus. Sed cum utrasque epistolas, vestram scilicet ac Theodulfi, nobis relegere fecissemus, asperior multo nobis et cum iracundia composita vestra quam Theodulfi videbatur epistola, et in nullo erga

illum caritatis condimento respersa; sed potius quasi reum defendens, et Episcopum accusans, et sub velamine quodam elati nominis continens vel posse vel admitti ad accusationem debere; cum hoc omnino et divina et humana lege sancitum sit, nulli criminoso alterum accusandi dari licentiam. Quamquam a vobis ad hoc defensus et conservatus sit sub obtentu iussionis nominis nostri; ut qui iam accusatus, et in conspectu populi civitatis suae iudicatus est, accusandi locum habere Caesarei nominis appellatione deberet, ad exemplum beati Pauli Apostoli, qui apud Principes Judaeae a gente sua accusatus, sed nondum iudicatus, Caesarem appellavit, et ab eisdem Principibus ad Caesarem iudicandus missus est. Quod nequaquam praesenti negotio convenit. Paulus enim Apostolus a Judaeis accusatus, sed non iudicatus, Caesarem appellavit, et adire permissus est: hic vero infamis Clericus et accusatus et iudicatus, et in custodia missus et de custodia delapsus, Basilicam, quam nisi post poenitentiam ingredi non debuerat, contra legem ingressus, et adhuc, ut fertur, perverse vivere non cessans, ut dicitis, sicut Paulus Apostolus, Caesarem appellavit; sed nequaquam, ut Paulus, Caesarem auditurus est. Illi enim, apud quem accusatus, et a quo iudicatus atque in custodia missus est, et de cuius custodia evasit, praecipimus ut reddatur; et ille eum ad nostram audientiam, sive vere sive falsa dicentem, adducat: quia non decet ut propter talem hominem nostrae primae iussionis ulla fiat immutatio. Sed et valde miramur cur vobis solis visum sit nostrae auctoritatis sanctioni et decreto contraeundum, cum liquido pateat et ex consuetudine veteri, et ex constitutione legum [Regum] decreta recta esse debere, nec quiquam permissum illorum edicta vel statuta cotemnere. Et in hoc satis mirari nequivimus quod illius scelerati hominis precibus quam nostrae auctoritatis iussionibus obtemperare maluistis, cum nunc clarissime liqueat cum eodem homine amorem discordiae et irruptionem caritatis de hoc loco veluti egredi. Ipsi quippe nostis, qui congregatio huius Monasterii a servis Dei (et utinam vere) dicimini, qualiter iam crebro vita vestra a multis diffamata est; et non absque re. Aliquando enim Monachos, aliquando Canonicos, aliquando neutrum vos esse dicebatis. Et nos consulendo vobis, et ad malam famam abolendam, magistrum et rectorem idoneum vobis elegimus, et de longinquis provinciis invitavimus, qui et verbis et admonitionibus rectam vitam instruere, et quia religiosus erat, bonae conversationis exemplo potuisset informare. Sed proh dolor! aliorsum cuncta convers sunt, et diabolus vos quasi

ministros suos ad seminandam discordiam inter quos minime decebat, invenit, scilicet inter sapientes et doctores Ecclesiae: et qui peccantes corrigere et castigare debuerunt, cogitis ad peccatum invidiae atque iracundiae prorumpere. Sed illi, Deo miserante, nequaquam adsentum vestris malis suggestionibus praebituri sunt. Vos autem, qui contemptores nostrae iussionis extititis, sive Canonici sive Monachi vocamini, ad placitum nostrum, iuxta quod praesens Missus noster vobis indixerit, nobis vos adsistere scitote. Et quamvis ad nos missa hic factae seditionis vos excuset epistola, venite, et condigna satisfactione inustum crimen eluite.

XLVIII.

Ex Epistola Dungali Reclusi de duplici solis eclipsi anni DCCCX.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Domino gloriosissimo Karlo serenissimo Augusto, omnium antecedentium Romanorum principum cunctis nobilibus honestique regalium virtutum donis et exercitiis studiosissimo, vita longaeva, fida salus, continua benevolentia, pax, corona immarcessibilis, gloria sine fine. Audivi ergo Domine dilectissime, ego Dungalus vester fidelis famulus et orator, non immemor quod vos Waldoni Abbati direxistis epistolam, ut per illam me ipse ex vestris verbis interrogaret de ratione defectus solis, quem anno praeterito ab Incarnatione Domini DCCCX bis evenisse plurium relatu vobis fuisse compertum dixistis: et quem, sicut quos legisse memorastis, non solum antiqui gentilium Philosophi, sed et quidam Constantinopolitanus Episcopus, quasi naturalem concursionis elementorum effectum, usitatae et certae explorationis peritia cognitum, prius dixere quam fieret.

Inde vestrae beatissimae et clarissimae Serenitati visum est mandare ut de dicta causa ego, quasi sectator et amator sapientiae, interogarer quid sentirem et quid scirem; et quid sentirem proferando, et respondendo faterer, exceptum scriberetur, scriptumque vobis deferretur. Non differam igitur neque dissimulabo vestro secundum vires sanctissimo et utilissimo parere praecepto . . . . .

Anno ergo praeterito DCCCX ab Incarnatione Domini non

est mirum eclipsin solis evenisse, sicut vestrae indicant literae, VII. Idus Iunias, prima tunc initiante Luna; et rursus in eodem anno pridie Kalendas Decembris, XXX incipiente Luna; et a priore defectu septimo mense, hoc est Decembre inchoante: quia sic defectus Solis definitur novissima primave Luna fieri, et septimo mense a priore defectu, quamvis aliquando penitus non appareat, cum certe sit factus, aut si apparuerit, non semper ubique cernatur, aut si ubique conspiciatur, non eisdem horis omnes aequaliter videant evenisse propter supradictas causas...

Vos autem, domine piissime Auguste, quibus prae omnibus affluentiam sapientiae, sicut et caeterarum sanctarum virtutum, Deus distribuit, rogo suppliciter ut in quo vobis de hac causa ignorare videar, aut aliter aestimare quam rectum est, instruere et dirigere dignemini, ut non solum vestrae purissimae et clarissimae sapientiae lux his, qui prope sunt, luceat, sed et his qui longe: et non solum per aperta camporum discurrentes inlustret, verum etiam Reclusos licet per rimas et iuncturas vestri serenissimi splendoris radios exerens perfundat.

Omnibus ergo valde necesse est attentis et assiduis precibus rogare et postulare, ut Dominus et Salvator noster Jesus Christus suo populo donet et tribuat multis annis de tali et tanto Principe et Magistro gaudere, qui omnibus aequaliter omnium bonorum operum et virtutum et honestarum disciplinarum doctor praecipuus, et perfectum habetur exemplar rectoribus ad suos subiectos bene regendos, militibus ad suam exercendam legitime militiam, Clericis ad universalis Christianae Religionis ritum recte observandum; Philosophis et Scholasticis ad honeste de humanis philosophandum et sapiendum, reverenterque atque orthodoxe de divinis sentiendum et credendum. Quid plura de nostri domini Augusti Karli summis virtutibus et excellentibus dicere nitor, cum licet multum elaborare velim, totas referre non potero? Hoc tantum veraciter dicimus, quod omnes uno ore conclamant, quia in ista terra, in qua nunc Deo donante Franci dominantur, ab initio mundi talis Rex et talis Princeps numquam visus est, qui sic esset fortis, sapiens et religiosus, sicut noster dominus Augustus Karlus. De caetero autem per sua sancta et sublimia merita forsitan de suo semine talis oriatur. Hoc solum superest, ut nos omnes Christiani altissimis vocibus et devotissimis cordibus unanimiter clamemus ad Dominum, et rogemus ut nostri optimi domini Augusti Karli triumphos multiplicet, imperium dilatet, sacram conservet progeniem, sanitatem confirmet,

vitam in multos extendat annorum curriculos. Exaudi, exaudi, exaudi, Christe.

XLIX.

Praeceptum Caroli Magni pro Paulino artis Grammaticae Magistro.

Apud Cointium, Tom. 6. Annal. Eccles. p. 108.

Carolus Dei gratia Rex Francorum et Langobardorum, et Patricius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Castaldis, vel omnibus fidelibus nostris, praesentibus et futuris. Merito quidem a nobis sublevantur muneribus, qui nostris fideliter obsequiis famulantur. Et ideo si petitiones eorum, pro quibus nostras pulsaverint aures, ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, atque illorum animum nobis deserviendo provocamus. Igitur notum sit omnium vestrum Magnitudini, qualiter cedimus et donamus a nobis viro valde venerabili Paulino artis Grammaticae Magistro hoc est, res quondam et facultates tales quae fuerunt Waldandii filii quondam Aimoni de Laberiano, quae ad nostrum devenerunt Palatium, pro eo quod in campo cum Forticauso inimico nostro a nostris fidelibus fuerit interfectus, casa videlicet in Laberiano cum omni integritate et solidate sua, id est, cum terris, domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, casis, massaritiis, cum servis et alditionibus, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, omnia et ex omnibus, quantumcumque praedictus Waldandius ibi ut alicubi habere visus fuit, tamen ex dono Regum, aut Iudicum, seu de comparato, aut de quolibet adtracto, praedicto Paulino a die praesenti tradimus atque cedimus perpetualiter ad possidendum; ita ut ab hac die praedictus Paulinus suprascriptis de rebus quieto ordine teneat et possideat, et quicquid exinde facere voluerit, liberum in omnibus perfruatur arbitrium. Praecipientes ergo iubemus ut nullus quislibet de fidelibus aut successoribus nostris praedicto Paulino de iam dictis rebus ullo unquam tempore inquietare, aut calumniam generare praesumat, sed omni tempore ex dono largitatis nostrae ipsas res iure proprietario valeat possidere firmissime. Et ut haec praeceptio firmior habeatur, vel nostris vel futuris

temporibus melius conservetur, manu propria in aeternum decrevimus roborare, ac de anulo nostro iussimus sigillare.

Data XV Kal. Julii, anno octavo regni nostri, et Loreia civitate, in Dei nomine feliciter.

L.

Exemplar Epistolae Adriani Papae ad domnum Carolum Regem directae, in qua continetur de mosivo atque marmore Palatii Ravennatae civitatis: praedictus Papa domni Regis ditioni, vel quicquid exinde facere voluisset, libenti animo se tribuere dicit.

Domno excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo Regi Francorum et Langobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Praefulgidos atque nectareos regalis Potentiae vestrae per Arvinum Ducem suscepimus apices, in quibus referebatur quod Palatii Ravennatis civitatis mosiva atque marmora, ceteraque exempla tam in strato quamque in parietibus sita, vobis tribueremus. Nos quippe libenti animo et puro corde, cum nimio amore vestrae Excellentiae, tribuimus effectum; et tam marmora quamque mosivum, ceteraque exempla de eodem Palatio vobis concedimus auferenda; quia per vestra laboriosa regalia certamina multis bonis fautoris vestri B. Petri clavigeri regni caelorum Ecclesia cottidie fruitur, quatenus merces vestra copioso adscribatur in caelis. Suscepimus etiam per eundem Arvinum equum utilem unum a vobis directum. Alius autem, qui cum ipso directus est, defectus in ipso itinere, mortuus est. Unde ob vestram memoriam maximas referimus grates. Sed secundum nostrum amorem, quem ex intimo corde erga vestrum habemus praefulgidum regnum, tales nobis famosissimos emittite equos, qui ad nostram sessionem facere debeant in ossibus atque plenitudine carnis decoratos, qui dum in omnibus aspectibus laudabiles exsistunt, vestrum praefulgidum triumphis laudare valeant nomen. Et pro huiusmodi re, sicut soliti estis, dignam ab ipso Dei Apostolo suspicere valeatis retributionem, ut una cum domina Regina vestraque nobilissima prole in hoc mundo regnantes, in aetheris arcibus vitam aeternam adipisci mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

LI.

Epistola

Beati Lupi Abbatis Ferrariensis ad Einhardum [1].

Carissimo Einhardo Lupus S. Diu cunctatus sum, desideratissime hominum, auderem necne Excellentiae vestrae scribere. Et cum me ab hoc officio aliae rationabiles causae, tum etiam ea maxime deterrebat, quod posse id contingere videbatur, ut dum vestram cuperem amicitiam comparare, offensam incurrerem. Scilicet quod praepropero et inusitato prorsus ordine, ab ipso familiaritatis munere inchoaverim, qui nec primordio notitiae contigissem. Ita vehementer aestuanti, facilis, et modesta, et quae sane philosophiam deceat, animi vestri natura tantae rei obtinendae spem tribuit. Verum ut aliquid rationes afferre videar, taceo quidem secularium literarum de amicitia sententias; ne, quoniam eis adprime incubuistis, Horationum illud doctissimorum ore tritum merito accipiam: *In silvam ne ligna feras* [2]. Deus certe noster, nedum aliquam aspernandi amicos occasionem relinqueret, diligendos omnino inimicos praescripsit. Itaque patienter, quaeso, et benigne advertite animum, dum altius meas repeto cogitationes, ut nosse possitis quam hoc non perperam nec iuvenili moliar levitate. Amor literarum ab ipso fere initio pueritiae mihi est innatus, nec earum, ut nunc a plerisque vocantur, superstitiosa otia fastidio sunt. Et nisi intercessisset inopia praeceptorum, et longo situ collapsa priorum studia pene interiissent, largiente Domino, meae aviditati satisfacere forsitan potuissem. Siquidem vestra memoria per famosissimum Imperatorem Karolum, cui literae eo usque deferre debent, ut aeternam ei parent memoriam, coepta revocari, aliquantum quidem extulere caput, satisque constitit veritate subnixum praeclarum dictum: *Honos alit artes, et accenduntur omnes ad studia gloria* [3]. Nunc oneri sunt qui aliquid discere affectant; et velut in edito sitos loco, studiosos quosque imperiti vulgo aspectantes, si quid in eis culpae deprehenderint, id non humano vitio, sed qualitati disciplinarum assignant. Ita dum alii dignam sapientiae palmam non capiunt, alii famam verentur indignam, a tam praeclaro

---

1) Die folgenden fünf Briefe stehen in *Beati Servati Lupi Presbyteri et Abbatis Ferrariensis* (Ferrières), *Ordinis S. Benedicti Opera coll. Steph. Baluze*, Paris. 1664, 8, p. 1—23: der dritte anch bei *Weinkens*, *Eginhardus illustratus*, Francof. ad Moen. 1714, fol. p. 99 sq. die übrigen p. 107 sqq.

2) *Horat. Satir.* I, 10. — 3) *Cicero, Tuscul.* I.

opere destiterunt. Mihi satis apparet propter se ipsam appetenda sapientia: cui indagandae a sancto Metropolitano Episcopo Aldrico delegatus, doctorum grammaticae sortitus sum, praeceptaque ab eo artis accepi. Sic quoniam a Grammatica ad Rhetoricam, et deinceps ordine ad caeteras liberales disciplinas transire hoc tempore fabula tantum est, cum deinde auctorum voluminibus spatiari aliquantulum coepissem, et dictatus nostra aetate confecti displicerent, propterea quod ab illa Tulliana caeterorumque gravitate, quam insignes quoque Christianae religionis viri aemulati sunt, oberrarent; venit in manus meas opus vestrum, quo memorati Imperatoris clarissima gesta (liceat mihi absque suspicione adulationis dicere) clarissime litteris ablegastis. Ibi elegantiam sensuum, ibi raritatem coniunctionum, quam in auctoribus notaveram, ibidemque non longissimis periodis impeditas et implicitas ac modicis absolutas spatiis sententias inveniens, amplexus sum. Quare cum et ante propter opinionem vestram, quam sapiente viro dignam imbiberam, tum praecipue propter expertam mihi illius libri facundiam, desideravi deinceps aliquam nancisci opportunitatem, ut vos praesentes alloqui possem; ut quem admodum vos meae Parvitati vestra tum probitas tum sapientia fecerat claros, ita me vestrae Sublimitati meus iam erga vos amor, et erga disciplinas studium commendaret. Neque vero id optare desistam, quamdiu ipse incolumis in hac vita vos esse cognovero. Quod posse contingere hoc magis in spem ducor, quo ex Gallia huc in Transrhenanam concedens regionem, vobis vicinior factus sum. Nam a praefato Episcopo ad venerabilem Rhabanum directus sum, uti ab eo ingressum caperem divinarum scripturarum. Ergo cum ad vos iturum hinc eius nuntium comperissem, primo quasdam verborum obscuritates, a vobis uti elucidarentur, mittendas proposui; deinde praestare visum est, ut etiam hanc epistolam dirigere debuissem; quae si a vobis dignanter accepta fuerit, exoptabili me affectum munere gratulabor. Sed semel pudoris transgressus limitem, etiam hoc postulo, ut quosdam librorum vestrorum mihi hic posito commendetis, quamquam multo sit minus libros quam amicitiam flagitare. Sunt autem hi. Tullii de Rhetorica liber: quem quidem habeo, sed in plerisque mendosum. Quare cum codice istic reperto illum contuli, et quem certiorem putabam, mendosiorem inveni. Item eiusdem de Rhetorica tres libri in disputatione ac dialogo de Oratore. Quos vos habere arbitror, propterea quod in brevi voluminum vestrorum, post commemorationem libri ad Herennium, interpositis quibusdam aliis, scriptum reperio *Ciceronis de Rhetorica*. Item

Explanatio in libros Ciceronis. Praeterea, *A. Gellii Noctium Atticarum.* Sed et alii plures in praedicto brevi: quos, si Deus apud vos mihi gratiam dederit, istis remissis accipiens describendos mihi, dum hic sum, avidissime curare cupio. Exorate, quaeso, verecundiam meam, quae supplico facientes; meque rimantem amaras literarum radices, earum iam iocundissimis explete fructibus: illo vestro facundissimo eloquio incitate; quae si meruero, tantorum beneficiorum gratia, quoad vixero, semper mihi habebitur. Nam quae vos eorum merito sit remuneratio secutura non est opus dicere. Plurima scribenda in alia mens suggessit, sed vestrum ingenium meis ineptiis ultra remorare non debui, quod scio vel exterioribus occupatum utilitatibus, vel circa intimas et abditas philosophiae rationes intentum.

LII.

Ad eundem Epistola secunda.

Desiderantissimo praeceptori Einhardo Lupus. Molestissimo nuntio de excessu venerabilis vestrae coniugis consternatus, plusquam umquam vobis nunc optarem adesse; ut vestram moestitiam vel mea compassione levarem; vel concepto sensu ex divinis eloquiis, assiduo sermone solarer. Verum donec id Deus praestet esse possibile; suggero, ut memores humanae conditionis, quam merito peccati contraximus, modice sapienterque feratis quod accidit. Neque enim huic infortunio cedere debetis, qui blandimenta lenioris fortunae forti semper animo devicistis. Invocato itaque Deo, nunc illas tolerantiae vires expromite, ad quas carissimum quemlibet casu simili deprehensum probabiliter vocaretis. Opto vos valere feliciter.

LIII.

Einhardi ad Lupum Epistola.

Einhardus Lupo suo salutem. Omnia mihi studia omnesque curas tam ad meas quam amicorum causas pertinentes exemit et excussit dolor, quem ex morte olim fidissimae coniugis, iam nunc

carissimae sororis ac sociae, gravissimum cepi. Nec finiri posse videtur; quoniam exstinctionis illius qualitatem adeo tenaciter memoria retinet; ut inde penitus non possit avelli. Huc accedit, quod ipsum dolorem identidem accumulat, et vulnus semel acceptum exulcerat, quod vota scilicet nostra nihil valere permissa sunt, ac spes, quam in martyrum meritis atque interventione collocavimus, exspectationem nostram ex asse frustrata est. Inde evenit, ut solantium verba, quae aliorum moestitiae mederi solent, plagam cordis nostri recrudescere potius faciant atque rescindant, cum me aequanimiter ferre iubent infortunii molestias, quas ipsi non sentiunt, atque in eo censent mihi gratulandum, in quo nullum gaudii vel laetitiae valent demonstrare vestigium. Quis est enim mortalium, cui mens constet, quique sanum sapiat, qui sortem suam non defleat, et qui se infelicem ac miserrimum non iudicet, cum in afflictione positus, cum, qui votis suis fauturum fore crediderat, aversum atque inexorabilem experitur? Haeccine talia tibi videntur, ut suspiria, ut lacrymas homuncioni ahtillo commovere, ut ipsum ad gemitum et planctum concitare, ut etiam in desperationis baratrum deiicere potuissent? Et utique deiecissent, nisi divinae miserationis ope suffultus, quid in huiusmodi causis aut casibus maiores ac meliores nostri tenendum servandumque sanxissent, ad inquirendum subito me convertissem. Erant ad manum doctores egregii, necdum non spernendi, verum omnimodis audiendi atque sequendi; gloriosus videlicet martyr Cyprianus, et illustrissimi sacrarum divinarum literarum expositores Augustinus atque Hieronymus: quorum sententiis ac saluberrimis persuasionibus animatus, depressum gravi moerore cor sursum levare conatus sum, coepique mecum sedulo reputare quid super excessu carissimae contubernalis sentire deberem, cuius mortalitatem magis quam vitam videbar esse finitam. Tentavi etiam, si possem a memetipso exigere, ut id ratione apud me fieret, quod longa dies solet efficere; scilicet ut vulnus quod animo nostro nondum sperata morte repentinus casus inflixit, cicatricem ducere ac spontaneae consolationis medicamento sanescere inciperet. Sed vulneris magnitudo facilitati resistit; et licet saluberrima sint, quae a memoratis doctoribus ad mitigandum gravem dolorem velut a peritissimis itemque mitissimis medicis offeruntur, plaga quae adhuc sanguinem trahit, sanandi maturitatem nondum admittit. Hic fortasse miraris, ac dicis ex huius modi occasione natum dolorem, tam longum ac diuturnum esse non debuisse; quasi in dolentis sit potestate quando id finiatur quod ille, quando inciperet, neque in potestate habuit, neque

praescivit. Metiri tamen posse videtur doloris ac moeroris magnitudo sive diuturnitas de eorum quae acciderunt damnorum quantitate: quae ego cum quotidie in omni actione, in omni negotio, in tota domus ac familiae administratione, in cunctis quae vel ad divinum vel humanum officium pertinent, disponendis atque ordinandis, immaniter sentiam; qui fieri potest, ut vulnus, quod tot ac tanta incommoda intulit, cum crebro tangitur, non recrudescat potius et renovetur, quam sanescat aut solidetur? Arbitror enim (nec vereor quod haec opinio falsum me habeat) hunc dolorem atque anxietatem, quae mihi de carissimae contubernalis occasione exorta est, perenniter mecum perseveraturam, donec id ipsum temporis spatium quod Deus mihi ad hanc miseram ac temporalem vitam concedere voluerit, debito sibi termino finiatur: quam tamen proficuam potius mihi quam noxiam hactenus experior, cum animum ad laeta et prospera festinantem velut quibusdam frenis atque habenis remoratur ac retinet, mentemque ad revocationem mortis revocet, quam ad spem et amorem longaevitatis odium atque oblivio senectutis illexerat. Video mihi non multum superesse temporis ad vivendum: licet quantum id esse debeat, mihi penitus ignoretur. Sed hoc certissimum teneo et recens natum cito posse mori, et senem diu non posse vivere. Ac proinde longe utilius ac beatius fore censeo ipsam temporis incerti brevitatem cum luctu quam laetitia ducere. Quia si, secundum Dominicam vocem, beati ac felices erunt qui lamentantur et lugent, e contrario infelices ac miseri fient qui dies suos in iugi et continua laetitia finire non metuunt. Gratias ago atque habeo Caritati tuae, quod me per literas tuas consolari dignatus es. Neque enim maius aut certius tuae erga me dilectionis indicium dare potuisti, quam aegro atque iacenti manum exhortationis porrigendo, monendoque ut surgerem quem mente prostratum ac moerore depressum ignorare non poteras. Bene vale carissime ac desiderantissime fili.

LIV.

Lupi epistola ad Einhardum tertia.

Epistolam vestrae Dignationis, calamitatem, quae dudum vobis contigit, graviter querentem, haudquaquam mediocriter commota mente perlegi, confectumque vestrum animum tam diuturni moe-

roris anxietate vehementer indolui. Et quamvis qui me longe praestent amicorum solatia tentaverint hunc tantum levare dolorem, nec tamen ob eam rem profecerint, ut literis vestris satis eminet, quod ipsi casus vestri considerationem non satis ad se admiserunt, eo usque ut eorum quidam super excessu gratissimae quondam uxoris gratulandum monerent, quod, ut opinor, nihil ad consolationem pertinet; non tam aetatis levitate, vel ingenii, quod exiguum sentio, confidentia, quam proni erga vos amoris magnitudine, haec rursum, qualiacunque sint in vestro solatium non sum veritus cudere. Siquidem conscius mihi sum intimum me nobilissimae illius feminae morte cum vestra, tum etiam ipsius vice traxisse dolorem; quem atrociter exasperantem vestrae literae, fateor, recrudescere coegerunt. Unde nequaquam desperaverim quod aliis, necdum sit datum mihi, ut aliquod solatium vobis persuadere possim a Domino reservatum. Vilibus plerumque remedium quaeritur quod pretiosissimis et artis vigilantissima compositis diligentia frustra diu tentatum est. Itaque firmamentum iusti, ut vobis videtur, doloris vestri duas in partes, epistolas mihi reddendo, divisistis. Earum prima, quae et vel maxime, illa est, quod vota vestra et spes, quam in sanctorum martyrum intercessione locaveratis, vos velut irrita fefellerunt. Altera, quae proxime primam accedit, quod sinister ille casus quantum vobis importaverit incommodi, quotidianis metiri negotiis cogimini: dum vos onus domesticarum divinarumque rerum, quod illius memorabilis feminae fida societas leve fecerat, vestris ex toto impositum ac relictum cervicibus obruit. Revera valida utraque res, et quae praeter sapientem, qui adversa quoque modice ferre didicerit, facile quemlibet sua mole possit opprimere. Ac primo quidem quam proposui pariter conabor non subvertere ac penitus auferre, (quod prorsus impossibile perfectis etiam oratoribus, si essent, video, multo magis mihi) sed tenuare, imbecillemque inspectu rationis efficere. Certe hinc movemini, certe hinc afficimini, quod vos cassa vota frustata sint, ac spes in martyribus immo in Deo vita illuserit. Quasi vero id vobis omnimodis constet, quod tantopere poposcistis, vestrae uxorisque saluti conducere. Quod sane si vobis satis exploratum fuisset, acrioris iustique doloris ingens esse videbatur fomes, dum vos non quasi filium corriperat, sed veluti in adversarium divina censura desaevisset. Attamen sic quoque non desperationis baratrum subeundum; sed divinitas infensa precibus assiduis ac summissa fuerat flectenda patientia. Nunc autem cum Deus omnes homines salvos velit fieri, ac in nomine ipsius, qui Salvator dicitur, nemo

postulet, nisi qui propriae saluti proficua flagitaret, cumque vos in nomine Salvatoris plena fide petieritis; quis non opinetur non exauditos quidem vos ad temporale votum, exauditos autem ad perpetuam salutem? Ego plane firmissime crediderim, et vobis et uxori eius etiam immaturo excessu consultum. Quaeritis, quemadmodum? Nempe quod coniuges ex duobus corporibus in unam reducti compagem, licet concordissime vixerint, non uno leto resolvuntur; et quantum ad usitatum naturae pertinet ordinem, necesse est unum alteri superesse. Hinc iam vestra prudentia intelligit, quando sententia in hominem divinitus emissa, *Terra es, et in terram ibis*, differri aliquantulum potest, in perpetuum autem vitari non potest, fidis optandum coniugibus, cum uter eorum remansurus sit, eum fore superstitem, qui sit et ad calamitatem ferendam robustior, et ad iusta de more Christiano curanda magis idoneus. Non enim sexu differentia virtutis, sed animo capienda est. Alioqui non video religiosi coniuges quemadmodum sibi sincero amore devincti sint. Cum haec ita se habere indubitata ratio persuadeat, planum igitur est, verisimile non esse illi feminae venerabili solum, sed etiam vobis a Deo magnum quiddam praestitum, dum quod vobis eligendum fuerat, ipse ultro ingesserit, quamquam occulto, minime tamen iniusto iudicio. Certe illa etsi ex vestro consortio multa didicerat, ita ut non sui sexus modo, verum etiam turbam virorum sua insigni prudentia, gravitate atque honestate, quae res magnam vitae humanae tribuunt dignitatem, longe superaret, ac corpore foemina, animo in virum profecerat, ad sapientiae vestrae fastigium nunquam penitus aspirasset, nunquam tantum robur, semperque similem, quam in vobis singulariter omnes admirantur, constantiam ullis unquam perfectibus aequavisset. Nunquam, si supervixisset, tantum vestrae, quantum vos et illius et vestrae perpetuae saluti procurare potuisset. Ac per hoc, quoniam dum in hoc fragili versamur corpore, omni perturbatione ita vacare non possumus, quin aliquando aliqua aegritudinis molestia quatiamur; quod posse sapienti contingere philosophi putaverunt, hoc vobis evenire optem, ut casus adversos, ut primo aspectu apparet, quibus vulgo inculta mortalium multitudo subruitur, vestrae mentis sapientia sensim emolliat, immo divinae voluntati vestram contemperet. Deinde, quia vitae huius obscurissimas tenebras sermo divinus irradiat iuxta illud, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*, quomodo ipse formet eandem vitam penitus intuendum est. Nimirum in Dominica oratione quotidie dicimus, *Fiat voluntas tua*, scilicet non nostra, quae ignara rerum sibi salubrium falli consuescit;

sed *Tua*, quae, utpote Dei, futura praenoscit. Salvator quoque noster passione impendente cum dixisset, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*, assumpti hominis infirmitatem, immo membrorum suorum, propter quod ad has preces transcenderat, imbecillitatem sic divina virtute consolidat, *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Scilicet fallere fallique nescius magister, quod Deus suo nos exemplo instituit ut cum adversa urgerent, sic ea depellere precibus conaremur, ut in his etiam contra nostrum votum eius fieri voluntatem salubriter amplectemur. Recolite, quaeso, Paulum: cuius tanta erat eminentia, ut in tertium raptus coelum, audierit arcana verba sanctae Trinitatis, quae non licet homini loqui, tamen Dominum orasse quo a se angelum Sathanae, a quo tribulabatur, summoveret, nec obtinuisse quid voluit, sed quod profuit. Revocate in memoriam Davidem, quatenus se pro impetranda filio vita macerarit. Et certe cum tantus esset Propheta, ne responsum quidem divinum tam immenso confectus moerore promeruit. Quaecunque autem scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Ergo perpendite qualiter David cassam precum suarum expertus instantiam, consolationem ratione perceperit, ac iustitiae Dei subiectus humiliter adquieverit. Quod praefato dictum est Apostolo, vobis responsum accipite. *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*. Siquidem et ipse moerorem scriptae orationis, si quis ei subortus fuerat, hoc admonitus oraculo aliud oportere, deposuit. Huiusmodi praeceptis et exemplis sacrae Scripturae capitula exuberant: quae, quoniam, ut insignis ait Poëta, *non canimus surdis*, epistolarisque coartat angustia, praeteriens, vobis consideranda relinquo. Suffecerit haec tantum tetigisse, quae sola recepta vulneris huius tumorem, quantum mea fert opinio, mulcere atque lenire, largiente Domino, poterunt. Quamquam mihi multa volventi aliud etiam occurrat, quod hoc Dei iudicium clementiae quam iracundiae videri possit certissimum documentum. *Nam quia flagellat omnem filium, quem recipit*, affectum vestrum in uxoris amore forsitan subdivisum non passus, putari potest ad se solum amandum revocavisse, ac si quid eius corpori intemperanter diligendo plus iusto a vobis indultum fuerat, eiusdem corporis subtractione punivisse. Cumque per Prophetam loquitur, *Non consurget duplex tribulatio*, quod LXX Interpretum sic expressit translatio, *Non iudicat Deus bis in id ipsum*, hic emandare dignatus est, quod ut homo excessistis (nemo enim mundus a sorde) ne quid gravius in vos quandoque

decerneret. Quare Dei amplecti debetis immensam pietatem, qui vos sua dignos iudicaverit correctione, quam offensam metuere disciplinae illius verbera sustinentes. *Fili,* inquit Salomon, *noli deficere a disciplina Domini, et ne fatigeris cum ab eo argueris. Quem enim Dominus diligit, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.* Denique quorum istis peccata non visitat; quosque florere pro voto permittit, in hos post mortem, eiusdem ira desaevit. De talibus in psalterio legimus: *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.* Et in Iob: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Praeterea hoc mihi subiicit mens, voluisse Deum rebus ipsis vos experiri quam sit infelix qui in perpetuum abiungatur ab ipso, in quo est perpetua et vera delectatio, si tam immaniter afficiat licet fidissimi atque carissimi, tamen hominis momentanea separatio. Cum haec verisimilia esse videantur; abolete, quaeso, quantum potestis, de quo sermo habetur, moerorem; et cum Iob dicite: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum: sit numen Domini benedictum.* Et cum Apostolo in Dei spatiamini laudibus, dicentes: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Restat pars altera suscepti negotii: quae stringendo breviter est, ne forte plura dicens, sim oneri, quae gestiam esse solatio. Hinc instaurari, immo perseverare doloris vulnus asseruistis, quod duplicatus quotidie dispositionis labor quid boni perdideritis admoneat, ac propterea nec finiri posse videatur. Id esse verissimum ipse concesserim; illudque quod inter alia posuistis, non posse pro voluntate hominem dolori finem imponere, quem nec praesciat, nec imminentem queat effugere, vehementer approbo, satisque catholice dictum intueor. Non est enim in potestate hominum via eius, sed a Domino gressus hominum diriguntur, et humani libertas arbitrii eget omnimodo auxilio gratiae Dei; sed plane quae facta sunt, infecta esse non possunt, nec dolor revocare valet semel praeterita, nec est in homine unde a seipso petat auxilium. Quocirca deprehensi quibuslibet angustiis, quo verius nos sentimus fragiliores, hoc oportet celerius ad divinae miserationis subsidium, velut ad portum tutissimum, confugiamus. Eleganterque illud dictum est: *Necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium.* Nec longus, dummodo conemur, terendus est labor. Nam qui ad se hoc modo vocat, *Venite ad me qui laboratis,* nitentes adiuvat, ad se pervenientes informat, in se permanentes procul dubio coronat. Quare quod dixistis memoratum dolorem, quoad viveretis, mansurum vobiscum, ex-

pressit hoc a vobis, sentio, concreta longo usu magnitudo amoris; sed in ea vos obstinatione animum relinquere, quantum audeo, dehortor: siquidem et illi, cuius causa emersit, nihil immoderatum proderit, et vobis multum, nisi deponatur, officiet. Quin immo totum vos curandum sanandumque Domino permittite, cui est perfacile quod nostra natura difficillimum iudicat. Nam quis speravit in Domino, et deceptus est? Obsecro, totum cor vestrum ad rogandum Deum effundite: praestare vult qui se ut rogetur, admonuit, ***Petite et accipietis.*** Petite ut ipse vobis affectum inspiret rogandi, et effectum ipse tribuat impetrandi. Dicite quod clarissimus idemque suavissimus auctor Augustinus: ***Da quod iubes, et iube quod vis:*** siquidem sua nos Deus gratia, ut velle ac posse aliquid boni queamus, et praevenit et subsequitur. Quod evidenter in Psalmis didicimus, ubi scriptum est: ***Deus meus, misericordia eius praeveniet me.*** Utique ***et misericordia tua subsequitur me omnibus diebus vitae meae.*** Adquiescite Spiritui sancto per Davidem monenti: ***Iacta in Domino curam tuam, et ipse te enutriet;*** ac Domino fiducialiter dicite: ***Tu es refugium meum a tribulatione quae circumdedit me.*** Et cum Apostolo iam exultantes in Dei laudibus ingeminare poteritis: ***Omnia possum in eo qui me confortat.*** ***Tristitia*** enim ***seculi mortem operatur***, haud dubium quin spiritualem; sed et corporalem, ut optime nostis, saepe consciscit. Quamobrem aerumnis vitiorum, quibus premimur, contristemur; et ab eorum falsa dulcedine, quanta possumus amaritudine separari nitamur, ac huius incolatum vitae, in qua sine querela non vivitur, modeste feramus. Caeterum veniam a Deo exspectantes, in eo plena fide laetamur. Denique illud quod in Evangelio promittitur, ***Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur***, non de iis qui lugent de amissione carorum et temporalium commodorum, verum de illis qui moerent, initio seiuncti a mortifera vitiorum delectatione, donec virtutibus Spiritus Sancti gratia consolationem recipiant, vel de his, qui propter sua proximorumve peccata, salubriter affliguntur, propter quod illius felicis vitae dilationem, cui votis omnibus suspiramus, rectissime intelligitur. Proinde petentes quondam uxori refrigerium sempiternum, quae mortem, ut credimus, non incurrit, sed exuit, vobis patientiam, ut in bonis actibus perseverantiam atque profectum postulate a Domino Deo nostro, et dicto citius consolationem vestro infundet pectori: ita ut audiatis Apostolum cohortantem: ***Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete.*** Ego sane quod dignati estis vestros aestus mecum communicare, attentius et pro illa et pro vobis supplicare conabor. Credo quam-

vis non meo merito, vestra tamen Deum humilitate placandum; qui, absque respectu vestrae magnitudinis, cum mea parvitate conferre tam seria non horruistis. Ostendi, ut potui, et humana ratiocinatione, et divinis auctoritatibus, non vos exauditos ad votum, patienter ferendum, dolorisque vulnus, quod inremediabile videbatur, quemadmodum mitigari posset. Vestrae prudentiae ac solitae dignationis erit, quae pia intentione non docendi, sed commemorandi causa profusa sunt, aeque pia mente lectitare, et si qua in his capi possit utilitas, pro iure amicitiae vestrum [1]) deputare.

Libellum de adoranda cruce, meo iudicio utilissimum, quem meo nomini dedicastis, ut par fuit, amplexus snm. Atque utinam morem mihi gerentes, sic omnia quaecunque ab initio enodanda vobis misi, vel hoc anno reliqui, aperire non gravaremini: profecto non mihi solum, sed multis videtur hic labor prodesse. Tamen et pro aliis quibus a vobis institutus iam antea sum, maximas agens habensque gratias, quid Deus vestrae indulgentissimae dignetur inspirare Pietati sollicitus praestolabor.

Medio Maio, vita comite hinc recedere decrevi. Quo tempore, Deo volente, sicut vobis, si recordamini, dixi, ad vos venturus sum, et aliquot apud vos dies facturus; ut et libros vestros vobis restituam, et quibus indiguero discam, fruarque aliquamdiu vestro suavissimo alloquio, atque informer mihi gratissimo vestrae gravitatis et honestatis exemplo. Nam me hoc tempore discessurum inanis vobis fama mentita est. Quod etsi, quod penitus nolo, contingeret, sic quoque ad vos sine dubio properarem. Tantus enim mihi vestri amor incumbit, ut nullatenus vobis insalutatis, sanctorumque martyrum neglecto patrocinio, ad patriam remearem. Cupio te mei memorem bene valere in Domino, prosperisque pollere successibus, Domine desiderantissime Pater, et de me optime per omnia merite.

LV.

Aus dem vierten Briefe des Lupus an Eginhard theilen wir nur folgende Stelle mit (p. 23.):

Abdita in lege et maxime Graeca nomina, et alia ex Servio item Graeca, quae initio vobis direxi, saltem nunc utinam ne

---

1) Baluze: *vestram.*

gravemini explanare. Valeas clarissime praeceptor et Pater dulcissime prosperisque perpetuo successibus polleas.

LVI.
Einhardi Admonitio ad Hlotharium [1].

Vivat Dominus meus piissimus Augustus in perpetuum. Quantam curam et sollicitudinem erga Magnitudinem vestram mea Pusillitas gerat, non facile verbis explicare valeo. Quoniam aeque vos atque piissimum Dominum meum Patrem vestrum semper dilexi, et aequaliter ambos salvos esse volui, postquam vos in Societatem nominis et Regni consensus totius populi sui adsumpsit, meaeque Parvitati praecepit, ut vestri curam gererem, ac vos de moribus corrigendis, et honestis atque utilibus sectandis sedulo commonerem. Sed licet in his meam operam minus quam debuit utilem vobis sitis experti, tamen voluntas fidelis non defuit, nec adhuc quidem deest quae me tacere non permittat. Quin potius cogit ut vos de vestra cognoscat, quod quidem homines sua potius quam vestra commoda quaerentes, mansuetudinem vestram sollicitent, vobisque persuadere conentur, ut postposito paterno consilio, et obedientia debita derelicta locum vobis ad regendum atque custodiendum a piissimo genitore vestro commissum dimittatis, et ad illum ipso invito, et neque volente neque iubente veniatis, et apud eum, quamvis illi non placeat, permaneatis. Quo quid perversius vel indecentius excogitari potest? Videte qualis sit, et quantum mali habeat ista persuasio. In primis siquidem, ut meae Pusillitati videtur, hortatur vos ut Dei praeceptum, quo parentibus honor exhiberi iubetur, parvi pendatis, et longaevitatem, quae pro remuneratione conservati mandati promittitur, pro nihilo habeatis. Deinde et abiecta obedientia inobedientiam pro illa adsumatis, et contra eum, sub quo subiectionem humiliter vos agere debueratis, per elationem contumaciter erigatis. Tum, ut per contemtum et inobedientiam caritate depulsa, discordia, quae nunquam inter vos vel nominari debuit, in tantum excrescat, ut inter quos amor esse debuit, odium enascatur. Quod ne veniat, summopere cavendum est. Credo enim prudentiam vestram minime latere, quanta abomi-

---

[1]) *Weinckens*, *Einhardus illustratus*, p. 90 sq.

tio sit apud Deum filius contumax et parentibus inobediens, cum eum Deus, sicut in Deuteronomio legere potestis, per Moysen ab omni populo lapidari praecepit. Quapropter admonendum censui Neptitatem vestram, ut per prudentiam a Deo vobis concessam caveatis periculum vestrum. Neque arbitremini hanc divinam sententiam posse a quolibet contemni, licet in Veteri lege conscripta sit. Est enim una de multis, quas maiores ac doctores nostri, cum videlicet Patres tam praesentibus quam praeteritis temporibus, tam Christianis quam Judaeis, observandas esse censuerunt. Amo vos, Deus scit, et ideo tam fiducialiter admoneo, nec vos utilitatem personae admonentis, sed salubritatem consilii considerare debetis. Opt.

LVII.

Einhardi epistola ad filium suum [1].

Carissimo filio Vussin in Domino salutem. Vereor namque fili, et valde metuo, quod relicto ovili, nec tui nec mei memor esse debeas; quia iuventus immatura, nisi frenis disciplinae coërcita, haud facile per iustitiae incedit vias. Quamobrem, mi nate, stude probos aemulari mores, et quem te semper sequi hortabar, ne ullo pacto offensum habere velis: sed professionis tuae memor, quantum ipse annuerit cui te totum commisisti, eius mandatis insiste discendis. His edoctus, et in opere eorum assuetus nullo vitalis scientiae commodo carebis. Sicut te praesens monui, in studio discendi te exerce, et quidquid ex ipso lucidissimo et abundantissimo magni Oratoris ingenio assequi nobilis scientiae potueris, nihil intactum relinque. Maxime autem probos mores illius, quibus excellit, imitari memento, quoniam Grammatica et Rhetorica, caeteraque liberalium artium studia vana sunt, et valde nociva servis Dei, nisi per gratiam divinam bonis moribus subesse noscantur, quia scientia inflat, caritas vero aedificat. Melius mihi quidem est, ut te mortuum videre contingat, quam inflatum et scatentem vitiis. Non enim Salvator a se Miraculorum facta, sed mansuetudinem et cordis humilitatem discere praecepit. Quid plura? saepe haec et alia huiusmodi a me audisti. Utinam aliquando contingat istis delectari, quibus munditia

---

[1] *Weinckens*, l. l., p. 89.

cordis corporisque per Dei auxilium assequitur! Misi igitur tibi verba et nomina obscura ex libris Vitruvii quae ad praesens occurrere poterant, ut eorum notitiam ibidem perquireres. Et credo, quod eorum maxima pars tibi demonstrari possit in capsella, quam Domnus E. columnis eburneis ad instar antiquorum fabricavit. Et propter illud, quod Vitruvius nominat Scenographium, interroga, quid sit quod Virgilius in III. Georgicorum libro Scenam vocat. Dicit enim:

Ad delubra iuvat caesos videre iuvencos,
Vel Scena ut versis discedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant aulaea Britanni.

Vale.

LVIII.

Ludovici Pii Imperatoris

praeceptum de Paganis ad Christianitatem invitandis, et de institutione Episcopatus Hammaburgensis [1]).

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus, divina propitiente clementia, Imperator Augustus. Si specialibus cuiusque fidelium nostrorum necessitatibus perspectis subveniendum esse imperialis auctoritas monstrat, quanto magis ad debitam generalitatis providentiam aequum dignumque pertinet, ut Ecclesiae catholicae atque apostolicae, quam Christus suo pretioso sanguine redemit, eamque nobis regendam tuendamque commisit, piam ac sollicitam in cunctis oportet gerere curam et ut in eius provectu vel exaltatione congruam exhibeamus diligentiam, novis ad eius necessitatem vel utilitatem atque dignitatem pertinentibus rebus nova immo necessaria et utilia provideamus constituta. Idcirco sanctae Dei Ecclesiae filiis, praesentibus scilicet et futuris, certum esse volumus, qualiter divina ordinante gratia nostris in diebus, aquilonaribus in partibus, in gentibus videlicet Danorum atque Sueonum [2]), magnum coele-

1) *Walter*, *Corp. iuris antiq. Germ.* II, p. 394 sqq.

2) Hier folgt in den Handschriften noch die Erwähnung der gentes Norweorum, Farriae, Gronlandon, Halsingalandon, Islandon, Scridevindon (*Procop.*, *de bello Goth.* II, 15. *Jordanes*, *de reb. Geticis*, c. 3. *Paul. Diacon.*, *Hist. Langobardor.* I, 5), Slavorum et omnium septentrionalium et orientalium nationum. S. *Lindenbrog*, *Script. rer. German.*, p. 143. *Pertz*, *Monum. Ger-*

stis gratia praedicationis sive adquisitionis patefecit ostium, ita ut multitudo hinc inde ad fidem Christi conversa mysteria coelestia ecclesiasticaque subsidia desiderabiliter expeteret. Unde Domino Deo nostro laudes immensas persolventes extollimus, qui nostris temporibus et studiis sanctam Ecclesiam, sponsam videlicet suam, in locis ignotis sinit dilatari atque proficere. Quamobrem una cum Sacerdotibus caeterisque imperii nostri Fidelibus hanc Deo dignam cernentes causam valde necessariam atque futurae Ecclesiae dignitati proficuam, dignum duximus ut locum aptum nostris in finibus evidentius eligeremus, ubi sedem episcopalem per hoc nostrae auctoritatis praeceptum statueremus, unde omnes illae barbarae nationes aeternae vitae pabulum facilius uberiusque capere valerent, et sitientes salutis gratiam prae manibus vel oculis haberent, insuper et magnorum progenitorum nostrorum sacra lucrandi studia nostris in diebus nunquam deficerent. Genitor etenim noster gloriosae memoriae Karolus omnem Saxoniam ecclesiasticae Religioni subdidit, iugumque Christi ad usque terminos Danorum atque Slavorum, corda ferocia ferro perdomans, docuit; ubi inter has utrasque gentes Danorum videlicet sive Winedorum, ultimam Saxoniae partem sitam, et diversis periculis, et temporalibus videlicet et spiritualibus, interiacentem prospiciens, pontificalem ibidem sedem fieri decrevit trans Albiam. Unde postquam terram Nordalbingorum laxata captivitate, quam ob multam perfidiam in ipsis Christianitatis initiis patratam per septennium passi sunt, ne locus ille a barbaris invaderetur, Ekeberto Comiti restituere praeceperat, non iam vicinis Episcopis locum illum committere voluit, sed ne quisquam eorum hanc sibi deinceps parochiam vindicaret, ex remotis Galliae partibus quendam Episcopum Amalarium nomine direxit, qui primitivam Ecclesiam ibidem consecraret. Sed et ei-

---

men. Tom. II, p. 765. So nahe der Gedanke an eine spätere Interpolation zu Gunsten des erzbischöflichen Sitzes von Hamburg liegt, so weist ihn Pertz doch zurück, weil dieselben oder ganz ähnliche Worte in den Diplomen Gregor's IV, der Urkunde Johanns X für den Erzbischof Unni vom Jahr 915, des Benedikt IX in der Charte für den Erzbischof Adelbert vom Jahre 1042 oder 1043 und mehreren anderen Urkunden von Victor II (1055), Innocenz II (1133) u. s. m. vorkommen. S. *Staphorst*, *Hamburg. Kirchengesch.* Th. I, Bd. 1, S. 26 folgd. Ferner spricht gegen eine Interpolation der Stelle in der *vita Sti. Rimberti*, cap. 1. (Pertz a. a. O.), wenngleich die analogen Worte in der *Vita Sti Anskarii*, cap. 13, Pertz II, p. 699 nach dem Diplome Gregor's IV interpolirt sein mögen. Ich sehe jedoch keinen Grund ein, weshalb an einem Orte eher oder weniger eine Interpolation anzunehmen sei, als an dem anderen. Als muthmassliche Urheber des Betruges (wenn einer Statt gefunden) nennt Langebeck, den Erzbischof Adelbert von Bremen.

dem Ecclesiae sacras Reliquias, ac plura ecclesiastica munera, pia largitate specialiter destinare curavit. Postmodum vero captivis optatam ad patriam undique confluentibus, eandem parochiam cuidam Presbytero Heridac nomine specialiter commendavit, quem universae Nordalbingorum Ecclesiae, ne ad ritum relaberentur gentilium, vel quia lucrandis adhuc gentibus locus ille videbatur aptissimus, disposuerat consecrari Archiepiscopum, ut ipsi occasione vel auctoritate summa in ipsis terminis gentium sedulitate praedicandi sancta multiplicaretur Ecclesia, dum vicinorum ipsius novitatis Episcoporum multa latitudinis cura non sufficiebat discurrere per omnia. Delegavit etiam eidem Presbytero quandam cellam *Hrodnace* vocatam, quatenus eidem loco undique periculis circumdato fieret supplementum. Sed quia consecrationem iam dicti viri velox ex hac luce transitus pii genitoris nostri in diebus eius fieri prohibuit, ego autem, quem divina clementia in sedem regni eius asciverat, cum in multis regni disponendis negotiis insisterem, hoc quoque praedicti patris mei studium, velut regni in finibus peractum, minus caute adtenderem, suadentibus quibusdam iamdictam cellam ad Indam monasterium contuli, praedictam vero parochiam vicinis Episcopis interim commendavi. Nunc autem tam propter suprascripta ecclesiastica lucra in gentibus demonstrata, quam et propter votum pii genitoris nostri, ne quid eius studii imperfectum remaneat, statuimus, una cum consensu ecclesiastico, praefata ultima in regione Saxonica trans Albiam, in loco nuncupato Hammaburg, cum universa Nordalbingorum provincia Ecclesiae proprii vigoris constituere sedem; cui et primum praeesse, atque solemniter consecrari per manus Drogonis Metensis et summi sanctae palatinae dignitatis Praesulis Ansgarium fecimus Archiepiscopum, adstantibus Archiepiscopis Ebbone Remensi, Hetli Treverensi, et Otgaro Mogontiacensi, cum plurimis aliis generali in conventu totius imperii nostri Praesulibus congregatis; assistentibus quoque specialiter et consentientibus atque consecrantibus Helingaudo sive Willerico Episcopis, a quibus iam dictae parochiae partes a nobis olim sibi commendatas recipimus. Cui videlicet Ansgario, quia praefatis in gentibus haec nostris in diebus dignissima in convocatione gentilium vel redemptione captivorum monstrata sunt lucra, tam nostrae quam sanctae Romanae Ecclesiae auctoritate hanc Deo dignam in praefatis gentibus commisimus legationem, ac proprii vigoris adscribere decrevimus dignitatem. Et quia casus praeteritorum cautos nos facit in futurum, ne quisquam Episcoporum aliquam sibi trans Albiam vel alicubi in praedicta parochia vindicet potestatem, certo limite

circumscriptum esse volumus, videlicet ab Albia flumine deorsum usque ad mare Oceanum, et rursus per omnem Slavorum provinciam usque ad mare quod Orientale vocant, et per omnes praedictas nationes Septentrionalis. Omnes quoque paludes infra sive iuxta Albiam positas, cultas et incultas, infra terminos eiusdem parochiae ponimus; ut Transalbiani se et sua ab incursu Paganorum, qui saepe timendus est, securius in his locis occultare queant. Et ut haec nova constructio periculosis in his locis coepta subsistere valeat, quandam cellam *Turholt* vocatam tam huic novae constructioni, quam Archiepiscopi successorumque suorum in gentibus legationi perenniter servituram, ad nostram nostraeque sobolis perpetuam mercedem divinae offerimus maiestati. Homines quoque qui eiusdem cellae beneficia habere videntur, ab omni expeditione vel militia sive qualibet occupatione absolvimus, ut idem venerabilis Episcopus ad hanc Deo dignam peragendam in provisis temporibus legationem nullum in hoc patiatur impedimentum. Dona vero quae ex eadem cella nostris partibus dari solebant, et nobis quoque successoribusque nostris similiter dari volumus; his exceptis, maius minusve in convocatione Paganorum vel redemptione captivorum, sive eiusdem sedis supplemento multimodis periculis circumdato, vel ibidem Deo militantium solatio, ob amorem Dei et beati Sixti confessoris eius perpetuo delegamus. Res itaque praefatae sedis et iam dicti monasterii sub plenissima defensione et immunitatis tuitione volumus ut consistant ac tueantur, ita nullus Iudex publicus aut alia qualibet potestate publica praedita persona de eorum rebus, freda, tributa, mansionaticos, vel paratus, aut teloneum, vel fideiussores tollere, aut homines ipsorum tam litos quam et ingenuos super terram eorum manentes distringere, nec ullas publicas functiones aut redhibitiones vel illicitas occasiones requirere vel exigere praesumat. Sed liceat praedicto venerabili Episcopo suisque successoribus, ac omni clero sub eorundem regimine constituto, quiete in Dei servitio degere, et pro nobis proleque nostra atque statu totius imperii divinam misericordiam exorare. Et ut haec auctoritas sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et anuli nostri impressione signare iussimus.

Signum Hludovici piissimi Imperatoris.

Hirminmarus Notarius ad vicem *Theodonis* recognovit.

Data Idus Maii, anno Christo propitio XXI imperii Domini Hludovici piissimi Augusti, Indictione duodecima.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

LIX.

Die angebliche Wallfahrt Kaiser Karl's in das Heilige Land.

Marini Sanuti Secreta Fidelium Crucis,
lib. III, pars 3, cap. 6 et 7.

Tempore huius Karoli patriarcha Jerosolymitanus de Terra sancta expulsus a paganis, ad Constantinum Imperatorem Constantinopolitanum venit, et ad filium eius Leonem, et cum eo Johannes Neapolitanus sacerdos, et David Jerosolymitanus Archipresbyter, quos ille ad Karolum Magnum transmisit cum litera sua manu scripta, et cum eis duos Hebraeos Isaac et Samuelem. In cuius epistolae parte ultima taliter scriptum erat: Quadam die in exstasi factus, vidi ante lectum meum quendam iuvenem stantem, qui me blande vocans paxillum tetigit et ait: Constantine, rogasti Domini auxilium ad hanc rem; Accipe Karolum Magnum, Regem Galliae et Ecclesiae in Domino propugnatorem. Et ostendit mihi quendam militem armatum, ense praecinctum, cuius hasta altissima et cuspis saepe flammas emittebat: et ipse senex et prolixa barba, vultu decorus, statura procerus, cuiusque oculi fulgebant ut stella. Age iam, Auguste! qui iussionibus Dei refugit obedire, minime culpam evadere poterit. Quibus Parisiis perlectis, Rex illacrymatus est pro Domini Sepulchro, iussitque Turpinum Archiepiscopum literas coram toto populo exponere. Quibus intellectis, omnes proficisci Regem precabantur. Tunc Rex edictum proposuit, ut omnes qui possent arma ferre, secum contra Paganos irent, et qui eum non sequeretur, cum liberis quatuor numorum servus fieret. Maiorem congregavit exercitum, quam unquam fecisset, et profectus est. Cum vero pervenisset cis Jerusalem ad desertum, quod vix in duobus diebus transiri consuevit, in quo erant ursi, leones, tygrides et aliae ferae diversae, Rexque Psalmos dicens, cum ad illum pervenisset versiculum: Deduc me, Domine, in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui: vox alitis prope lectum eius audita est, quam qui aderant audientes, expergefacti sunt. Rex vero Psalmos continuavit usque ad versum illum: Educ de custodia animam meam. Et iterum alis clamavit: France, quid dicis? Hanc alitem Rex prosecutus est parvula semita, donec re-

cognoverunt callem, quam praecedenti die amiserant: et peregrini extunc coeperunt audire ibidem alites sic loquentes.

Cap. VII. Compositis rebus et recuperata Terra Sancta obtinuit Karolus licentiam repatriandi ab Imperatore Constantinopolitano et Patriarcha Jerosolymitano; prius tamen pretiosae postulanti reliquiae datae sunt. Post indictum enim triduanum ieiunium, inchoata Letania, cum Daniel Neapolitanus thecam aperiret, in qua spinea corona erat, tantus exinde exiit odor, ut omnes putarent se in Paradiso esse. Tunc Karolus in pavimento prostratus, plenus fide, Christum rogat, ut propter gloriam nominis sui, passionis et resurrectionis suae miracula renovaret. Et cum orasset, ros statim caelitus veniens lignum infudit, et continuo flores emisit, tantaque lux cum odore affuit, ut cuncti vestes suas quasi coelestes putarent, et quando secabatur Crux, magis ac magis florere coepit, flores autem in panno ad hoc praeparato recipiebantur. Karolus autem vantum suum dextrum implevit: deinde alium ad suscipiendum spinas praeparans, tradidit illum astanti Archiepiscopo Ebronensi, et cum essent utriusque oculi lacrymis occupati, absque utriusque sustentatione, unius horae spatio in aëre stetit. Postea vero cum flores vellet de chirotheca eiicere, conversi sunt in mannam, quae nunc ostenditur apud Sanctum Dionysium. Omnes infirmi qui aderant, odore florum sani facti sunt, numero CCCI. Quidam enim affuit XXXII annis coecus, surdus et mutus; et in extractione spineae Coronae visum recepit, in sectione Crucis auditum, in florum emissione loquelam. Dataque sunt Carolo cum parte Crucis et Coronae Domini, Sudarium et Camisia beatae Virginis et Fascia qua puerum Jesum in cunabulis cinxit, et Brachium Sancti Simeonis, unusque ex clavis, qui cum de alabastro extraheretur, sanatus est puer quidam habens aridum latus sinistrum. Quae omnia Karolus repatrians, in pera portavit ad collum; et in via sacrarum reliquiarum contactu puer mortuus suscitatus est, et L aegri sanati. Cum vero Aquisgranum pervenisset, sanati sunt coeci et febricitantes innumeri, daemoniaci XII, leprosi VIII, paralytici XV, claudi XIV, manci XXX, gibbosi LII, caduci LXV. Deinde indixit per totum orbem, Idibus Iunii ut venirent Aquisgranum has videre reliquias: ubi fuit Leo Papa, et Turpinus Archiepiscopus, et Theophilus Antiochenus Antistes aliique plurimi Episcopi et Abbates; ibi etiam suscitatus est mortuus: celebraturque festum IV. feria ieiuniorum mensis Iunii.

LX.

Hincmari Episcopi Remensis

ad Episcopos quosdam Franciae epistola de ordine Palatii [1]).

Hincmarus Episcopus ac plebis Dei famulus.

I. Pro aetatis et sacri Ordinis antiquitate, posteriores tempore, boni et sapientes viri, rogatis exiguitatem meam, ut qui negotiis Ecclesiasticis et Palatinis, quando in amplitudine, et unitate regni prospere agebantur, interfui, et consilia, doctrinamque illorum, qui sanctam Ecclesiam in sanctitate et iustitia rexerunt, sed et eorum, qui soliditatem regni tempore superiori prosperius disposuerunt, audivi; quorum magisterio traditionem maiorum suorum didici: post obitum etiam Domini Hludovici Imperatoris in eorum obsequio, qui pro filiorum eius tunc temporis Regum nostrorum concordia sategerunt, pro modulo meo frequentibus itineribus, verbis, et scriptis laboravi ad institutionem istius iuvenis et moderni Regis nostri, et ad reerectionem honoris et pacis Ecclesiae, ac regni ordinem ecclesiasticum, et dispositionem domus regiae in sacro palatio, sicut audivi et vidi, demonstrem, quatenus in novitate sua ea doctrina imbuatur, ut in regimine regni Deo placere, et in hoc saeculo feliciter regnare, et de presenti regno ad aeternum valeat pervenire. Experimento quippe cognoscimus, quia vas novum, quo prius sapore et odore imbutum fuerit, illud in posterum diu retinebit, sicut et quidam sapiens dicit: *Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.* Et legimus, quomodo Alexander in pueritia habuit baiulum nomine Leonidem, citatis moribus, et incomposito incessu notabilem, quae puer, quasi lac adulterinum sugens, ab eo sumpsit. Unde in adulta aetate sapiens et rex fortis se ipsum reprehendebat, et vitare volebat: sed, ut legitur, cum omnia regna vicerit, in hoc se ipsum vincere non potuit.

II. Intellegat igitur Dominus Rex, ad quod officium est provectus, et obaudiat commonitionem atque comminationem Regis Regum dicentis ei cum aliis regibus: *Et nunc reges, inquit, intellegite, erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore: et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta:* sicut mul-

[1]) *Opp. ed. Jac. Sirmondi,* Paris 1645, fol. Vol. II, p. 201 sqq. *Walter,* III, 761—772.

tos hanc commonitionem et comminationem negligentes perisse legimus, audivimus, et etiam nostro tempore scimus. Obaudiat etiam sanctam Scripturam sibi praecipientem: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum, quia in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

III. Ego autem, et pro imposito ministerio, et pro bona et rationabili vestra iussione aggrediar exsequi quod rogatis; non meo sensu, neque verbis meis, sed ut praemisi, maiorum traditione, attendens dicentem Dominum ad prophetam: *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me. Ex me,* inquit, et non *ex te;* quia, sicut ipse dicit: *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit.* Sancta Scriptura in omni ordine et professione unicuique administratori praecipit, ut intelligat cuncta, quae ait. Quoniam si intelligit, administratio, quam gerit, unde exordium cepit, sollicitius satagit, ut de administratiminis talento sibi credito rationem redditurus. *Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unus, quisque quae per corpus gessit, sive bonum, sive malum.* Non audiat a iusto iudice, quod Dominus in Evangelio servo malo et pigro responsurum se fatetur, sed audire mereatur: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.*

IV. Legimus in sancta Scriptura Veteris Testamenti, quia David rex simul et propheta praefigurans Dominum nostrum Jesum Christum, qui solus rex simul et sacerdos fieri potuit, duos in sacerdotibus Ordines constituit: in summis, videlicet, Pontificibus, et in minoris ordinis sacerdotibus, qui nunc presbyteratus funguntur officio: ea videlicet provisione, ut dum quilibet Pontificum vita decederet, quicunque sacerdotum optimus putaretur ei in Pontificatum succederet. Et in Novo Testamento Dominus noster Jesus Christus de multitudine discipulorum suorum, sicut in Evangelio legimus, duodecim elegit, quos et Apostolos nominavit. Horum in ecclesia locum tenent Episcopi, sicut sacra Scriptura et Catholici Doctores ostendunt. Designavit etiam et alios LXXII, qui sub duodecim Apostolis figuram presbyterorum, id est secundi ordinis sacerdotum praemonstraverunt, ut decedentibus Episcopis, de his secundi et inferioris ordines sacerdotibus secundum sacros canones spiritu Dei conditos, ct totius mundi reverentia consecratos ad summi sacerdotii apicem loco decessorum Episcoporum provehantur, sicut sacra Scriptura Actuum Apostolorum patenter ostendit, dicente Petro ad confratres suos, quando Judas, qui connumeratus fuerat in ordine Apo-

stolorum et sortitus sortem ministerii Apostolatus, abiit in locum suum, *Oportet*, inquiens, *ex his viris, qui nobiscum congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis.* Et venit electio divina super Mathiam, qui adnumeratus est cum undecim Apostolis.

V. Et in sacra Regum historia legimus, quia Principes sacerdotum quando sacra unctione reges in regnum sacrabant, coronam significantem victoriam ponentes super capita eorum, legem in manum eius dabant, ut scirent, qualiter se ipsos regere, et pravos corrigere, et bonos in viam rectam deberent dirigere. Unde sicut B. Papa Gelasius ad Anastasium Imperatorem ex sacris Scripturis demonstrat: et in his, quae nuper apud martyrium sanctae Mariae in Synodo gesta sunt, continetur: duo sunt, quibus principaliter, una cum specialiter cuiusque curae subiectis, mundus hic regitur: auctoritas sacra Pontificum, et Regalis potestas: in quibus personis, sicut ordinum sunt divisa vocabula, ita sunt et divisa in unoquoque ordine ac professione ordinationum officia. Diligenter igitur quisque debet in ordine et professione sua, quo nomine censetur, attendere, et magnopere providere, ne a nomine discordet officio. *Primum namque*, ut B. Cyprianus dicit, *ab Episcopo, quid sui nominis dignitas teneat, inquiratur: quoniam Episcopus, cum graecum nomen sit, speculator interpretatur. Quare vero speculator ponitur, et quid a speculatore requiratur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis prophetae persona Episcopo officii sui rationem denuntiat, ita inquiens: Speculatorem dediti domni Israhel.* Speculatoris officium est ut commisso sibi populo, exemplo et verbo, qualiter vivere debeat, incessanter annuntiet: sicut de Christo, qui sequi se, id est, imitari praecipit, scriptum est: *Quae capit Jesus facere et docere:* et sic vitam ac mores sibi commissorum speculetur, attendere: et postquam attenderit, sermone, si poterit, et actu corrigere: et si non poterit, iuxta Evangelicam regulam scelerum operarios debet declinare.

VI. Et Rex in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, ut subiectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? quoniam iustitia Regis exaltatur solium, et veritate solidantur gubernacula populorum. Quae vero sit iustitia regis, idem B. Cyprianus in nono abusionis gradu sufficientissime monstrat.

VII. Habet quippe ordo sacerdotalis leges divinitus promul-

gatas, qualiter quisque ad culmen regiminis, videlicet Episcopatus, venire debeat, atque ad hoc recte perveniens, qualiter vivat; et bene vivens, qualiter doceat, et recte docens infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat: qualiter etiam ministros sibi suppositos regere debeat, quam pura etiam intentione sacros Ecclesiasticos ordines dispensare: et qua discretione ligare vel solvere subditos debeat. De quibus legibus in eisdem scriptum est ita: *Nulli sacerdoti suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obviare. Quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in ipsius Domini iniuriam prosilitur.* Quod tale est, quia, ut sacra monstrat auctoritas, cognata sunt schisma et haeresis, ac si aliis verbis dicatur: Non minus Schismaticus delinquit, cum praevaricatione sanctarum regularum per contemtum se ab unitate sanctae Ecclesiae, quae corpus Christi est, dividit, quam haereticus, qui de Deo, capite videlicet ipsius Ecclesiae, male sentit.

VIII. Et sicut dictum est de legibus Ecclesiasticis, quod nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obviare: ita legibus sacris decretum est, ut leges nescire nulli liceat, aut quae sunt statuta, contemnere. Cum enim dicitur, nulli liceat leges nescire, vel quae sunt statuta, contemnere, nulla persona in quocunque ordine mundano excipitur, quae hac sententia non constringatur. Habent enim Reges et Reipublicae ministri leges, quibus in quacunque provincia degentes regere debent. Habent capitula Christianorum Regum ac progenitorum suorum, quae generali consensu fidelium suorum tenere legaliter promulgaverunt. De quibus B. Augustinus dicit, quia *licet homines de his iudicent, cum eas instituant, tamen cum fuerint institutae atque firmatae, non licebit iudicibus de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.*

IX. Multo minus autem regi vel cuilibet in quocunque ordine contra leges divinas licet agere per contemtum. Unde principi terrae magnopere providendum atque cavendum est, ne in his Deus offendatur, per quos religio Christiana consistere debet, et caeteri ab offensione salvari. Et ideo, quia res Ecclesiasticas divino iudicio tuendas et defensandas suscepit consensu eius electione Cleri ac plebis, et approbatione Episcoporum provinciae, quisque ad Ecclesiasticum regimen absque ulla venalitate provehi debet: quia, sicut Dominus in Evangelio dicit: *quia non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Ecclesiasticis regulis sine difficultate omnimodis dabit favere si non vult regem regum offendere.

Et sicut Episcopi ac rex providere debent, ut nullius rei intuitu eligatur Episcopus, nisi Dei solius, id est, non pro aliquo munere dationis, nec pro aliquo obsequio humano, vel propinquitate consanguinitatis, seu amicitia, vel servitio temporali, aut aliqua occasione, quae contraria esse possit veritati, aut divinae auctoritati: ita Rex custodire debet, sicut S. Augustinus demonstrat, ne muneribus, vel blanditiis cuiusquam scelerati pelliciatur, et adulationibus decipiatur: nec quibuscumque propinquitatis necessitudinibus coniunctis contra Deum, sanctamque Ecclesiam atque Rempublicam perverse agentibus affectu carnali parcat, dicente Dei spiritu per David prophetam: *Nonne eos, qui oderunt te, Deus, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Inimicos enim Dei perfecto odio odisse est, *ad quod facti sunt diligere et quod faciunt increpare, mores pravorum premere, vitae prodesse.*

X. Tales etiam Comites, et sub se iudices constituere debet, qui avaritiam oderint, et iustitiam diligant: et sub hac conditione suam administrationem pergant, et sub se huiusmodi ministeriales substituant. Et quicunque in omni ordine et professione in dominatione constituuntur, et Domini appellantur, sicut S. Cyprianus in sexto abusionis gradu demonstrat, *dominationis virtutem auctore et cooperatore Domino teneant: quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si Dominus ipse non habeat et virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor non tam exteriori fortitudine, quae in ipsa saecularibus Dominis necessaria est, indiget, quam animi interiori fortitudine, quae bonis moribus exerceri debet: saepe enim dominandi per animi negligentiam perditur fortitudo. Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet: terrorem scilicet, et ordinationem, et amorem. Nisi enim ametur Dominus pariter et metuatur, ordinatio minime constare illius potest. Per beneficia ergo et affabilitatem procuret ut diligatur, et per iustas vindictas, non propriae iniuriae, sed legis Dei, studeat ut metuatur. Propterea quoque, dum multi pendent in eo, ipse Deo adhaerere debet, qui illum in Ducatum constituit, qui ad portanda multorum onera ipsum veluti fortiorem solidavit. Paxillus enim nisi bene forte firmetur, et alicui fortiori adhaereat, omne quod in eo pendet, cito labitur, et ipse solutus a rigore suae firmitatis cum oneribus ad terram delabitur. Sic et Princeps nisi suo conditori pertinaciter adhaeserit, et ipse, et omne quod continet, cito deperit. Et sciat, quod sicut in principatu hominum primus constitutus est, ita quoscunque peccatores*

sub se in praesenti habuit, nisi se et illos correxerit, supra se modo implacabili in illa futura poena habebit.

XI. In memoratis namque gestis apud Martyrum S. Macrae et de his, quae ad sanctae Ecclesiae, ac rectorum ipsius honorem et vigorem, et de his, quae ad Regis et Regni soliditatem atque curam pertinent; necnon et de Domus Regiae dispositione ex Catholicorum, secundum Sanctarum Scripturarum tramitem, promulgationibus, atque ex Christianorum Regum constitutionibus per capitula breviter ac salubriter, si teneantur et exsequantur, collecta continentur. Veruntamen quia Samaritanus, verus videlicet custos humani generis stabulario, id est, Pontificali ordini, cuius curae vulneratum quemque commiserat, ad sanandum dans duos denarios, Vetus scilicet ac Novum testamentum, dixit, *Quod super erogaveris, ego cum rediero reddam tibi* eisdem gestis velut ex supererogatione, quae praemissa sunt in hoc opusculo et quae sequentur addiscere studeo.

XII. Adalhardum senem et sapientem Domni Caroli Magni Imperatoris propinquum, et monasterii Corbeiae abbatem inter primos consiliarios primum in adolescentia mea vidi. Cuius libellum de ordine Palatii legi, et scripsi, in quo inter caetera continetur: duabus principaliter divisionibus totius regni statum constare, anteposito semper et ubique omnipotentis Dei iudicio. Primam videlicet divisionem esse dicens, qua adsidue et indeficienter Regis Palatium regebatur et ordinabatur. Alteram vero, qua totius regni status secundum suam qualitatem studiosissime providendo servabatur.

XIII. In prima igitur dispositione Regis palatium in ornamento totius palatii ita ordinandum erat. Anteposito ergo Rege et Regina cum nobilissima prole sua, tam in spiritalibus, quam et in secularibus, atque corporalibus rebus per hos ministros omni tempore gubernabatur, videlicet per Apocrisiarium, id est, responsalem negotiorum Ecclesiasticorum; cuius ministerium ex eo tempore sumsit exordium, quando Constantinus Magnus Imperator Christianus effectus propter amorem et honorem sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quorum doctrina ac ministerio ad Christi gratiam baptismatis Sacramenti pervenit, locum et sedem suam, urbem scilicet Romanam, Papae Silvestro edicto privilegii tradidit, et sedem suam in civitate sua, quae antea Byzantium vocabatur, nominis sui civitatem ampliando aedificavit: et sic responsales tam Romanae sedis, quam et aliarum praecipuarum sedium in palatio pro Ecclesiasticis negotiis excubabant.

XIV. Aliquando per Episcopos, aliquando vero per Diaco-

nos Apostolica sedes hoc officio fungebatur. Quo officio B. Gregorius in Diaconi Ordine functus fuit, et ex aliis praecipuis sedibus per Diaconos id officium exsequebatur, sicut sacri canones iubent. Et in his cisalpinis regionibus postquam Hludowicus praedicatione B. Remigii ad Christum conversus, et ab ipso cum tribus millibus Francorum in vigilia sancti Pascha baptizatus exstitit, per successiones Regum sancti Episcopi ex suis sedibus, et tempore competenti palatium visitantes vicissim hanc administrationem disposuerunt. A tempore vero Pippini et Caroli interdum per Presbyteros, interdum per Episcopos regia voluntate, atque Episcopali consensu per Diaconos, vel Presbyteros magis, quam per Episcopos hoc officium executum exstitit: quia Episcopi continuas vigilias supra gregem suum debent assidue exemplo et verbo vigilare, et non diutius secundum sacros canones a suis abesse parochiis.

XV. Neque iuxta decreta ex sacris canonibus promulgata B. Gregorii, praetoria, quae nunc regia, et usitatius palatia nominantur, debent inutiliter observare ne incurrant iudicium, ut contra placita canonum sibi in ordinatione sua tradita facientes ipsi sibi honore privent ecclesiastico. Et, ut de licitis exemplo ponamus, et de inlicite usurpatis non taceamus: tempore Pippini et Caroli hoc ministerium consensu Episcoporum per Fulradum presbyterum; tempore etiam Caroli per Engelramnum et Hildiboldum episcopos tempore denique Hludowici per Hilduinum presbyterum, et post eum per Falconem item presbyterum, deinde per Dragonem episcopum exstitit hoc ministerium executum.

XVI. Apocrisiarius autem quem nostrates Capellanum vel Palatii custodem appellant, omnem clerum Palatii sub cura et dispositione sua regebat. Cui sociabatur Summus Cancellarius, qui a secretis olim appellabatur, erantque illi subiecti prudentes et intelligentes ac fideles viri, qui praecepta regia absque immoderata cupiditatis venalitate scriberent, et secreta illis fideliter custodirent. Post eos vero sacrum Palatium per hos ministros disponebatur: per Camerarium videlicet et Comitem Palatii, Senescalcum, Buticularium, Comitem stabuli, Mansionarium, Venatores principales quatuor, Falconarium unum.

XVII. Et quamvis sub ipsis aut ex latere eorum alii ministeriales fuissent, et Ostiarius, Sacellarius, Dispensator, Scapoardus, et quorumcunque ex eis Iuniores, aut Decani fuissent, vel etiam alii ex latere, sicut Bersarii, Veltrarii, Beverarii, vel si qui adhuc supererant: verumtamen, quamvis et ipsi singuli iuxta suam qualitatem ad hoc intenti essent, non tamen ad eos, sicut ad

caeteros principaliter, ut subter insertum est, totius regni confederatio in maioribus vel minoribus, singulis quibusque quotidianis necessitatibus occurrentibus cum Palatio conglutinabantur: sed nec ipsi superiores omnes aequaliter propter ministeriorum diversitatem, qualitatem, vel convenientiam prodesse poterant: cum tamen nullus se propter fidei servandam veritatem regis et regni, ut praedictum est, subtrahere potuisset, vel etiam voluisset. De quorum personis vel ministeriis, quamquam plura sint, quae dicantur, haec tamen praecipue habebantur.

XVIII. Imprimis, ut iuxta cuiuscunque ministerii qualitatem vel quantitatem minister, nobili corde et corpore constans, rationabilis, discretus, et sobrius eligeretur: sed nec illa sollicitudo deerat, ut, si fieri potuisset, sicut hoc regnum Deo auctore ex pluribus regionibus constat, ex diversis etiam eisdem regionibus, aut in primo, aut in secundo, aut etiam in quolibet loco iidem ministri eligerentur, qualiter familiarius quaeque regiones palatium adire possent, dum suae genealogiae vel regionis consortes in palatio locorum tenere cognoscerent.

XIX. His ita breviter de eligendis et constituendis ministris praedictis, nunc ad eorundem ministrorum et ministrationum ordinem qualiter currebant, veniendum est. Nam quamvis praefati ministri, unusquisque de suo ministerio, non sub alio vel per alium, nisi per se ipsum, solum Regem, vel quantum ad Reginam, vel gloriosam prolem Regis respiciebant, caput ponerent: non tamen omnes aequaliter de caeteris rebus, vel caeterarum necessitatibus Regem adibant, sed mensura sua quisque contentus erat, et ubi, vel uti ratio poscebat, solatium alterius requirebat. E quibus praecipue duo, id est, Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatii Custos, de omnibus negotiis Ecclesiasticis, vel ministris Ecclesiae; et Comes Palatii de omnibus saecularibus causis, vel iudiciis suscipiendi curam instanter habebant: ut nec Ecclesiastici, nec saeculares prius Domnum Regem, absque eorum consultu inquietare necesse haberent, quousque illi praeviderent, si necessitas esset, ut causa ante Regem merito venire deberet. Si vero secreta esset causa, quam prius congrueret Regi, quam cuiquam alteri dicere, eundem dicendi locum eidem ipsi praepararent introducto prius Rege, ut hoc iuxta modum personae, vel honorabiliter, vel patienter, vel etiam misericorditer susciperet.

XX. Apocrisiarius quidem de omni Ecclesiastica religione vel ordine, nec non etiam de Canonicae vel Monasticae altercatione, seu quaecumque Palatium adibant pro Ecclesiasticis ne-

cessitatibus sollicitudinem haberet: et ea tantummodo de externis Regem adirent, quae sine illo plenius definiri non potuissent. Caeterum, ut non solum de his, quae ad eos specialiter de omni ornamento vel officio Ecclesiastico infra Palatium agenda pertinebant, verum quoque et omnem consolationem spiritalem, sive consilium totius Palatii quicunque quaereret, apud eum, ut necesse erat, fideliter inveniret: et qui non quaereret et tamen ipse apud aliquem necessarium esse sentiret, iuxta personae qualitatem, et a perverso sensu vel opere retrahere, et ad viam salutis convertere studeret. Et cetera spiritualia, quaecunque palatio, tam ab assidue conversantibus, quamque et a supervenientibus, sive secundum Deum, sive secundum saeculum, ut providerentur et praeviderentur, erant necessaria, quae enumerare longum est, ad eius specialiter curam pertinebant. Non ita, ut aliter alius, sive Palatinus, sive externus superveniens, sapientia et vera devotione per Dei gratiam illuminatus tale aliquid minime ageret: sed maxime consuetudo erat, ut aut cum eodem Apocrisiario pariter aut certe per eius consilium quod erat agendum ageret, ne forte quid minus utile aut indignum Regi subriperet.

XXI. Comitis autem Palatii, inter caetera paene innumerabilia, in hoc maxime sollicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quae alibi ortae propter aequitatis iudicium Palatium aggrediebantur, iuste ac rationabiliter determinaret; seu perverse iudicata ad aequitatis tramitem reduceret, ut et coram Deo propter iustitiam, et coram hominibus propter legum observationem cunctis placeret. Si quid vero tale esset, quod leges mundanae hoc in suis diffinitionibus statutum non haberent, aut secundum gentilium consuetudinem crudelius sancitum esset, quam Christianitatis rectitudo, vel sancta auctoritas merito non consentiret, hoc ad Regis moderationem perduceretur, ut ipse cum his, qui utramque legem nossent, et Dei magis, quam humanarum legum statuta metuerent, ita decerneret, ita statueret; ut ubi utrumque servari posset, utrumque servaretur: sin autem lex saeculi merito comprimeretur, iustitia Dei conservaretur.

XXII. De honestate vero Palatii, seu specialiter ornamento regali necnon et de donis annuis militum, absque cibo et potu, vel equis, ad Reginam praecipue, et sub ipsa ad Camerarium pertinebat et secundum cuiusque rei qualitatem ipsorum sollicitudo erat, ut tempore congruo semper futura prospicerent, ne quid, dum opus esset, ullatenus opportuno tempore defuisset. De donis vero diversarum Legationum ad Camerarium adspicie-

bat; nisi forte iubente Rege tale aliquid esset, quod Reginae ad tractandum cum ipso congrueret. Haec autem omnia, et his similia eo intendebant, ut ab omni sollicitudine domestica vel Palatina, in quantum rationabiliter et honeste esse poterat, Domnus Rex omnipotenti Deo spem suam indesinenter committens ad totius regni statum ordinandum, vel conservandum animum semper suum promptum haberet.

XXIII. Ad tres autem ministeriales, Senescalcum, Buticularium, et Comitem Stabuli secundum uniuscuiusque ministerii qualitatem vel quantitatem pertinebat, ut cum communi consensu de suo quisque ministerio admonendi non essent segnes, ut quanto eius esse potuisset, omnes actores Regis praescirent, ubi vel ubi Rex illo vel illo tempore, tanto vel tanto spatio manere debuisset, propter adductionem vel praeparationem: ne forte tarde scientes, dum inopportuno tempore, vel cum nimia festinatione exigeretur, familia regalis per negligentiam sine necessitate opprimeretur. Quae videlicet cura, quamquam ad Buticularium, vel ad Comitem Stabuli pertineret, maxima tamen cura ad Senescalcum respiciebat, eo quod omnia caetera, praeter potus vel victus caballorum ad eundem Senescalcum respiceret. Inter quos etiam et Mansionarius intererat, super cuius ministerium incumbebat, sicut et nomen eius indicat, ut in hoc maxime sollicitudo eius intenta esset, ut tam supradicti Actores, quamque et susceptores, quo tempore ad eos illo vel illo in loco Rex venturus esset, propter mansionum praeparationem, ut opportuno tempore praescire potuissent: ne aut inde, tarde scientes, propter afflictionem familiae importuno tempore peccatum, aut hi propter non condignam susceptionem, ac si bene noluissent, cum certe non volendo, sed non valendo offensionem incurrerent.

XXIV. Similiter quoque Venatores, et quintus Falconarius cum eadem unanimitate secundum temporis qualitatem admonere studebant, qualiter ea, quae ad singulorum ministeriorum curam pertinebant, ut opportuno tempore, et non tarde consideraretur, quando tanti vel quando tanti, quando toti, et quando nulli, aut in palatio retinerentur, aut more solito foris nutriendi usque ad tempus mitterentur, aut tempore congruo per denominata loca venandi causa pariter et nutriendi disponerentur. Sed et hoc et illud, id est, et intra et extra palatium, ita semper cum mensura et ratione ordinaretur, ut quantum prodesset, esset, et quantum non prodesset, non esset; quia in ipsis ministeriis non sic facile certus numerus, aut hominum, aut canum, aut avium diffiniri potest; ideo in ipsorum arbitrio manebat, quanti et quales

essent. Sensus autem in his omnibus talis erat, ut nunquam Palatio tales vel tanti deessent ministri, propter has praecipue inter caeteras necessitates, vel honestates.

XXV. Primo, ut sive generaliter maioribus, sive specialiter vel singulariter quibusque minoribus recedentibus omni tempore et multitudine congrua, sine qua rationabiliter et honeste esse non posset, semper esset ornatum palatium, et consiliariis condignis nunquam destitutum fuisset. Et, ut qualiscunque Legatio, sive speculandi, sive etiam subdendi gratia veniret, qualiter omnes quidem honeste suscipi potuissent. Deinde primus consilii rectitudinem, secundus misericordiae et benignitatis consolationem, tertius vero versutiae seu temeritatis sermo referret medicinam. Et ut ex quacumque parte totius Regni, quicumque desolatus, orbatus, alieno aere oppressus, iniuste calumnia cuiusque suffocatus, seu caetera his similia, quae nunc enumerare perlongum est, maxime tamen de viduis, et orphanis, tam seniorum quamque et mediocrium, uniuscuiusque secundum suam indigentiam, vel qualitatem, Dominorum vero misericordiam et pietatem semper ad manum haberet, per quem singuli ad pias aures Principis perferre potuissent.

XXVI. Similiter, qui propter diutinum servitium digni erant, ut remunerari debuissent, et locus talis occurrebat, ubi ex praedictis indigentibus nemo sine mensura destitueretur, similiter secundum eorum qualitatem ad memoriam Principum revocarentur; non tam ipsis urgentibus, quam eorum, de quibus supra dictum est, fidem et debitum exigentibus, ut in eis id fieret. Primo propter quod cum iustitia et misericordia Deo placeret. Deinde in militia remanentibus certissimam fideliter serviendi fidem et constantiam ministrarent. Deinde ut etiam longe positis per totius Regni ambitum laetitiam et gaudium demonstrarent. Et si aliquis ex ministerialibus vel consiliariis decedebat, loco eius congruus et utilis restituebatur.

XXVII. Et ut illa multitudo, quae in palatio semper esse debet, indeficienter persistere posset, his tribus ordinibus fovebatur. Uno videlicet, ut absque ministeriis expediti milites, anteposita Dominorum benignitate et sollicitudine, qua nunc victu, nunc vestitu, nunc auro, nunc argento, modo equis, vel caeteris ornamentis, interdum specialiter, aliquando prout tempus, ratio et ordo condignam potestatem administrabat, saepius porrectis in eo tamen indeficientem consolationem, necnon ad regale obsequium inflammatum animum ardentius semper habebant: quod illos praefati Capitanei ministeriales certatim de die in

diem, nunc istos, nunc illos, ad mansiones suas vocabant, et non tam gulae voracitate, quam verae familiaritatis, seu dilectionis amore, prout cuique possibile erat, impendere studebant: sicque fiebat, ut rarus quisque infra hebdomadam remaneret, qui non ab aliquo huius modi studio convocaretur.

XXVIII. Alter Ordo per singula ministeria discipulis congruebat, qui Magistro suo singuli adhaerentes, et honorificabant et honorificabantur, locisque singuli suis, prout opportunitas occurrebat, ut a Domino videndo vel alloquendo consolarentur. Tertius ordo item erat, tam maiorum, quam minorum in pueris, vel vasallis, quos unusquisque prout gubernare et sustentare absque peccato, rapina videlicet vel furto poterat, studiose habere procurabant. In quibus, scilicet, denominatis ordinibus, absque his, qui semper eundo et redeundo palatium frequentabant, erat delectabile, quod interdum et necessitati, si repente ingrueret, semper sufficerent: et tamen semper, ut dictum est, maior pars illius propter superius commemoratas benignitates, cum iucunditate et hilaritate promptu et alacri mente persisterent.

XXIX. Secunda Divisio est, qua totius Regni status, anteposito, sicuti semper et ubicumque, omnipotentis Dei iudicio, quantum ad humanam rationem pertinebat, conservari videbatur, haec est. Consuetudo autem tunc temporis talis erat, ut non saepius, sed bis in anno placita duo tenerentur. Unum, quando ordinatum nullus eventus rerum, nisi summa necessitas, quae similiter toto Regno incumbebat, mutabatur. In quo placito generalitas universorum maiorum tam clericorum, quam laicorum conveniebat. Seniores, propter consilium ordinandum: minores, propter idem consilium suscipiendum, et interdum pariter tractandum, et non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu vel sententia confirmandum.

XXX. Caeterum autem propter dona generaliter danda, aliud placitum cum senioribus tantum et praecipuis Consiliariis habebatur: in quo iam futuri anni status tractari incipiebatur, si forte talia aliqua se praemonstrabant, pro quibus necesse erat praemeditando ordinare, si quid mox transacto anno priore incumberet, pro quo anticipando aliquid statuere aut providere necessitas esset: verbi gratia, si inter Marchisos in qualibet regni parte ad aliud tempus dextrae datae fuissent, quid mox post dextras exactas agendum esset, utrum renovandae an finiendae essent. Iuxta, caeterarum partium imminentibus rixa et pace, ut secundum id, quod tunc temporis ratio poscebat, (si ex una parte hinc aut inde vel facienda vel toleranda inquietudo neces-

sario incumbebat) ex aliis partibus tranquillitas ordinaretur. Et cum ita per eorundem seniorum consilium, quid futuri temporis actio vel ordo agendi posceret, a longe considerarent: et cum inventum esset, sub silentio idem inventum consilium, ita funditus ab omnibus alienis incognitum usque ad aliud iterum secundum generale placitum, ac si inventum vel a nullo tractatum esset, maneret, ut si forte tale aliquid, aut infra, aut extra regnum ordinandum esset, quod praescientia quorundam, aut destruere, aut certe inutile reddere, aut per aliquam diversam astutiam laboriosius faciendum convertere voluisset, hoc nullatenus facere potuisset. In ipso autem placito, si quid ita exigeret, vel propter satisfactionem caeterorum seniorum, vel propter non solum mitigandum, verum etiam accendendum animum populorum, ac si ita prius exinde praecogitatum nihil fuisset, ita nunc a novo, consilio et consensu illorum et inveniretur, et cum magnanimis ordo Domino duce perficeretur. Ita autem anno priore terminato, praefato modo ordinaretur et de secundo.

XXXI. Consiliarii autem, quantum possibile erat, tam clerici quam laici, tales eligebantur, qui primo secundum suam quisque qualitatem, vel ministerium Deum timerent, deinde talem fidem haberent, ut excepta vita aeterna nihil Regi et Regno praeponerent: non amicos, non inimicos, non parentes, non munera dantes, non blandientes, non exasperantes, non sophistice vel versute, aut secundum sapientiam solummodo huius saeculi, quae inimica est Deo, sapientes, sed illam sapientiam et intelligentiam scientes, qua illos, qui in supradicta humana astutia fiduciam suam habuissent, pleniter per iustam et rectam sapientiam non solum reprimere, sed funditus opprimere potuissent. Electi autem consiliarii una cum Rege hoc inter se principaliter constitutum habebant, ut quicquid inter se familiariter locuti fuissent, tum de statu Regni, quamque et de speciali cuiuslibet persona, nullus sine consensu ipsorum cuilibet domestico suo, vel cuicunque alteri prodere debuisset, secundum hoc, quod res eadem sive die, sive duobus sive amplius, seu annum, vel etiam in perpetuo celari, vel sub silentio manere necesse fuisset; quia saepe in tali tractatu de qualibet persona, talis interdum propter communem utilitatem agendam vel cavendam sermo procedit, qui ab eo cognitus, aut valde turbat, aut quod magis est in desperationem trahit, vel, quod gravissimum est, in infidelitatem convertit, et ab omni profectu, quem fortasse multipliciter exercere potuit inutilem reddit, cum tamen nihil ei obesset, si eundem sermonem minime sciret. Quale de homine uno, tale de duobus, tale

de centum, tale de maiori numero, vel etiam de progenie una, vel una qualibet simul provincia, si magna cautela non fuerit, fieri poterit.

XXXII. Apocrisiarius autem, id est, Capellanus, vel Palatii Custos, et Camerarius semper intererant, et idcirco cum summo studio tales eligebantur, aut electi instruebantur, qui merito interesse potuissent: sed et de caeteris ministerialibus, qui talem se ostendebat, ut ad hoc vel praesens, vel futurus nunc discendo, postmodum vero consiliando loco eorundem honorifice substitui potuisset, cum summa intentione mentis, intendendo singulis quae agebantur interesse iubebatur, salvans credita, discens incognita, retinens ordinata et constituta, ut si forte tale aliquid extra aut intra regnum oriretur, aut imperatum, et ideo non praemeditatum nuntiaretur, (rarius tamen necesse esset, ut consilium altius tractaretur; et tamen tempus aptum non esset, in quo praefati Consiliarii convocarentur), ipsi Palatini per misericordiam Dei ex eorum assidua familiaritate, tam in publicis consiliis quamque ex domestica in hac parte allocutione, responsione et consultatione, studium haberent, prout tunc rei vel temporis qualitas exigebat, aut consilium pleniter dare, quid fieret, aut certe quomodo ad praefinita tempora cum consilio, et absque ullo detrimento res easdem exspectari vel sustentari potuisset. Haec de maioribus.

XXXIII. De minoribus vero, vel proprie Palatinis, ita ut diximus, non generaliter ad Regnum pertinentibus, sed specialiter ad personas quasque respicientibus quae specialiter Palatio imminebant, cum eis dominus rerum ita inconfuse ordinare potuisset, ut exinde non solum detrimentum ullum oriretur, verum etiam ortum, aut imminens utiliter aut mitigari, aut funditus exstingui, aut etiam evelli potuisset. Si vero talis esset causa, ut velocitati immineret, et tamen aliquatenus usque ad generale placitum quoque pacto sustentare, vel sine peccato, aut sine contumelia potuisset, ipsi modum eiusdem sustentationis ex praedicto maiori usu consilium dandi scirent, et sapientiam priorum imitati placite Deo, et utiliter Regno interim dare potuissent. Praefatorum autem Consiliariorum intentio, quando ad palatium convocabantur, in hoc praecipue vigebat, ut non speciales vel singulares quascunque vel quorumcunque causas, sed nec etiam illorum, qui pro contentionibus rerum aut legum veniebant, ordinarent, quousque illa, quae generaliter ad salutem, vel statum Regis et Regni pertinebant Domino miserante ordinata habuissent. Et tunc demum, si forte tale aliquid Domino rege praeci-

piente reservandum erat, quod sine eorum certa consideratione determinari a Comite Palatii, vel a caeteris, quibus congruebant, non potuisset.

XXXIV. Proceres vero praedicti, sive in hoc, sive in illo praefato placito, quin et primi Senatores Regni, ne quasi sine causa convocari viderentur, mox auctoritate regia per denominata et ordinata capitula, quae vel ab ipso per inspirationem Dei inventa, vel undique sibi nuntiata post eorum abscessum praecipue fuerant, eis ad conferendum, vel ad considerandum patefacta sunt. Quibus susceptis interdum die uno, interdum biduo, interdum etiam triduo, vel amplius, prout rerum pondus expetebat accepto ex praedictis domesticis palatii missis intercurrentibus, quaeque sibi videbantur interrogantes, responsumque recipientes, tam diu ita nullo extraneo appropinquante, donec res singulae ad effectum perductae gloriosi Principis auditui in sacris eius obtutibus exponerentur, et quicquid data a Deo sapientia eius eligeret, omnes sequerentur. Ecce sicut de uno, ita de duobus, vel quotquot essent capitulis agebatur, quousque omnia Deo miserante illius temporis necessaria expolirentur.

XXXV. Interim vero, quo haec in Regis absentia agebantur, ipse Princeps reliquae multitudini in suscipiendis muneribus, salutandis proceribus, confabulando rarius visis, compatiendo senioribus, congaudendo iunioribus, et caetera his similia tam in spiritalibus, quamque et in saecularibus occupatus erat: ita tamen, ut quotienscunque segregatorum voluntas esset, ad eos veniret, similiter quoque quanto spatio voluissent cum eis consisteret, et cum omni familiaritate, qualiter singula reperta habuissent, referebant, quantaque mutua hinc et inde altercatione vel disputatione, seu amica contentione decertassent, apertius recitabant. Sed nec illud praetermittendum, quomodo si tempus serenum erat, extra, sin autem, intra diversa loca distincta erant, ubi et hi abundanter segregati semotim, et caetera multitudo separatim residere potuissent, prius tamen caeterae inferiores personae interesse minime potuissent. Quae utraque tamen Seniorum susceptacula sic in duobus divisa erant, ut primo omnes Episcopi, Abbates, vel huiusmodi honorificentiores clerici absque ulla laicorum commixtione congregarentur. Similiter Comites, vel huiusmodi Principes sibimet honorificabiliter a caetera multitudine primo mane segregarentur, quousque tempus sive praesente sive absente Rege occurrerent: et tunc praedicti Seniores more solito, Clerici ad suam, Laici vero ad suam constitutam curiam, subselliis similiter honorificabiliter praeparatis, convoca-

rentur. Qui cum separati a caeteris essent, in eorum manebant potestate, quando simul, vel quando separati residerent, prout eos tractandae causae qualitas docebat, sive de spiritalibus, sive de saecularibus, seu etiam commixtis. Similiter, si propter quamlibet vescendi vel investigandi causam quemcunque convocare voluissent, et re comperta discederet, in eorum voluntate manebat. Haec interim de his, quae eis a Rege ad tractandum proponebantur.

XXXVI. Secunda autem ratio Regis erat, interrogatio, quid unusquisque ex illa parte Regni, qua veniebat, digna relatu, vel retractatu secum afferret; quia et hoc eis non solum permissum, verum etiam arctius commissum erat, ut hoc unusquisque studiosissime, usque dum reverteretur, tam infra, quam extra regnum perquireret, si quid tale non solum a propriis vel extraneis, verum etiam sicut ab amicis, ita et ab inimicis vestigaret, intermissa interim, nec magnopere, unde sciret, investigata persona. Si populus in qualibet Regni parte, regione, seu angulo turbatus, quae causa turbationis esset, si murmur populi obstreperet, vel tale aliquid inaequale resonaret, unde generale consilium tractare aliquid necessarium esset, et cetera his similia. Extra vero, si aliqua gens subdita rebellare, vel rebellata subdere, si necdum tacta insidias Regni moliri, vel tale aliquid oriri voluisset. In his vero omnibus, quaecumque cuilibet periculo imminerent, illud praecipue quaerebatur, cuius rei occasione talia vel talia orirentur.

XXXVII. Post illa, quae in Synodo apud Martyrum S. Macrae de maiorum constitutionibus collecta et regi Hludowico nuper defuncto fuere directa, haec de ordine Palatii et dispositione Regni vobis ad institutionem istius Regis noster ac ministrorum eius Regnique provisorum, sicut scriptis et verbis Seniorum didici, et ipse adhuc in adolescentia mea vidi, devote iussioni vestrae obediens obtuli. Personas autem hominum et mores ac qualitates illorum, per quos si aliqua sunt collapsa restituantur, vestra sollertia providebit, quoniam de his, quae tempore Domni Hludowici Imperatoris vidi Palatii Procuratores et Regni Praefectos, neminem scio esse superstitem: scio tamen de illorum nobilitate natos pro patribus filios, licet illorum mores ac qualitates ignorem. Ipsi vero procurent, ut non sint moribus ac virtute, atque pro aetatis quantitate, vel temporis qualitate, sapientia et studiis bonis degeneres, quatenus merito Patrum loca et officia suppleant, et se in ipsa suppletione caute custodiant: ne, ut S. Gregorius dicit, in culmine honoris positi

usu gloriae permutentur, sicut Saul, qui prius in electione honoris exstitit humilis, postea reprobari meruit propter elationem timoris.

LXI.

Epistolae Karoli Magni ad Offam Regem Merciorum.

I.

Data anno DCCLXXIV post devictos Langobardos et Saxones [1]).

Karolus, gratia Dei Rex Francorum et Langobardorum, et Patricius Romanorum, viro venerando et fratri carissimo Offano, Merciorum Regi, salutem, honorem, et amorem. Cum deceat Reges potentes et famosos amicitiae foedere convinciri, et mutuis gaudiis ad invicem gratulari, ut in vinculo caritatis Christus in omnibus et ab omnibus glorificetur, vestrae Serenitati hoc eulogium duximus destinandum. Cum nobilissimam Langobardorum civitatem cum suis omnibus nostro dominatui subiugaverimus, et Italiam totam nostro imperio feliciter subiugaverimus Christi adiutorio, cui famulari desideramus, Rex Desiderius Langobardorum, Ducesque Saxoniae, quos nostris nutibus inclinavimus, Withimundus et Albion, cum fere omnibus incolis Saxoniae, baptismi susceperunt sacramentum, Domino Jesu Christo de caetero famulaturi. Hoc igitur salubri mandato ego Karolus, Regum Christianorum orientalium potentissimus, vos, o Offane, Regum occidentalium Christianorum potentissime, cupio laetificare, et te in dilectione speciali amplecti sincerius.

II.

De Peregrinatorum Negotiatorumque patrocinio; et de variis muneribus, quae pro Hadriani Papae anima mittit ad singulas Ecclesias regni eius.
Data anno DCCXCIX [2]).

Karolus, gratia Dei Rex Francorum et Langobardorum, et Patricius Romanorum, Viro venerando et fratri carissimo Offae, Regi Merciorum, salutem. Primo gratias omnipotenti Deo agimus de catholicae fidei sinceritate quam in vestris laudabiliter

---

[1]) *Walter*, II, p. 56 sq. [2]) Ibid. p. 124 sq.

paginis reperimus exaratam. De peregrinis vero, qui pro amore Dei et salute animarum suarum Beatorum Apostolorum limina desiderant adire, cum pace sine omni perturbatione vadant. Sed si aliqui non religioni servientes, sed lucrum sectantes inter eos inveniantur, locis opportunis statuta solvant telonea. Negotiatores quoque volumus ut ex mandato nostro patrocinium habeant in regno nostro legitime. Et si aliquo loco iniusta affligantur oppressione, reclament se ad nos vel nostros Iudices, et plenam iubebimus iustitiam fieri. Cognoscat quoque Dilectio vestra quod aliquam benignitatem de dalmaticis nostris vel palliis ad singulas sedes episcopales regni vestri vel Ethelfredi direximus in eleemosynam Domni Apostoli Hadriani, deprecantes ut pro eo intercedi iubeatis, nullam habentes dubitationem, beatam illius animam in requie esse, sed ut fidem et dilectionem ostendamus in amicum nostrum carissimum. Sed et de thesauro humanarum rerum, quem Dominus Jesu nobis gratuita pietate concessit, aliquid per metropolitanas civitates direximus. Vestrae quoque Dilectioni unum baltheum et unum gladium Huniscum, et duo pallia serica.

III.

Presbyterum Scotum accusatum mittit in patriam, ut ibi ab Episcopo suo iudicetur [1]).

Karolus, gratia Dei Rex Francorum, et Defensor sanctae Dei Ecclesiae, dilecto fratri et amico Offae, Regi, salutem. Presbyter iste [et] Scotus apud nos moratus est aliquanto tempore in parochia Hildeboldi, Coloniensis Episcopi; sed reprehensibilis factus, ut fertur a quodam accusatore, quod carnem diebus quadragesimabilibus comedisset. Nostri vero Sacerdotes iudicare renuerunt, quia plenum testimonium accusantium super eum non invenerunt. Tamen nec eum loco consueto habitationis suae propter infamiam diutius morari permiserunt, ne sacerdotalis honor apud imperitum vulgus vilesceret, vel rumigera loquela aliqui hortarentur violare sanctum ieiunium. Visum est nostris Sacerdotibus illum ad sui Episcopi, ubi Deo votum fecit, dirigere iudicium. Idcirco vestram deprecamur Providentiam, ut iubeatis illum secundum opportunitatem temporis et protectionis in suam transponere patriam, ut ibi iudicetur, unde exivit. Nam ibi quoque sanctae Dei Ecclesiae puritas in moribus et firmitas in fide,

---

1) Ibid. p. 126 sq.

et honestas in conversatione, secundum canonicam sanctionem diligenter observari debebit; ut una, perfecta et immaculata columba, cuius pennae deargentatae, et posteriora eius in specie auri clarescere debent. Vita, salus, et prosperitas tibi tuisque fidelibus a Deo Christo detur in aeternum.

LXII.

Capitulare primum anni DCCCII,

sive Capitula data Missis dominicis, anno secundo Imperii[1]).

De legatione a Domno Imperatore directa.

I. Serenissimus igitur et Christianissimus Domnus Imperator Karolus elegit ex optimatibus suis prudentissimos et sapientissimos viros, tam Archiepiscopos, quam et reliquos Episcopos, simulque et Abbates venerabiles laicosque religiosos, et direxit in universum regnum suum, et per eos cunctis subsequentibus secundum rectam legem vivere concessit. Ubi autem aliter quam recte et iuste in lege aliquid esset constitutum, hoc diligentissimo animo exquirere iussit et sibi innotescere: quod ipse donante Deo meliorare cupit. Et nemo per ingenium suum vel astutiam perscriptam legem ut multi solent, vel sibi suam iustitiam marrire audeat vel praevaleat, neque Ecclesiis Dei, neque pauperibus, nec viduis, nec pupillis, nullique homini Christiano. Sed omnes omnino secundum Dei praeceptum iusta viverint ratione in iusto iudicio, et unusquisque in suo proposito vel professione unanimiter absque turpis lucri negotio pleniter observassent, Sanctimoniales sub diligenti custodia vitam suam custodirent, laici et seculares recte legibus suis uterentur absque fraude maligna, omnes in invicem in caritate et pace perfecte viverent; et ut ipsi Missi diligenter perquirerent ubicunque aliquis homo sibi iniustitiam factam ab aliquo reclamasset, sicut Dei omnipotentis gratiam ubi cupiant custodire et fidelitatem sibi promissam conservare; ita ut omnino in omnibus ubicunque, sive in sanctis Ecclesiis Dei, vel etiam pauperibus, pupillis, et viduis, atque cuncto populo legem pleniter atque iustitiam exhiberent se-

---

1) *Walter* II, p. 156—169.

cundum voluntatem et timorem Dei. Et si tale aliquid esset quod ipsi per se cum Comitibus provincialibus emendare et ad iustitiam reducere nequivissent, hoc absque ulla ambiguitate cum brebitariis suis ad suum referrent iudicium; et per nullius hominis adulationem vel praemium, nulliusque consanguinitatis defensione, vel timore potentum, recta iustitia impediretur ab aliquo.

De fidelitate promittenda Domno Imperatori.

II. Praecepitque ut omnis homo in toto regno suo, sive ecclesiasticus, sive laicus, unusquisque secundum votum et propositum suum, qui antea fidelitatem sibi Regis nomine promisissent, nunc ipsum promissum hominis Caesari faciat. Et ii qui adhuc ipsum promissum non perfecerunt, omnes usque ad duodecimum aetatis annum similiter facerent. Et ut omnibus traderetur publice qualiter unusquisque intelligere posset magna in isto sacramento et quam multa comprehensa sunt, non, ut multi usque nunc existimaverunt, tantum fidelitatem Domno Imperatori usque in vita ipsius, et ne aliquem inimicum in suum regnum causa inimicitiae inducat; et ne alicui infidelitate illius consentiant aut reticeant, sed ut sciant omnes istam in se rationem hoc sacramentum habere.

Ut unusquisque se in servitio Dei conservare studeat.

III. Placuit ut unusquisque ex persona propria se in sancto Dei servitio, secundum Dei praeceptum et secundum sponsionem suam, pleniter conservare studeat secundum intellectum et vires suas; quia ipse Domnus Imperator non omnibus singulariter necessariam potest exhibere curam et disciplinam.

De periuriis cavendis.

IV. Secundo, ut nullus homo neque cum periuris neque aliis ullo ingenio vel fraude, per nullius unquam adulationem vel praemium, neque servum Domni Imperatoris, neque terminum, neque terram, nihilque quod iure potestativo permaneat, nullatenus contradicat, neque abstrahere audeat vel celare. Et ut nemo fugitivos fiscales suos, qui se iniuste et cum fraude liberos dicunt, cedere neque abstrahere cum periurio vel alio ingenio praesumat.

De ecclesiis, viduis, orphanis, et peregrinis.

V. Ut sanctis Ecclesiis Dei, neque viduis, neque orphanis, neque peregrinis fraudem vel rapinam vel aliquid iniuriae quis facere praesumat; quia ipse Domnus Imperator, post Domini et

Sanctorum eius, quorum et protector et defensor esse constitutus est.

Ut beneficium Domni Imperatoris nemo desertet.

VI. Ut beneficium Domni Imperatoris desertare nemo audeat, propriam suam exinde constituere.

De hoste pergendi.

VII. Ut hostile bannum Domni Imperatoris nemo praetermittere praesumat, nullusque Comes tam praesumptiosus sit ut illum de his qui hostem facere debiti sunt, exinde vel aliqua propinquitatis defensionem, vel cuius muneris adolationem dimittere audeant.

Ut bonum Domni Imperatoris aut censum nemo marrire praesumat.

VIII. Ut nullum bannum vel praeceptum Domni Imperatoris nullus omnino in nullo marrire praesumat, neque opus eius stricare vel impedire, vel minuere, vel in alio contrarius fieri voluntati vel praeceptis eius. Et ut nemo debitum suum vel censum marrire ausus sit.

De iustitia facienda.

IX. Ut nemo in placito pro alio rationare usum habeat defensionem alterius iniuste, sive pro cupiditate aliqua, minus rationare valente, vel pro ingenio rationis suae iustum iudicium marrire, vel rationem suam minus valente opprimendi studio. Sed unusquisque pro sua causa vel censu vel debito rationem reddat, nisi aliquis sit infirmus aut rationes nescius, pro quibus Missi vel Priores qui in ipso placito sunt, vel Iudex qui causam huius rationis sciat, rationetur conplacito; vel si necessitas sit, talem personam largiatur ut rationem qui omnibus probabilis sit, et qui in ipsa bene noverit causa: quod tamen omnino fiat secundum convenientiam Priorum vel Missorum qui praesentes adsunt. Quod et omnimodis secundum iustitiam legem fiat adque praemium, mercedem, vel aliquo malae adulationis ingenio, vel defensione propinquitatis, ut nullatenus iustitia quis marrire praevaleat. Et ut nemo aliquid alicui iniuste consentiat, sed omni studio et voluntate omnes ad iustitiam perficiendam praeparati sint. Haec enim omnia supradicta imperiali sacramento observari debentur.

Ut Episcopi et Presbyteri secundum canones vivant, et caeteros doceant.

X. Ut Episcopi et Presbyteri secundum canones vivant, et ita caeteros doceant.

De officio Episcoporum, Abbatum et Abbatissarum erga subditos.

XI. Ut Episcopi, Abbates, atque Abbatissae, qui caeteris praelati sunt, cum summa veneratione ac diligentia subiectis sibi praeesse studeant, non potentiva dominatione vel tyrannide sibi subiectos premant, sed simplici dilectione cum mansuetudine et caritate, vel exemplis bonorum operum, commissum sibi gregem sollicite custodiant.

Ut Monachi et Santimoniales secundum regulam vivant.

XII. Ut Abbates ubi Monachi sunt pleniter cum Monachis secundum regulam vivant, atque canones diligenter discant et observent. Similiter Abbatissae faciant.

De Advocatis, Vicedominis, et Centenariis Episcoporum, Abbatum, et Abbatissarum.

XIII. Ut Episcopi, Abbates atque Abbatissae Advocatos atque Vicedominos Centenariosque legem scientes, et iustitiam diligentes, pacificosque et mansuetos habeant, qualiter per illosque Sanctae Dei Ecclesiae magis praeceptum vel merces adcrescat; quia nullatenus neque Praepositos neque Advocatos damnosos et cupidos in Monasteria habere volumus a quibus magis nos blasphemia vel detrimenta oriantur. Sed tales sint quales eos canonica vel regularis institutio fieri iubet, voluntati Dei subditos, et ad omnes iustitiam faciendi semper paratos, legem pleniter observantes absque fraude maligna, iustum semper iudicium in omnibus exercentes, Praepositos vestros tales quales sancta regula fieri docet. Et hoc omnino observent ut, nullatenus a quibus magis nobis a canonica vel regulari norma discedant, sed humilitatem in omnibus habeant. Si autem aliter praesumpserint, regularem disciplinam sentiant. Et si se emendare noluerint, a Praeposito removeantur; et qui digni sunt, in loca eorum subrogentur.

De concordia Episcoporum, Abbatum, et Abbatissarum cum Comitibus.

XIV. Ut Episcopi, Abbates, atque Abbatissae, Comitesque unanimiter invicem sint consentientes legem ad iudicium iustum terminandum cum omni caritate et concordia pacis, et ut fideliter vivant secundum voluntatem Dei, ut semper ubique et propter illos et inter illos iustum iudicium, ibique perficiantur pauperes, viduae, orphani, et peregrini consolationem atque defensionem ab eis habeant; ut et nos per eorum bonam voluntatem magis praemium vitae aeternae quam supplicium mereamur.

Ut Abbates et Monachi subiecti sint Episcopis.

XV. Abbates autem et Monachi omnimodis volumus et praecipimus, ut Episcopis suis omni humilitate et obedientia sint subiecti, sicut canonica constitutio mandat. Et omnes Ecclesiae atque Basilicae in ecclesiastica defensione et potestate permaneant. Et de rebus ipsius Basilicae nemo ausus sit in divisione aut in sorte mittere. Et quod semel offeritur, non revolvatur, et sanctificet et vindicet. Et si autem aliter praesumpserit, praesolvatur, et bannum nostrum componat. Et Monachi ab Episcopo provinciae ipsius corripiantur. Quod si se non emendent, tunc Archiepiscopus eos ad synodum convocet. Et si neque sic se correxerint, tunc ad nostram praesentiam simul cum Episcopo suo veniant.

De ordinatione Clericorum et Monachorum.

XVI. De ordinatione eligenda, ut Domnus Imperator iam olim ad Francorum banno concessit, ut Episcopi Abbatibus, ita etiam nunc et firmavit; eo tamen tenore, ut neque Episcopus neque Abbas in monasterio viliores meliori plus diligat, et eum sibi propter consanguinitatem suam vel aliquam adulationem melioribus suis praeferre studeat, et talem nobis ducit ordinandum, cum meliorem eo habet occultatum et oppressum: quod nequaquam fieri volumus, quia inrisio et delusio nostra hoc fieri videtur. Sed tales in monasteriis nutriantur ad ordinandum, in quibus et nobis merces et profectus adcrescat commendatoribus suis.

Ut Monachi secundum regulam vivant.

XVII. Monachi autem ut firmiter ac fortiter secundum regulam vivant, quia displicere Deo novimus quisquis in sua voluntate tepidus est, testante Iohanne in Apocalypsi: *Utinam calidus esses aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Secularem sibi negligentiam nullatenus usurpent. Foris monasterio nequaquam progrediendi licentiam habeant, nisi maxima cogente necessitate: quod tamen Episcopus, in cuius dioecesi erunt, omnino procuret, ne foris monasterio vagandi usum habeant. Sed si necessitas sit ad aliquam obedientiam aliquem foris pergere, et hoc cum consilio et consensu Episcopi fiat, et tales personae cum testimonium foris mittantur in quibus nulla sit suspicio mala, vel a quibus nulla opinio mala oriatur. Foris vero peculium vel res monasterii sui Abbas cum Episcopi sui licentia et consilio ordinet qui praevideat, non Monachum, nisi alium fidelem. Quaestum vero saecularem vel concupiscentiam

mundanarum rerum omnibus modis devitent; quia avaritia vel concupiscentia huius mundi omnibus est evitanda Christianis, maxime tamen his qui mundo et concupiscentiis abrenuntiasse videntur. Lites et contentiones nequaquam neque infra neque foris monasterio movere praesumant. Qui autem praesumserint, gravissima disciplina regulari corripiantur, ut taliter caeteri metum habeant talia perpetrandi. Ebrietatem et comessationem omnino fugiant, quia inde libidine maxime polluari omnibus notum est. Nam pervenit ad aures nostras opinio perniciosissima, in fornicatione et abominatione et immunditia multos iam in monasteriis esse deprehensos, maxime contristat et conturbat, quod sine horrore magno dici non potest, ut inde maximam spem salutis omnibus Christianis oriri crederent, id est, de vita et castitate Monachorum, in tantum ut aliquis ex Monachis Sodomitas esse auditum. Unde etiam rogamus et contestamur ut certissime amplius ex his diebus omni custodia se ex his malis conservare studeant, ut nunquam amplius tale quid ad nostras aures perveniat. Et hoc omnibus notum sit, quia nullatenus iniusta mala in nullo loco amplius in toto regno nostro consentire audeamus, quanto minus inter eos quos castitatis et sanctimoniae emendatioris esse cupimus. Certe amplius quid tale ad aures nostras pervenerit, non solum in eos, sed etiam et in caeteros qui talia consentiant, talem ultionem faciemus, ut nullus Christianus qui hoc audierit, nullatenus tale quid perpetrare amplius praesumpserit.

Ut Monasteria puellarum firmiter observata sint.

XVIII. Monasteria puellarum firmiter observata sint, et nequaquam vagare sinantur, sed cum omni diligentia conserventur, neque litigationes, vel contentiones inter se movere praesumant, neque in nullo Magistris et Abbatissis inobedientes vel contrariae fieri audeant. Ubi autem regulares sunt, omnino secundum regulam observent. Non fornicationi deditae, non ebrietati, non cupiditati servientes, sed omnimodis iuste et sobrie vivant. Et ut in claustra vel monasterium earum vir nullus intret, nisi ad Missam tantum, et statim exeat. Et ut nemo alterius filiam suam in congregationem Sanctimonialium recipiat absque notitia vel consideratione Episcopi ad cuius dioecesim pertinet locus ille; et ut ipse diligenter exquirat qualiter in Sancto Dei servitio permanere cupiat, et stabilitatem suam ibidem firmare vel professionem. Ancillae autem aliorum hominum, vel tales feminae quae secundum morem conversationis in sancta Congregatione vivere nolunt, omnes pleniter de Congregatione eiiciantur.

Ut Episcopi et alii Clerici canes ad venandum aut acceptores non habeant.

XIX. Ut Episcopi, Abbates, Presbyteri, Diaconi, nullusque ex omni Clero, canes ad venandum, aut acceptores, falcones, seu sparvarios habere praesumant; sed pleniter se unusquisque in ordine suo canonice vel regulariter custodiant. Qui autem praesumpserit, sciat unusquisque honorem suum perdere. Caeteri vero tale exinde damnum patiantur, ut reliqui metum habeant tale sibi usurpare.

Ut Abbatissae et Sanctimoniales intra claustra sua maneant, nec egrediantur absque licentia et consilio Episcopi.

XX. Ut Abbatissae una cum Sanctimonialibus suis unanimiter ac diligenter infra claustra se custodiant, et nullatenus foris claustra ire praesumant. Sed Abbatissae cum*** propter aliquas de Sanctimonialibus dirigere, hoc nequaquam absque licentia et consilio Episcopi sic faciant. Similiter et cum ordinationem aliquam in Monasteriis agere debeant, vel aliquas in Monasteriis receptiones facere, et hoc cum Episcopis suis pleniter antea retractent; et quod salubrius vel utilius fieri disponat, Episcopi Archiepiscopo annuntient, et cum eius consilio quae agenda sunt perficiantur.

Ut Presbyteri Comitum Episcopis suis subiecti sint.

XXI. Ut Presbyteros ac caeteros Canonicos quos Comites suis in ministeriis habent, omnino eos Episcopis suis subiectos exhibeant, ut canonica institutio iubet; et de his Episcopis suis pleniter sub sancta disciplina eos erudire sint consentientes, sicut nostram gratiam vel suos honores habere desiderant.

Ut canonici pleniter vitam canonicam observent.

XXII. Canonici autem pleniter vitam observent canonicam, et in domo episcopali vel etiam in Monasterio, cum omni diligentia, secundum canonicam disciplinam erudiantur. Nequaquam foris vagari sinantur, sed sub omni custodia vivant, non turpis lucri dediti, non fornicarii, non fures, non homicidae, non raptores, non litigiosi, non iracundi, non elati, non ebriosi, sed casti corde et corpore, humiles, modesti, sobrii, mansueti, pacifici, ut filii Dei digni sint ad sacros Ordines promoveri. Non per vicos neque per villas ad Ecclesiam vicini vel terminantes sine Magisterio vel disciplina, qui Sarabaïti dicuntur, luxuriando vel fornicando, vel etiam caetera iniqua operando quae consentiri absurdum est.

Qualis debeat esse conversatio Clericorum qui cum Presbyteris degunt.

XXIII. Presbyteri Clericos quos secum habent, sollicite praevideant ut canonice vivant, non inanis lusibus, vel conviviis saecularibus, vel canticis vel luxuriosis usum habeant; sed caste et sobrie vivant.

Ne Presbyter aut Diaconus mulieres in domo sua habeat.

XXIV. Si quis autem Presbyter sive Diaconus post hoc in domo sua secum mulieres, extra canonicam licentiam, habere praesumpserit, honorem simul et hereditatem privet utriusque ad nostram praesentiam.

Ut Comites et Centenarii iustitias faciant.

XXV. Ut Comites et Centenarii omnes ad iustitiam faciendam compellant, et iuniores tales in ministeriis suis habeant in quibus securi confidant quia legem atque iustitiam fideliter observent, pauperes nequaquam oppriment, fures, latronesque, et homicidas, adulteros, maleficos, atque incantatores, vel auguriatrices, omnesque sacrilegos nulla adulatione vel praemio nulloque sub tegimine celare audeant, sed magis prodere, ut emendentur et castigentur secundum legem, ut Deo largiente omnia haec mala a Christiano populo auferantur.

Ut Iudices iudicent secundum legem.

XXVI. Ut Iudices secundum scriptam legem iuste iudicent, non secundum arbitrium suum.

De hospitalitate.

XXVII. Praecipimusque ut in omni regno nostro, neque dives neque pauper, peregrinis hospitia denegare audeant, id est, sive peregrinis propter Deum ambulantibus per terram, sive cuilibet iteranti propter amorem Dei et propter salutem animae suae, tectum et focum et aquam nemo illi deneget. Si autem amplius eis aliquis boni facere voluerit, a Deo sibi sciant retributionem optimam, ut ipse dixit: *Qui autem susceperit unum parvulum propter me, me suscipit.* Et alibi: *Hospes fui, et suscepistis me.*

Quam providentiam Comites et Centenarii habere debeant erga Missos dominicos.

XXVIII. De legationibus a Domno Imperatore venientibus Missis directis, ut Comites et Centenarii praevideant omni solli-

citudine, sicut gratiam Domni Imperatoris cupiunt, ut absque ullum ort eant per ministeria eorum, omnibusque omnino praecipiant qui hoc debiti sunt, praevidere ut nullam moram nusquam patiantur, sed cum omni festinatione eos faciant ire viam suam, et taliter providentiam suam habeant ut Missi nostri disponant.

De pauperibus non opprimendis.

XXIX. De pauperibus vero qui in sua eleemosyna Domnus Imperator concedit qui pro banno suo solvere debent, ut eos Iudices, Comites, vel Missi nostri pro concesso non habeant constringere pro arte sua.

De his qui ad Imperatorem confugiunt.

XXX. De his quos vult Domnus Imperator, Christo propitio, ut pacem ac defensionem habeant in regno suo, id sunt, qui ad suam clementiam festinant aliquid nuntiare cupientes, sive ex Christianis, sive ex paganis, aut propter inopiam vel propter famem suffragantiam quaerunt, ut nullus eos sibi servitio constringere vel usurpare audeat, neque alienare, neque vendere; sed ubi sponte manere voluerint, sub defensione Domni Imperatoris ibi habeant suffragia in sua eleemosyna. Si quis hoc transgredere praesumpserit, sciat se exinde damnum pati vitam praesumptiosus dispositum iussa Domnum Imperator.

De his qui ad iustitiam Domni Imperatoris annuntiant.

XXXI. Ut his qui iustitiam Domni Imperatoris annuntiant, nihil laesionis vel iniuriae quis machinare praesumat, neque aliquid inimicitiae contra eos movere. Qui autem praesumpserit, bannum dominicum solvat. Vel si maioris debiti reus sit, ad suam praesentiam perduci iussum est.

De homicidiis cavendis, de compositione occisorum, et de poenitentia homicidarum.

XXXII. Homicidia, pro quibus multitudo perit populi Christiani, omni contestatione deserere ac vetare mandamus; quia ipse Dominus odia et inimicitias suis fidelibus contradixit, multo magis homicidia. Quomodo enim sibi Deum placatum fore confidit, qui filium suum proximum sibi occiderit? Qualiter vero Christum Dominum sibi propitium esse arbitretur, qui fratrem suum interfecerit? Magnum quoque et inhabitaculum periculum est cum Deo Patre, et Christo coeli et terrae dominatore, inimicitias hominum movere, quos aliquid tempus latitando effugere potest, sed tamen casu aliquando in manus inimicorum suorum

incidit; Deum autem ubi effugere valet cui omnia secreta manifesta sunt, qui temeritatem eius ira quis existimat de re. Quapropter ne populus nobis ad regendum commissus hoc malo pereat, hoc omni disciplina devitare praevidimus; quia nos nullo modo placatum vel propitium habebit, qui sibi Deum iratum non formidaverit: sed saevissima districtione vindicare volumus in eum qui malum homicidii ausus fuerit perpetrare. Tamen ne peccatum adcrescat, et inimicitia maxima inter Christianos non fiat, vel suadente diabolo homicidia contingant, statim reus ad suam emendationem recurrat, totaque celeritate perpetratum malum ad propinquos exstincti digna compositione emendet. Et hoc firmiter bannimus, ut parentes interfecti nequaquam inimicitiam super commissum malum adaugere audeant, neque pacem fieri petenti denegare, sed data fide paratam compositionem recipere, et pacem perpetuam reddere, verum autem nullam moram compositionis facere. Ubi autem hoc peccatorum merito contigerit ut quis vel fratres vel propinquum suum occiderit, statim se ad poenitentiam sibi compositam sumpit, et ita ut Episcopus eius sibi disponat absque ulla ambiguitate, sed iuvante Domino perficere suum remedium studeat, et componat occisum secundum legem, et cum propinquis suis se omnino complaceat, et data fide nullam inimicitiam exinde movere nemo audeat. Qui autem dignam emendationem facere contempserit, hereditate privetur usque ad iudicium nostrum.

De incestis puniendis; et de Friccone qui incestum in Sanctimoniali perpetravit.

XXXIII. Incestuosum scelus omnino prohibemus. Si quis autem nefanda fornicatione contaminatus fuerit, nullatenus sine districtione gravi relaxetur: sed taliter ex hoc corripiatur, ut caeteri metum habeant talia perpetrandi, ut auferatur penitus immunditia a populo Christiano, et ut reus ex hoc per poenitentia amittat pleniter sicut ei ab Episcopo suo disponatur, et eadem femina in manus parentum sit constituta usque ad iudicium nostrum. Si autem iudicium Episcopi ad suam emendationem consentire noluerit, tunc ad nostram praesentiam perducatur, memores exempli quod de incesto factum est quod Fricco perpetravit in Sanctimoniali Dei.

Ut omnes parati sint quandocunque Domnus Imperator iusserit.

XXXIV. Ut omnes pleniter bene parati sint quandocunque iussio nostra vel annuntiatio advenerit. Si quis autem tunc se

imparatum esse dixerit et praeterierit mandatum, ad palatium perducatur; et non solum ille, sed etiam omnes qui bannum vel praeceptum nostrum transgredere praesumunt.

De honore Episcoporum et Presbyterorum. Et de nuptiis illicitis.

XXXV. Ut omnes omnino Episcopos et Presbyteros suos omni honore venerentur in servitio et voluntate Dei; et ne incestis nuptiis et se ipsos et caeteros maculare audeant, coniunctiones facere non praesumant antequam Episcopi Presbyteri cum senioribus populi consanguinitatem coniungentium diligenter exquirant; et tunc cum benedictione iungantur. Ebrietatem devitent, rapacitatem fugiant, furtum non faciant; lites et contentiones atque blasphemia, sive in conviviis sive in complacito, omnino devitentur, sed cum caritate et concordia vivant.

Ut omnes Missis dominicis consentientes sint ad iustitias faciendas. Et de periurio cavendo.

XXXVI. Et ut omnes omnino ad omnem iustitiam exsequendam Missis nostris sint consentientes; et usum periurii omnino non permittant, quia hoc pessimum scelus Christiano populo auferri necesse est. Si quis autem post hoc in periurio probatus fuerit, manum dextera semper deresciat; tamen hereditate propria priventur usque ad nostrum iudicium.

De patricidis et fratricidis, et de eorum poenitentia.

XXXVII. Ut hi qui patricidia vel fratricidia fecerint, avunculum, patruum, vel aliquem ex propinquis occiderint, et iudicium Episcoporum, Presbyterorum, caeterorumque Iudicum obedire et consentire noluerint, quod ad salutem animae suae iustumque iudicium solvendum Missi nostri et Comites in Italia custodia coartent ut salvi sint, nec caeterum populum coinquinent, usque dum in nostra praesentia perducantur, et de res proprias suas interim nihil habeant.

De illicitis et incestis coniunctionibus.

XXXVIII. Similiter et his fiat qui inlicitis et incestis coniunctionibus reprehensi sunt correpti, et nec se emendare volunt, neque Episcopis neque Presbyteris suis obtemperare et bannum nostrum praesumunt contemnere.

Ut nemo feramina furetur in forestibus dominicis.

XXXIX. Ut in forestes nostras feramina nostra nemo furari audeat, quod iam multis vicibus fieri contradiximus, et nunc

iterum bannimus firmiter ut nemo amplius faciat, sicut fidelitatem nobis promissam unusquisque conservare cupiat, ita sibi caveat. Si quis autem Comes vel Centenarius, aut Vassus noster, aut aliquis de Ministerialibus nostris feramina nostra furaverit, omnino ad nostram praesentiam perducantur ad rationem. Caeteris autem vulgis, qui ipsum furtum de feraminibus fecerit, omnino quod iustum est componat, nullatenusque eis exinde aliquid relaxetur. Si quis autem hoc scierit alicui perpetratum, in eis fidelitate conservata quam nobis promiserunt et nunc promittere habent, nullus hoc celare audeat.

Capitula ad omnes generaliter.

XL. Novissime igitur ex omnibus decretis nostris nosse cupimus in universo regno nostro Missos nostros nunc directos, sive inter ecclesiasticos viros, Episcopos, Abbates, Presbyteros, Diaconos, Canonicos, omnes Monachos, sive Sanctimoniales, qualiter unusquisque in suo ministerio vel professione nostra bannum vel decretum habeat conservatum, vel ubi civibus ex his dignum sit ex bona voluntate sua gratias agere, vel adiutoria impendere vel ubi aliquid adhuc sit necessitatis emendare. Simili autem Laïcos, et in omnibus ubicunque locis. Si de mundeburde sanctarum Ecclesiarum, vel etiam viduarum et orphanorum, seu minimum potentium atque rapina, necnon de exercitali placito instituto, et super ipsis causis, qualiter praecepto vel voluntati nostrae sint obedientes, vel etiam qualiter bannum nostrum habeant conservatum, qualiterque super omnia unusquisque certamen habeat in sancto servitio se ipsum custodire. Et si haec omnia bona et bene sunt ad Dei Omnipotentis laudem, ei gratias referamus, ut dignum est. Ubi autem aliquid malum esse credimus, sic ad emendandum omni studio et voluntate certamen habeamus, ut cum Dei adiutorio hoc ad emendationem perducamus, et ad nostram aeternam mercedem et omnium fidelium nostrorum. Similiter et de Comitibus vel Centenariis misterialibus nostris, inter nos omnia supradicta nosse cupimus feliciter.

Admonitio de symbolo fidei.

XLI. Audite, fratres dilectissimi, pro salute vestra hunc Missum et ammoneamus vos quomodo secundum Deum iuste et bene vivatis, et hoc secundum cum iustitia et cum misericordia conversemur. Ammonemus vos imprimis ut credatis unum Deum Patrem omnipotentem, et Filium, et Spiritum Sanctum. Hic est

unus Deus et verus, perfecta Trinitas, et vera Unitas. Deus, creator omnium bonorum nostrorum. Credite Filium Dei pro salute mundi hominem factum, natum de Spiritu Sancto et Virgine Maria. Credite quod pro nostra salute mortem passus est, et tertia die surrexit a mortuis, ascendit in coelos, sedet ad dextram Dei. Credite eum venturum ad iudicandos vivos et mortuos, et tunc reddet unicuique secundum opera sua. Credite unam Ecclesiam, id est, congregationem bonorum hominum per totum orbem terrae. Et scitote quia illi soli salvi esse poterunt, et illi soli ad regnum Dei pertinent, qui in istius Ecclesiae sedis et communione et caritate perseverant.

LXIII.

Capitulare secundum anni DCCCII

sive alia capitula data Missis Dominicis, eodem anno [1]).

I. De fidelitate, iusiurandum ut omnes repromittant.

II. De Episcopis et reliquis Sacerdotibus, si secundum canonicam institutionem vivant, et si canones bene intelligant et adimpleant.

III. De Abbatibus, utrum secundum regulam an canonice vivant, et si regulam aut canones bene intelligant.

IV. De monasteriis virorum ubi Monachi sunt, si secundum regulam vivant, ubi promissa est.

V. De monasteriis puellarum, utrum secundum regulam an canonice vivant, et de claustris earum.

VI. De legibus mundanis.

VII. De periuriis.

VIII. De homicidiis.

IX. De adulteriis et inlicitis causis perpetratis, tam per episcopia et monasteria virorum et puellarum, quamque inter seculares homines.

X. De illis hominibus qui nostra beneficia habent destructa et alodes eorum restauratos. Similiter et de rebus Ecclesiarum.

XI. De illis Saxonibus qui beneficia nostra in Francia habent, quomodo aut qualiter habeant contradicta.

---

[1]) *Walter*, II, p. 169—171.

XII. De oppressione liberorum hominum pauperum qui in exercitu ire debent, et a Iudicibus sunt oppressi.

XIII. Ut omnes praeparati sint bene, quandocunque nostra iussio venerit.

XIV. De navigiis praeparandis circa litora maris.

XV. De liberis hominibus qui circa maritima loca habitant, si nuntius venerit ut ad succurrendum debeant venire, et hoc neglexerint, unusquisque solidos viginti componat, medietatem in dominico, medietatem ad populum. Si ictus fuerit, solidos quindecim componat ad populum, et fredo dominico.

XVI. De legationibus ad nos venientibus, et de Missis a nobis directis.

XVII. De his quos volumus ut pacem habeant et defensionem per regna, Christo propitio, nostra.

XVIII. De illis hominibus qui iustitiam nostram adnuntiantes occisi sunt.

XIX. De decimis et nonis atque iustitia Ecclesiarum Dei, ut omnes dare et emendare studeant.

XX. De banno Domni Imperatoris Karoli, quod per semetipsum consuetus est bannire, id est, de mundeburdo Ecclesiarum, et viduarum et orphanorum, et minus potentium, atque de rapto, et de exercitali placito instituto, ut hi, qui ista inruperint, bannum dominicum omnimodis componant.

XXI. Ut omnes habeant bonos Vicedominos et Advocatos.

XXII. Ut diligenter inquirant inter Episcopos, Abbates sive Comites, vel Abbatissas, atque Vassos nostros, qualem concordiam et amicitiam ad invicem habeant per singula ministeria, aut aliqua discordia inter ipsos esse videtur, et omnem veritatem in eorum sacramento nobis exinde renuntiare non neglegant.

XXIII. De omni re insuper totum undecunque necesse fuerit, tam de iustitiis nostris, quamque de iustitiis Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, pupillorum, et caeterorum hominum, inquirant et perficiant. Et quodcunque ad emendandum invenerint, emendare studeant in quantum melius potuerint. Et quod per se emendare non potuerint, in praesentiam nostram adduci faciant.

De locis ubi Missi esse debent.

In primis de Aurelianense civitate ad Segonnam[1]) quomodo rectum est, deinde ad Trecas[2]) cum Tricassino toto, inde ad

[1]) Saone. — [2]) Troyes.

Lingonis [1]), de Lingonis ad Bissancion [2]) in villam partis Burgundiae, inde vero ad Augustidunum [3]), postea ad Ligerem usque ad Aurelianis, sunt Missi Magnus Archiepiscopus et Godefridus Comes.

In Parisiaco, Melciano [4]), Melidunensi [5]), Provinensi [6]), Stampinsi [7]), Carnotinsi [8]), Pinciacinsi [9]), Fardulfus et Stephanus. In Cenomanico [10]), Hoxonensi [11]), Livino [12]), Baiocassino [13]), Constantino [14]), Abrincatino [15]), Ebrecino [16]), et Madricinsi [17]), et de illa parte Sequanae, Rodomensi [18]), Magenardus Episcopus et Madelgaudus.

Sacramentale promissionis factae Imperatori.

Sacramentale qualiter promitto ego quod ab isto die inantea fidelis sum Domno Karolo piissimo Imperatori, filio Pippini Regis et Berthanae Reginae, pura mente, absque fraude et malo ingenio de mea parte ad suam partem, et ad honorem regni sui, sicut per drictum debet esse homo domino suo.. Sic me adiuvet Deus et ista Sanctorum patrocinia quae in hoc loco sunt, quia diebus vitae meae per meam voluntatem, in quantum mihi Deus intellectum dederit, sic attendam et consentiam.

Item aliud.

Sacramentale qualiter repromitto ego Domno Karolo piissimo Imperatori, filio Pippini Regis et Berthanae, fidelis sum, sicut homo per drictum debet esse domino suo, ad suum regnum, et ad suum rectum. Et illud sacramentum quod iuratum habeo, custodiam et custodire volo, in quantum ego scio et intellego, ab isto die inantea. Sic me adiuvet Deus, qui coelum et terram creavit, et ista Sanctorum patrocinia.

XLIV.

Capitulare tertium anni DCCCX,

sive Capitula de instructione Missorum.

I. Ut tales Missi in legatione sua sicut decet esse ministros Imperatoris strenuos, et perficiant quod eis iniunctum fuerit.

---

1) Langres. — 2) Besançon. — 3) Autun. — 4) Le Mulcien. — 5) Le Melunois.
6) Pays de Provins. — 7) L'Étampois. — 8) Le pays Chartrain.
9) Le Pincerais (Poissiois). — 10) Le Maine. — 11) L'Hiesmois.
12) Le Lieuvin. — 13) Le Bessin. — 14) Le Coutantin.
15) L'Avranchin. — 16) Le pays d'Évreux. — 17) La Madrie.
18) Le pays de Rouen. — 19) *Walter*, II, p. 239 flgd.

Aut si non potuerint, Domno Imperatori notum faciant, quae difficultas eis resistat ne illud perficere possint.

II. Ut quicquid de eius iussione quilibet praecipere et commendare debent, potestative annuntient atque praecipiant. Et non sibi faciant socios inferioris ordinis homines, qui semper inde retro res qualescunque tractare volunt; sed illos sibi socient qui ad effectum unamquemque rem deduci cupiunt.

III. Quando iustitiam pauperibus facere iusserint, semel aut bis praecipiant ut iustitia facta fiat. Tertia vice, si nondum factum est, ipsi pergant ad locum et ad hominem qui iustitiam facere noluit, et cum virtute tollant, ab eo quod iniuste alteri tulit, et reddant illi cuius per iustitiam esse debuit.

IV. Ut qui bannum Domni Imperatoris vel freda dare debet, accipiatur illa solutio, et ad eum inferatur, ut ipse tamen det cuicunque ei placuerit.

V. Quicunque [1]) illis iustitiam facere volentibus resistere conatus fuerit, Domno Imperatori annuntient. Similiter quicunque contra iustitiam alterum in placito defendere voluerit, legitimam poenam incurrat, cuiuslibet homo sit, sive Domni Imperatoris, sive cuiuslibet filiorum et filiarum, vel caeterorum potentium hominum.

XLV.

Tractatoria Legatariorum [2])

vel minima facienda istius instar.

Ille Rex omnibus agentibus. Dum et nos in Dei nomine apostolico viro illo necnon et inlustre viro illo partibus illis legationis causa direximus, ideo iubemus ut locis convenientibus eisdem a vobis evectio simul et humanitas ministretur, hoc est veredos sive paraveredos tantos, pane nitido modios tantos, vino modios tantos, cervisa modios tantos, lardo libras tantas, carne libras tantas, porcos tantos, porcellos tantos, vervices tantos, agnellos tantos, aucas tantas, fasianos tantos, pullos tantos, ova tanta, oleo libras tantas, garo libras tantas, melle tantas, aceto tantas, cymino libras tantas, pipere tantas, costo tantas, gariofile tantas, spico tantas, cinamo tantas, granomastice libras tantas, dactylas tantas, pistacias tantas, amandola tantas, cereos librales

---

1) I. e. *Si quis*. — 2) *Form. Marculfi* I, 11. *Walter* III, p. 295.

tantos, caseo libras tantos, salis tantas, olera, legumina, ligna, carra tanta, faculas tantas, itemque victum ad caballos eorum, foeno carra tanta, suffuso modios tantos. Haec omnia diebus singulis tam ad ambulandum quam ad nos in Dei nomine revertendo unusquisque vestrum per loca consuetudinaria eisdem ministrare et adimplere procuretis; qualiter nec moram habeant, nec iniuriam perferant, si gratiam nostram optatis habere.

XLVI.

Ueber Hildegard, die Gemahlin Karl's [1]).

Paul. Warnefridi Gest. Episcop. Mettens., ap. Pertz, II, p. 265—267.

[Pippini] filius magnus rex Karolus exstitit, qui Francorum regnum, sicut nunquam antea fuerat, dilatavit. Denique inter plura et miranda quae gessit, Langobardorum gentem bis iam a patre devictam, altero eorum rege cui Desiderius nomen erat capto, alteroque, qui dicebatur Adelgisus et cum genitore regnantem [2]) suo, Constantinopolim pulso, universam sine gravi proelio suae subdidit ditioni, et, quod raro fieri adsolet, clementi moderatione victoriam temperavit. Romanos praeterea, ipsamque urbem Romuleam, iampridem eius praesentiam desiderantem, quae aliquando mundi totius domina fuerat, et tunc a Langobardis depressa gemebat, duris angustiis eximens, suis addidit sceptris; cunctaque nihilominus Italia miti dominatione potitus est. De quo viro nescias, utrum virtutem in eo bellicam, an sapientiae claritatem omniumque liberalium artium magis admireris peritiam.

Hic ex Hildegard coniuge quatuor filios et quinque filias procreavit. Habuit tamen, ante legale connubium, ex Himiltrude nobili puella filium nomine Pippinum. Natorum sane eius quos ei Hildegard peperit, ista sunt nomina: primus dictus est Karolus, scilicet patris ac proavi vocabulo nuncupatus; secundus item Pippinus, fratri atque avo aequivocus; tertius Lodobich, qui cum Hlothario, qui biennis occubuit, uno partu est genitus; ex quibus iam Deo favente minor Pippinus regnum Italiae, Lodobich Aquitaniae tenent.

---

[1]) Zu Kap. XVIII. Vergl. über diese Stelle auch *Alcuini Opp. ed. Froben*, Vol. II, P. 2, p. 553 f.

[2]) *regnabat*.

Mortua autem Hildegard, rex excellentissimus Karolus Fastradam duxit uxorem. Quae Hildegard apud urbem Mettensem in beati Arnulfi oratorio requiescit. Pro eo denique, quod a beato Arnulfo iamfati reges originem ducerent, suorum ibi carorum defuncta corpora posuere. Nam ibi humatae sunt duae regis Pippini [1]) filiae, quarum una Rodthaid, altera Adelaid appellata est; ibi quoque et iunioris regis Karoli duae nihilominus tumulatae sunt natae, scilicet Adelaid et Hildigard; quae Hildigard materno nuncupata nomine, matrem morientem citius subsecuta est. Quarum omnium epitaphia a nobis iussu gloriosi regis Caroli composita, ut de eis liquido lectori satisfieret, subter annotare curavi.

Epitaphium Rothaidis, filiae Pippini regis.

Hic ego, quae iaceo Rothaid de nomine dicor,
Quae genus excelso nimium de germine duco;
Nam mihi germanus gentes qui subdidit armis
Ausonias, fretus Karolus virtute Tonantis;
Pippinus pater est, Karolo de principe cretus,
Aggarenum stravit magna qui caede tyrannum.
Pippinus proavus, quo non audacior ullus;
Ast abavus Anschise potens, qui ducit ab illo
Troiano Anschisa longo post tempore nomen.
Hunc genuit pater iste sacer praesulque beatus
Arnulfus, miris gestis qui fulget ubique,
Hic me spe cuius freti posuere parentes.

Epitaphium Adheleidis, filiae cuius supra.

Perpetualis amor capiendae et causa salutis,
Pectore quem vigili huc properare facit,
Nosse cupis cur busta sacer numerosa retentet
Hic locus, astrigeri qua patet aula poli?
Iste sacer Domini qui post servavit ovile,
Legitimi fuerat germinis ante pater;
Cuius posteritas atavo confisa patrono,
Hoc cupit in sancto ponere membra loco.
Pippini hic proles Adheleid pia virgo quiescit,
Quam simul et reliquas sancte tuere pater.

---

1) Des *Kurzen*. Es erhellt hieraus, dass Karl der Gr. mehrere Schwestern, als die von Einhard als die einzige erwähnte Gisla gehabt hat.

193

Epitaphium Hildegardis reginae.

Aurea quae fulvis rutilant elementa figuris,
Quam clara exstiterint membra sepulta, docent.
Hic regina iacet regi praecelsa potenti
Hildegard Karolo quae bene nupta fuit.
Quae tantum clarae transcendit stirpis alumnos,
Quantum, quo genita est, Indica gemma solum.
Huic tam clara fuit florentis gratia formae,
Qua nec in occiduo pulchrior ulla foret.
Cuius haud tenerum possent aequare decorem
Sardonyx Pario, lilia mixta rosis.
Attamen hanc speciem superabant lumina cordis,
Simplicitasque animae, interiorque decor.
Tu mitis, sapiens, sollers, iucunda fuisti,
Dapsilis et cunctis condecorata bonis.
Sed quid plura feram, cum non sit grandior ulla
Laus tibi, quam tanto complacuisse viro!
Cumque vir armipotens sceptis iunxisset avitis
Cygniferumque Padum Romuleumque Tybrim,
Tu sola inventa es, fueris quae digna tenere
Multiplicis regni aurea sceptra manu.
Alter ab undecimo [1]) iam te susceperat annus,
Cum vos mellifluus consociavit amor;
Alter ab undecimo rursum te sustulit annus,
Heu genitrix regum, heu decus atque dolor!
Te Francus, Suevus, Germanus et ipse Britannus,
Cumque Getis duris plangit Hibera cohors;
Accola te Ligeris, te deflet et Itala tellus,
Ipsaque morte tua anxia Roma gemit.
Movisti ad fletus et fortia corda virorum,
Et lacrimae clypeos inter et arma cadunt.
Heu quantis sapiens et firmum robore semper
Ussisti flammas pectus herile viri!
Solatur cunctos spes haec sed certa dolentes,
Pro dignis factis quod sacra regna tenes.
Jesum nunc precibus, Arnulfe, exores eorum
Participem fieri hanc, pater alme, tuis.

---

1) Vergl. *Mabillon*, *Annal. Benedict.* lib. XXV. Tom. II, p. 265.

Epitaphium Adhelaidis filiae Karoli regis quae in Italia nata est, quando sibi eam ipse subegit.

Hoc tumulata iacet pusilla puellula busto,
  Adhelaid amne sacro quae vocitata fuit.
Huic sator est Karolus, gemino diademate pollens,
  Nobilis ingenio, fortis ad arma satis.
Sumserat haec ortum prope moenia celsa Papiae,
  Cum caperet genitor Itala regna potens;
Sed Rhodanum properans rapta est de limine vitae,
  Ictaque sunt matris corda dolore procul.
Excessit patrios non conspectura triumphos:
  Nunc patris aeterni regna beata tenet.

Epitaphium Hildegardis filiae cuius supra.

Hildegard, rapuit subito te funus acerbum,
  Ceu raptat Boreas vere ligustra novo.
Explevit necdum vitae tibi circulus annum,
  Annua nec venit lux geminata tibi.
Parvula non parcum linquis virguncula luctum,
  Confodiens iaculo regia corda patris.
Matris habens nomen renovas de morte dolorem,
  Postquam vixisti vix quadraginta dies.
Pectore nos maesto lacrimarum fundimus amnes,
  Tu nimium felix gaudia longa petis.

LXVII.

Fragmentum
Carminis Theodulfi Episcopi Aurelianensis
ad Carolum Regem [1]).

Circumdet pulchrum proles carissima Regem;
  Omnibus emineat, Sol ut in arce solet.
Hinc adstent pueri, circumstent inde puellae;
  Vinea laetificet sicque novella patrem.
Stent Karolus Hludowichque simul, quorum unus ephebus,
  Iam vehit alterius os iuvenile decus:

---

1) *Carm.* III, 1. *Opp. varia Sirmondi*, vol. 2. *Bouquet*, V, p. 417 folgd. Vergl. den Kommentar zu Kap. XVIII.

Corpore praevalido quibus est nervosa iuventas,
Corque capax studii, consiliique tenax.
Mente vigent, virtute cluunt, pietate redundant
Gentis uterque decor, dulcis uterque patri.
Et nunc ardentes acies Rex flectat ad illos [1]),
Nunc ad virgineum flectat utrimque chorum;
Virgineum ad coetum, quo non est pulchrior alter
Veste, habitu, specie, corpore, corde, fide:
Scilicet ad Bertram et Rotdrud, ubi sit quoque Gisla,
Pulchrarum una soror sit minor, ordo trium.
Est sociata quibus Leutgardis pulchra virago,
Quae micat ingenio cum pietatis ope.
Pulchra satis cultu, sed digno pulchrior actu,
Cum populo et Ducibus omnibus una favet.
Larga manu, clemens animo, blandissima verbis,
Prodesse et cunctis, nemini obesse parat:
Quae bene discendi studiis studiosa laborat,
Ingenuasque artes mentis in arce locat.
Prompta sit obsequio soboles gratissima Regis,
Utque magis placeat, certat amore pio.
Pallia dupla celer, manuum seu tegmina blanda,
Suscipiat Carolus, et gladium Hludowich.
Quo residente, suum grata inter basia munus
Dent natae egregiae, det quoque carus amor.
Berta rosas, Chrodtrudh violas, et lilia Gisla,
Nectaris ambrosii praemia quaeque ferat.
Rothaid poma, Hiltrud Cererem, Thedrada Lyaeum,
Quîs varia species, sed decor unus inest.
Ista nitet gemmis, auro illa splendet et ostro,
Haec gemma viridi praenitet, illa rubra.
Fibula componit hanc, illam limbus adornat;
Armillae hanc ornant, hancque monile decet.
Huic ferruginea est, apta huic quoque lutea vestis;
Lacteolum strophium haec vehit, illa rubrum.
Dulcibus haec verbis faveat Regi, altera risu,
Ista patrem gressu mulceat, illa ioco.
Quod si forte soror fuerit sanctissima Regis,
Oscula det fratri dulcia, frater ei.

---

1) Pippin ist hier wohl deshalb nicht erwähnt, weil er sich in Italien befand. Auch Angilbert, der an seinem Hofe *Primicerius palatii* war, wird im weiteren Verlauf des Gedichtes als abwesend besonders aufgeführt.

Talia sic placido moderetur gaudia vultu,
Ut Sponsi aeterni gaudia mente gerat.
Et bene scripturae pandi sibi compita poscat:
Rex illam doceat, quem Deus ipse docet.
Adveniant Proceres etc. etc.

LXVIII.

Die Verschwörung des Pippin

nach dem Berichte des Mönchs von St. Gallen[1]).

Extraneorum victor Karolus a propriis est mira quidem sed cassa fraude circumventus. Nam de Sclavis ad Reginam regressus, a filio per concubinam progenito, nomine gloriosissimi Pippini a matre ominaliter insignito, pene captus, et quantum in eo fuit, est morti damnatus. Quod hoc modo compertum est. Cum in ecclesia sancti Petri proceribus congregatis, de morte imperatoris consiliatus fuisset, finito consilio, omnia tuta timens, iussit explorare, si quis usquam in angulis aut subter altaribus fuisset absconsus; et ecce, ut timuerunt, invenerunt unum clericum subtus altare celatum. Quem apprehendentes, ad iusiurandum compulerunt, ne proditor molitionis eorum fieret. Qui, ne vitam perderet, ut dictaverunt, iurare non abnuit. Sed illis recedentibus, iuramentum illud sacrilegum parvi pendens, ad palatium properavit. Cumque cum maxima difficultate per septem seras et ostia tandem ad cubiculum imperatoris penetrasset, pulsato aditu, vigilantissimum semper Karolum ad maximam perduxit admirationem, quis eo tempore eum praesumeret inquietare. Praecepit tamen feminas, quae ad obsequium reginae vel filiarum eum comitari solebant, ut exirent videre, quis esset ad ianuam vel quid inquireret. Quae exeuntes cognoscentesque personam vilissimam, obseratis ostiis cum ingenti risu et cachinno se per angulos vestibus ora repressae conabantur abscondere. Sed sagacissimus imperator, quem nihil sub coelo posset effugere, diligenter a mulieribus exquisivit, quid haberent, vel quis ostium pulsaret. Responsumque accipiens, quia quidam coctio[2]) derasus, insulsus et insaniens, linea tantum et femoralibus indutus se absque mora postularet alloqui, iussit eum intromit-

---

[1]) II, 12, p. 754 folgd. *Pertz.* — [2]) *Coquin.*

tere. Qui statim corruens ad pedes illius, cuncta patefecit ex ordine. Nihil vero minus suspicantes, ante horam diei tertiam omnes illi coniuratores dignissima poena vel exiliis deportati sunt aut puniti. Ipse quoque nanus et gibberosus Pippinus immanissime caesus et detonsus, ad cellulam sancti Galli, quae cunctis locis imperii latissimi pauperior visa est et angustior, castigandi gratia ad tempus aliquantulum destinatus est. — — —[1]) Pippinum nothum praecepit eligere sibi, quomodo vitam degere voluisset. Qui optione concessa, optavit locum in quodam monasterio tunc nobilissimo, nunc autem, non incertum de qua causa, destructo[2]).

LXIX.

Die Verschwörung des Hardrad

nach den Annalen des Klosters des Heil. Nazarius[3]).

Thuringhi autem consilium fecerunt, ut Carolum regem Francorum dolo tenerent et occiderent; si ergo hoc scelum atque nefandissimum crimen perpetrare non valuissent, saltem hoc cupiebant constituere, ut non ei obedissent, neque obtemperassent iussis eius. Quod nequam consilium regi multa tempora latere nequaquam potuit. Ille enim, eo quod erat prudens ac mitis, valde patientissime hoc deportabat. Igitur transactis aliquis temporibus, transmisit iam praefatus rex legatum suum ad aliquem de illis Thuringhis propter filiam suam, sponsam scilicet unius Franci, quam secundum legem Francorum sponsatam habuisse cognoscebatur, ut tempore statuti ei reddedisset sponsam suam. Ille enim parvipendens iussa regis, non tantum spopondit se illam reddere, sed etiam insuper congregavit pěne universos Thuringos proximosque suos, et voluerunt se defendere de rege

---

1) Es folgt die Geschichte einer angeblichen späteren Verschwörung, die sich mit der Zeit nicht in Uebereinstimmung bringen lässt und deren sagenhafter Charakter (s. die Einleitung) nicht zu verkennen ist.

2) Das Kloster Prüm, welches im Jahre 882 von den Normannen zerstört wurde. S. *Chron Reginonis a.* 882, p. 592. *Pertz.* I.

3) *Annal. Nazariani, Cont. a.* 786 (785), *Pertz* I, p. 41 sq. [Das Kloster des H. Nazarius ist Lauresheim (s. *Mabillon*, *Annal. Bened.* XXIV, 6, Vol. II, p. 208). Der Name der Annalen beruht aber auf einer Verwechselung des *S. Nazarius* mit dem *S. Gawarius.* (Ann. a. 786). Sie sind im Kloster zu St. Goar geschrieben.

Francorum. Rex namque haec audiens iratus est valde, atque indignans hoc, missis ex satellitibus suis contra eos, qui sagaciter atque fiduciater contra eos perrexerunt, praedia possessionesque eorum devastantes. Thuringhi namque timore perterriti ad corpus beati Bonifacii martyris [1]) confugierunt, ut per merita venerationemque ipsius sancti rex relaxeretur illius noxam, dolum, insidiasque quae praeparare conati fuerant. Porro pater monasterii illius consolabatur eos verbis pacificis dulcisque sermonibus, per nuntiumque suum intimavit haec omnia regi. Rex ergo distinavit ad eos legatum suum, ut ad se cum pace venirent; qui mox ad eum profecti sunt, steteruntque coram rege. Rex nemphe sciscitabatur ab eis, si verum an falsum fuisset, quod ei intimatum fuerat de illis, scilicet ut de morte eius cogitarent, et si constituere nisi fuisseat, ut parvi pendissent mandata illius? Illi enim nullo modo poterant, neque condignaverunt hoc negare. Fertur namque, unum ex illis dixisse ad regem: *Si colligae sociique mei mihi consentire comprobarentur, tu numquam postmodum citra Renum fluvium transire vivus cognoscebaris.* Rex vero, quoniam erat mitissimus atque sapientissimus super omnes reges qui fuerunt ante eum in Francia, moderatissime illud deportavit. Transactis igitur quibusdam diebus, transmisit rex ipsos Thuringos una cum missis suis, aliquos in Italiam et ad sanctum Petrum, quosdam vero in Neustriam atque in Equitaniam per corpora sanctorum, scilicet ut iurarent fidelitatem regi liberisque eius: quod et ita actum esse conprobatur. Qui exinde revertentes nonnulli ex illis detenti sunt in via, et evulsi esse noscuntur oculi eorum; aliqui vero pervenerunt ad civitatem Wagionum [2]), et ibidem comprehensi sunt, et exinde exiliati, et illuc evulsi esse cognoscentur oculi eorum. Possessiones vero vel agros eorum omnes infiscati esse noscuntur. Rex ergo inlesus atque incolumis permanens, optime regens regnum Francorum atque Langobardorum Romanorumque, eo quod coelorum rex protector eius esse comprobatur: etiam prefatus rex ad Romam perrexit.

---

[1]) Fulda. — [2]) Worms.

LXX.

Constitutio

de emendatione librorum et officiorum ecclesiasticorum [1]).

Karolus, Dei fretus auxilio Rex Francorum et Langobardorum ac Patricius Romanorum, religiosis lectoribus nostrae ditioni subiectis. Cum nos divina semper domi forisque clementia, sive in bellorum eventibus, sive in pacis tranquillitate custodiat, etsi rependere quicquam eius beneficiis tenuitas humana non praevalet, quia est inaestimabilis misericordiae Deus noster, devotas suae servituti benigne approbat voluntates. Igitur quia curae nobis est ut nostrarum Ecclesiarum ad meliora semper proficiat status, obliteratam paene maiorum nostrorum desidia reparare vigilante studio literarum satagimus officinam, et ad pernoscenda studia liberalium artium nostro etiam quos possumus invitamus exemplo. Inter quae *iampridem universos veteris ac novi instrumenti libros, librariorum imperitia depravatos, Deo nos in omnibus adiuvante, examussim correximus.* Accensi praeterea memoriae venerandae Pippini genitoris nostri exemplis, qui totas Galliarum Ecclesias Romanae traditionis suo studio cantibus decoravit, nos nihilominus sollerti easdem curamus intuitu praecipuarum insignire serie lectionum. Denique quia ad nocturnale officium compilatas quorundam casso labore, licet recto intuitu, minus tamen idoneo, reperimus lectiones, quippe quae et sine auctorum suorum vocabulis essent positae, et infinitis vitiorum anfractibus scaterent, non sumus passi nostris in diebus in divinis lectionibus inter sacra officia inconsonantes perstrepere soloecismos, atque earundem lectionum in melius reformare tramitem mentem intendimus. Idque opus Paulo Diacono [2]), familiari clientulo nostro, elimandum iniunximus, scilicet ut studiose catholicorum Patrum dicta percurrens, veluti ex lectissimis eorum pratis certos quosque flosculos legeret, et in unum quaeque essent utilia quasi sertum aptaret. Qui nostrae Celsitudini devote parere desiderans, tractatus atque sermones diversorum catholicorum Patrum perlegens, et optima quaeque decerpens, in duobus voluminibus per totius anni circulum congruentes cuique festivitati distincte et absque vitiis nobis obtulit lectiones. Quarum textum nostra

---

[1]) *Walter*, II, p. 64. *Dippoldt*, S. 54 hält dies Aktenstück für unächt, aber ohne genügenden Grund.

[2]) Das *Homiliarium Pauli Diaconi* ist häufig gedruckt worden, z. B. Speier 1482. Basel 1516, fol.

sagacitate perpendentes, nostra eadem volumina auctoritate constabilimus, vestraeque religioni in Christi Ecclesiis tradimus ad legendum.

LXXI.

Epistola Caroli M.

ad Garibaldum Leodiensem Episcopum de cura quam instruendis populis praecipue ante baptismum adhibere debent Pastores [1]).

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Carolus serenissimus Augustus a Deo coronatus, magnus, pacificus, Imperator Romanorum gubernans Imperium, qui et per misericordiam Dei Rex Francorum et Langobardorum, Garibaldo Episcopo in Domino salutem. Bene igitur recordari credimus Sanctitatem tuam qualiter saepius in Conventu et Concilio nostro monuimus de praedicatione in sancta Dei Ecclesia, ut unusquisque vestrum secundum sanctorum Canonum auctoritatem et praedicare et docere deberet. Primo omnium de fide Catholica; ut et qui amplius capere non valuisset, tantummodo Orationem Dominicam et Symbolum Fidei Catholicae, sicut Apostoli docuerunt, tenere et memoriter recitare potuisset; et ut nullus de sacro fonte baptismatis aliquem suscipere praesumeret antequam in vestri aut ministrorum vestrorum sacri Ordinis praesentia Orationem Dominicam et Symbolum recitaret, et sicut in proximo comperimus in die Apparitionis Domini multi fuerunt apud nos inventi, qui volebant suscipere infantes de sacro fonte baptismatis, quos iussimus singulariter et diligenter examinare, et requirere si Orationem Dominicam et Symbolum, ut supra diximus, scirent et recitare potuissent, neque aliquem de sacro fonte baptismatis suscipere praesumerent. Et valde erubescentes fuerunt ex hac re, et spondere volebant ut, si concessum eis fuisset, ad tempus hoc improperium a se potuissent auferre. In quo loco intelleximus quod non eis fuit convenientia, et sicut in Capitulari nostro potestis reperire discretionem factam habuimus, quanto tempore se unusquisque abstinere debuisset ab hoc opere, usque dum bonus fideiussor esse valeret in hoc negotio scilicet, aut certe statim alium inveniret scientem, aut si infirmitas non im-

---

1) *Bouquet*, V, p. 630. *Martene*, *Ampliss. Collect.* VII, p. 19.

pediret, exspectaret de Pascha usque in Pentecosten, donec ipse disceret ea, quae supra dicta sunt. Nunc autem denuo monemus ut memores sitis, sicut condecet, de ministerio Sacerdotali, et Conventum habeatis cum vestris Sacerdotibus: et diligenter omnem rei veritatem requirite et examinate; ita ut opus Domini non praetereat, nec aliqua requisitio vobis exinde fiat ante conspectum Sanctae Maiestatis.

LXXII.

Epistola Caroli Magni

ad quosdam Episcopos de septiformis Spiritus gratia [1]).

Karolus divina misericordia Rex Francorum et Langobardorum ac Patricius Romanorum Hiltibaldo [2]), *Maginharto* [3]), *Agino* [4]), *Gerhoho* [5]), *Hartricho* [6]), *sanctis Episcopis.* Gratias agimus Sanctitati vestrae quia ad familiariter a nobis interrogata familiare nobis responsum dare voluistis; et quae caritatis instinctu vestrae Dilectioni fuere proposita, eadem dictante caritate, iuxta quod vobis visum est, sunt nobis absque retractatione soluta. Sed ipsius, quae a vestra Sanctitate nobis data est, responsionis ordo videndus, et apud vestram Dilectionem intimi in ea sensus medulla perquirenda, ut et qualitas nostrae interrogationis appareat, et modus vestrae responsionis patentius elucescat. Sancti etenim Patres, qui, ut veteris Testamenti serie legitur, ab initio Deo placentes, hanc ultimam, sed Christi adventu felicissimam saeculi aetatem probitate morum et meritorum multiplicitate praecesserunt, Sancti Spiritus gratiam absque ulla ambiguitate et accepisse et habuisse credendi sunt. Quis enim unquam placuit Deo carens Sancti Spiritus dono? Sed ut responsionis vestrae textu continetur, eadem S. Spiritus dona singula singulos Sanctorum habuisse, et in Christo cuncta pleniter inhabitasse cognovimus. Quae ut firma veritatis ratione subnixa probamus: sed nequaquam arbitramur quemlibet sanctorum Patrum unius singularitate doni fuisse contentum: cum hoc fieri non posse de ipsarum vocabulis gratiarum facillime possit adverti etc.

1) *Mabillon, Analect.* VI, p. 512. *Bouquet,* V, p. 622.
2) Bischof von Cölln. — 3) B. v. Rouen. — 4) B. v. Bergamo.
5) B. v. Eichstädt (*Episc. Eistetensis*). — 6) B. v. Toulouse.

LXXIII.

Epistola Caroli Magni[1]) ad Odilbertum Archiepiscopum[2]).

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Carolus serenissimus Augustus a Domino coronatus, magnus, pacificus, Imperator Romanorum gubernans Imperium, qui et misericordia Dei Rex Francorum et Langobardorum, Odilberto Archiepiscopo in Domino salutem. Saepius tecum, immo et cum caeteris collegis tuis, familiare colloquium de utilitate Sanctae Dei Ecclesiae habere voluissemus, si absque molestia corporali id efficere potuisses. Sed quamvis Sanctitatem tuam in divinis rebus tota intentione vigilare non ignoremus; omittere tamen non possumus quin tuam Devotionem, Sancto incitante Spiritu, nostris apicibus compellemus atque commoneamus, ut magis ac magis in Sancta Dei Ecclesia studiose ac vigilanti cura laborare studeas in praedicatione sancta et doctrina salutari: quatenus per tuam devotissimam sollertiam verbum vitae aeternae crescat et currat, et multiplicetur numerus populi Christiani in laudem et gloriam Salvatoris nostri Dei. Nosse itaque per tua scripta aut per te ipsum volumus, qualiter et tu, et suffraganei tui doceatis et instruatis sacerdotes Dei et plebem vobis commissam de Baptismi sacramento, id est cur primo infans catechumenus: deinde per ordinem omnia quae aguntur. De scrutinio, quid sit scrutinium. De symbolo, quae sit eius interpretatio secundum Latinos. De credulitate, quomodo credendum sit in Deum Patrem Omnipotentem et in Jesum Christum filium eius, et in Spiritum Sanctum; Sanctam Ecclesiam Catholicam, et caetera quae sequuntur in eodem Symbolo. De abrenuntiatione Satanae et omnibus operibus eius et pompis, quid sit abrenuntiatio, et quae opera eius diaboli et pompae. Cur insufflatur et cur exorcizatur. Cur catechumenus accipit salem. Quare tanguntur nares, pectus ungitur oleo; cur scapulae signantur, et quare pectus et scapulae lavantur. Cur albis induitur vestimentis, cur sacro chrismate caput perungitur; et mystico tegitur velamine; et cur corpore et sanguine Dominico confirmatur. Haec omnia subtili indagine per scripta nobis, sicut diximus, nuntiare satage: et si ita teneas et praedices, aut si in hoc quod praedicas te ipsum custodias. Bene vale, et ora pro nobis.

---

1) *Mabillon*, *Analecta*, I, p. 21. *Bouquet*, V, p. 632.
2) Von Mailand.

LXXIV.

Capitulum Imperatoris

de honore Episcoporum et reliquorum Sacerdotum datum apud Theodonis villam [1]).

Volumus atque praecipimus ut omnes suis sacerdotibus, tam maioris ordinis quam et inferioris, a minimo usque ad maximum, ut summo Deo, cuius vice in Ecclesia legatione funguntur, obedientes exsistant. Nam nullo pacto agnoscere possumus qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles et suis sacerdotibus apparuerint; aut qualiter nobis obedientes nostrisque ministris ac legatis obtemperantes erunt, qui illis in Dei causis et Ecclesiarum utilitatibus non obtemperant. Potius namque, iuxta veritatis vocem, ille metuendus est qui potest animam et corpus perdere in Gehennam, quam ille, qui corpus torquere et honores temporales potest auferre. De illis dictum est: *Qui vos audit, me audit. Et qui vos spernit, me spernit.* Et alibi; *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et rursus: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, melius est illi ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundo maris.* Et iterum: *Qui vos recipit, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Et multa alia horumque similia. His ergo fulti oraculis iubemus ut omnes eis pro viribus ad eorum peragenda ministeria, et ad malos et peccatores atque negligentes hominis distringendos, summopere obedientes exsistant. Qui autem in his, quod absit, aut negligentes eisque inobedientes fuerint inventi, sciant se nec in nostro imperio honores retinere, licet etiam filii nostri fuerunt, nec in palatio locum, neque nobiscum aut cum nostris societatem aut communionem ullam habere, sed magis sub magna districtione et ariditate poenas luere: in his namque omnium nostrorum fidelium volumus agnoscere fidem ac benevolentiam. Quoniam si haec fideliter et utiliter impleverint, tunc Deo et nobis fideles erunt. Si autem, quod absit, secus egerint, tunc non solum infideles, sed etiam infames atque reprobi manifeste apparentes notabuntur, eorumque domus publicabuntur, et ipsi exiliabuntur.

---

[1]) *Walter*, II, p. 214. *Theodonis villa* ist das heutige *Thionville*. S. *Mabillon*, *de Re Diplomat.* IV, 141, p. 329.

LXXV.

Ex Monachi Sangallensis Gestis Karoli[1]).

Cap. VII. Quod de ordinatione lectionum oblitus sum dicere, cum de responsorii dispositione narrarem, hic paucis liceat absolvere. Nullus in basilica doctissimi Karoli lectiones cuiquam recitandas iniunxit, nullus ad terminum vel ceram imposuit, vel saltem ungulis quantulumcunque signum impressit, sed cuncti omnia quae legenda erant, ita sibi nota facere curarunt, ut quando inopinato legere iuberentur, irreprehensibiles apud eum invenirentur. Digito autem vel baculo protento, vel ex latere suo ad procul sedentes aliquo directo, demonstravit, quem legere voluisset. Finem vero lectionis sono gutturis designavit. Ad quem universi ita intenti suspensi sunt, ut sive finita sententia, seu in media distinctione, sive sub distinctione significaret, nullus sequens superius aut inferius incipere praesumeret, quantumcunque incongrua finis aut initium viderentur; et hoc modo factum est, ut etiam si non intelligerent, omnes in eius palatio lectores optimi fuissent. Nullus alienus, nullus etiam notus, nisi legere sciens et canere, chorum eius ausus est intrare.

Cap. VIII. Cum autem itinerando venisset Karolus ad quandam grandem basilicam, et quidem clericus de circumcellionibus[2]), ignarus disciplinae Karoli, in chorum ultro intraret, et nihil omnino de talibus unquam didicisset, in medio cantantium mutus et amens constitit. Ad quem paraphonista levato peniculo ictum ei, nisi caneret, minabatur. Tum ille, nesciens quid ageret, quove se vertere posset, foras exire non ausus, cervicem in modum circuli contorquens, et dissolutis malis hians, cantandi qualitatem iuxta possibilitatem imitari conabatur. Caeteris ergo risum tenere non valentibus, fortissimus imperator, qui ne ad magnas quidem res a statu mentis suae moveretur, quasi gestum coactionis illius non adverteret, ordinatissime finem praestolabatur missae. Postea vero vocato ad se misero illo, miseratusque labores et angustias illius, hoc modo consolatus est eum: ***Multas gratias habeas, bone clerice, pro cantu et laboribus tuis;*** et ad sublevandam eius paupertatem iussit ei dari unam libram argenti.

Cap. X. Referendum hoc in loco videtur, quod tamen a nostri temporis hominibus difficile credatur, cum et ego ipse qui

---

1) Lib. I, c. 7. 8. 10. p. 734 sq. *Pertz.*
2) Ex iis, qui circum cellas vagantur, nusquam certas habent sedes. — *Pertz.*

scribo propter nimiam dissimilitudinem nostrae et Romanorum cantilenae non satis adhuc credam, nisi quia patrum veritati plus credendum est, quam modernae ignaviae falsitati. Igitur indefessus divinae virtutis amator Karolus, voti sui compotem, quantum fieri potuit, in literarum scientia effectum se gratulatus, sed adhuc omnes provincias, immo regiones vel civitates, in laudibus divinis, hoc est in cantilenae modulationibus, ab invicem dissonare perdolens, a beatae memoriae Stephano papa, qui, deposito et decalvato ignavissimo Francorum rege Hilderico, se ad regni gubernacula antiquorum patrum more perunxit, aliquos carminum divinorum peritissimos clericos impetrare curavit. Qui bonae illius voluntatis et studiis divinitus inspiratis assensum praebens, secundum numerum duodecim apostolorum de sede apostolica duodecim clericos doctissimos cantilenae ad eum direxit in Franciam. Franciam vero interdum cum nominavero, omnes cisalpinas provincias significo; quia sicut scriptum est: *in die illa apprehendent decem viri ex omnibus linguis gentium fimbriam viri Iudaei*[1]), in illo tempore propter excellentiam gloriosissimi Karoli et Galli et Aquitani, Aedui et Hispani, Alamanni et Baioarii non parum se insignitos gloriabantur, si vel nomine Francorum servorum censeri mererentur. Cum ergo supradicti clerici Roma digrederentur, ut semper omnes Graeci et Romani invidia Francorum gloriae carpebantur, consiliati sunt inter se, quomodo ita cantum variare potuissent, ut nunquam unitas et consonantia eius in regno et provincia non sua lateretur. Venientes autem ad Karolum, honorifice suscepti, et ad praeminentissima loca dispersi, et singuli in locis singulis divertissime et quam corruptissime poterant excogitare, et ipsi canere et sic alios docere laborabant. Cum vero ingeniosissimus Karolus quodam anno festivitates nativitatis et apparitionis Domini apud Treverense vel Mettense oppidum celebrasset, et vigilantissime, imo acutissime, vim carminum deprehendisset vel potius penetrasset, sequenti vero anno easdem solemnitates Parisii vel Turonis ageret, et nihil illius soni audisset, quem priori anno in supradictis locis expertus fuerat, sed et illos quos ad alia loca direxerat, cum tempore procedente ab invicem discordare comperisset, sanctae recordationis Leoni papae, successori Stephani, rem detulit. Qui vocatos Romam vel exilio vel perpetuis damnavit ergastulis[2]) et dixit illustri Karolo: *Si alios tibi praestitero,*

---

[1]) Zachar. VIII, 23.
[2]) S. oben S. 115 die Anm. zu Beil, XL.

simili ut anteriores invidentia caecati, non praetermittent illudere tibi. Sed hoc modo studiis tuis satisfacere curabo: Da mihi de latere tuo duos ingeniosissimos clericos, ut non advertant, qui mecum sunt, quod ad te pertineant, et perfectam scientiam, Deō volente, in hac re quam postulas assequentur. Factumque est ita. Et ecce post modicum tempus optime instructos remisit ad Karolum. Qui unum secum retinuit, alterum vero, petente filio suo, Drogone [1]) Mettensi episcopo, ad ipsam direxit ecclesiam. Cuius industria non solum in eodem loco pollere, sed et per Franciam in tantum coepit propageri, ut nunc usque apud eos qui in his regionibus latino sermone utuntur, ecclesiastica cantilena dicatur Mettensis, apud nos autem qui theutonica sive teutisca lingua loquimur, aut vernacule Met aut Mette, vel secundum graecam derivationem usitato vocabulo Mettisca nominetur.

LXXVI.

Monachi Egolismensis

Additamentum ad Annal. Laurissenses anni 787 [2]).

Et reversus est rex piissimus Karolus, et celebravit Romae pascha cum domno apostolico. Ecce, orta est contentio per dies festos paschae inter cantores Romanorum et Gallorum. Dicebant se Galli melius cantare et pulchrius quam Romani. Dicebant se Romani doctissime cantilenas ecclesiasticas proferre, sicut docti fuerant a sancto Gregorio papa: Gallos corrupte cantare, et cantilenam sanam destruendo dilacerare. Quae contentio ante domnum regem Carolum pervenit. Galli vero propter securitatem domni regis Karoli valde exprobabant cantoribus Romanis. Romani vero propter auctoritatem magnae doctrinae eos stultos, rusticos et indoctos, velut bruta animalia, affirmabant, et doctrinam Sancti Gregorii praeferebant rusticitati eorum. Et cum altercatio de neutra parte finiret, ait domnus piissimus rex Karolus ad suos cantores: *Dicite palam, quis purior est et quis melior, aut fons vivus, aut rivuli eius longe decurrentes?* Respon-

---

[1]) Der Anachronismus erhellt aus Komment. zu Kap. XVIII. Es scheint als ob der gute Mönch den Bischof Chrodegang von Metz, der sich unter Pippin um den Kirchengesang verdient machte, mit Drogo verwechselt habe.

[2]) *Pertz*, I, p. 170 sq.

derunt omnes una voce, fontem, velut caput et originem, puriorem esse; rivulos autem eius, quanto longius a fonte recesserint, tanto turbulentos et sordibus ac immunditiis corruptos. Et ait domnus rex Karolus: *Revertimini vos ad fontem Sancti Gregorii, quia manifeste corrupistis cantilenam ecclesiasticam.* Mox petiit domnus rex Karolus ab Adriano papa cantores, qui Franciam corrigerent de cantu. At ille dedit ei Theodorum et Benedictum, Romanae ecclesiae doctissimos cantores, qui a Sancto Gregorio eruditi fuerant: tribuitque antiphonarios Sancti Gregorii, quos ipse notaverat nota Romana. Domnus vero Rex Carolus revertens in Franciam misit unum cantorem in Metis civitate, alterum in Suessionis civitate, praecipiens de omnibus civitatibus Franciae magistros scholae antiphonarios eis ad corrigendum tradere, et ab eis discere cantare. Correcti sunt ergo antiphonarii Francorum, quos unusquisque pro arbitrio suo vitiaverat, addens vel minuens: et omnes Franciae cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam; excepto quod tremulas vel vinnulas, sive collisibiles vel secabiles voces in cantu non poterant perfecte exprimere Franci, naturali voce barbarica frangentes in gutture voces potius quam exprimentes. Maius autem magisterium cantandi in Metis civitate remansit: quantumque magisterium Romanum superat Metense in arte cantilenae, tanto superat Metensis cantilena caeteras scholas Gallorum. Similiter erudierunt Romani cantores supradicti cantores Francorum in arte organandi.

XXXVII.

Ekkehardus Minimus[1])

de cantu ecclesiastico.

Cap. IX. Dum more sapientissimi Salomonis secundum institutum Regis David patris eius in domo Domini propter compunctiones Musicae dulcedinis beatus Papa Gregorius, ut scribit de eo Ioannes sedis Romanae Archidiaconus[2]), antiphonarium centonem studiosissimus nimis utiliter compilasset, Scholam etiam

---

[1]) *Vita B. Notkeri* ap. *Canis.*, *Lection antiq.* Tom. III, P. II, p. 557 sq.
[2]) In vita S. Gregorii M.

cantorum, quae hactenus eisdem institutionibus in Sancta Romana Ecclesia modulatur, constituit. Huius ergo modulationis dulcedinem inter alias Europae gentes, Germani seu Galli sive Alemanni, discere crebroque rediscere potuerunt: incorruptam vero tam levitate animi, qua nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miscuerunt, quam feritate quoque naturali minime servavere. Alpina siquidem corpora vocum suarum tonitruis altisone perstrepentia, susceptae modulationis dulcedinem proprie non resultant, quia bibuli gutturis barbara grossitas dum inflexionibus et repercussionibus et diaphoniarum diphthongis mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore quasi plaustra per gradus confuse sonantia rigidas voces iactat; sicque audientium animos quos mulcere debuerant tales, exasperando magis ac obstrependo conturbant.

Cap. X. Interea Carolus qui dicebatur Magnus, Rex Francorum, cum esset Romae offensus dissonantia Romani et Gallicani cantus, cum Gallorum procacitas a quibusdam nostratibus naeniis argumentaretur esse corruptum, nostrique e diverso authenticum antiphonarium probabiliter ostentarent, interrogasse fertur, quis inter rivum et fontem limpidiorem aquam conservare solet? Respondentibus fontem, prudenter adiecit: ergo et nos qui de rivo corruptam lympham hactenus bibimus, ad perennis fontis necesse est fluenta principalia requiramus. Mox itaque duos suorum industrios Clericos Adriano Papae dereliquit. His quidem satis eleganter eruditis, Metensem Ecclesiam ad suavitatem modulationis pristinae revocavit, per quam totam Galliam correxit. Sed cum post aliqua tempora, defunctis his, qui Romam educati fuerant, cantum Gallicanarum Ecclesiarum a Metensi discrepare prudentissimus Regum vidisset, ac unumquemque ab alterutro vitiatum cantum instantem adverteret; iterum inquit redeamus ad fontem. Fuit interim maximo desiderio Praelatis sancti Galli et beato Notkero aliisque Magistris ibi degentibus, ut cantum secundum authenticum antiphonarium regerent, et melodias Romano more tenerent. Qualiter autem ista prosecuti sunt, intimare curavimus posteris. Mittens ergo Imperator Carolus Romam, ad Adrianum Papam, rogat, ut ei iterum mittat duos Romanos cantuum gnaros in Franciam. Tunc Papa regiis precibus annuens, iuxta petitionem suam secundo duos mittit cum authenticis antiphonariis et septem liberalibus artibus: quorum Imperator omnes quidem corripuisse dulcedinem Romani cantus, levitate quadam cognovit. Vocabatur unus eorum Petrus, et alter Romanus, cantuum et septem liberalium artium

admodum paginis satis imbuti Metensem Ecclesiam ut priores adibant. Qui cum in Septimo [1]) lacuque Cumano aëre Romanis contrario quaterentur, Romanus febre correptus, vix ad nos usque pervenire potuit. Antiphonarium vero secum Petro renitente, vellet nollet, cum duos haberent, unum sancto Gallo attulit. In brevi autem tempore, Domino se iuvante, convaluit Romanus de febre. Petrus quidem pergit ad Imperatorem, qui comperto de Romano, mittit celeriter nuntium, qui eum si convalesceret, nobiscum stare nosque instruere iuberet. Quos ille quidem patrum hospitalitati regratiando libentissime fecit. Deinde nuntius subintulit verba Caroli ad congregationem. Quatuor, inquiens, mercedes vos sancti Domini in me uno acquisistis. Hospes erat, et in me eum collegistis. Infirmus, et visitastis. Esurivit, et dedistis mihi in eo manducare. Sitivit et dedistis mihi in eo bibere. Deinde uterque fama volante studium alter alterius cum audisset, aemulabantur, pro laude et gloria, naturali gentis suae more, uter alterum transcenderet. Memoria dignum est quantum hac aemulatione uterque locus profecerit, et non solum in cantu, sed et in caeteris doctrinis excrevit. Fecerat quidem Petrus ibi iubilos ad sequentias, quas Metenses vocant. Romanus vero e contra Romane et amoene de suo nobis iubilos modulaverat. Quos utique post, sanctus vir Notkerus quibus videmus verbis ligabat, frigdore videlicet et occidentane, quas sic nominabat, quibus animatus etiam ipse de suo cogitavit. Romanus autem, quasi nostra prae Metensibus extollere fas fuerat, Romanae sedis honorem sancti Galli coenobio siquidem ita inferre curavit. Erat Romae instrumentum quoddam, et theka ad anthiphonarii authentici publicam omnibus adventantibus inspectionem reposituram, quod a cantu dicebatur cantarium. Tale namque ipse apud nos ad instar illius circa aram Apostolorum cum authentico locari fecit, quem ipse attulit exemplato antiphonario. In quo usque hodie in cantu si quid dissentitur, quasi in speculo error eiusmodi universus pervidetur atqne corrigitur. In ipso quoque primus ille litteras Alphabeti significativas notulis quibus visum est, sursum aut deorsum, ante aut retro assignare excogitavit. Quas postea cuidam Lamperto amice quaerenti beatus Notkerus balbulus dilucidavit: cum et Martianus [2]) quem de nuptiis miramur, virtutes earum scribere molitus sit. Abinde sumpsit exordium tota fere Europa, et maxime Germania sive Teutonia secundum modum et formam, sicut in mona-

[1]) **Mons Septimus,** ***Septmer.*** — [2]) **Capella.**

sterio sancti Galli viri peritissimi ediderunt, beatus Notkerus balbulus et Romanus, caeterique magistri correxerunt iuxta exemplum authentici antiphonarii Gregorii, elegit cantare, et hunc ritum modulandi servare, quem etiam omnes usum appellaverunt.

Casp. Barlaei

Virgo Androphoros.

Post domitas Alpes debellatosque potentis
Insubriae Latiique Duces, pulsasque ferocis
Relliquias Totilae, cum late Sequana terris
Iura daret, fractumque suis compesceret armis
Saxona, Pannoniosque truces, Istrumque Savumque,
Et victus Carolo fasces submitteret orbis:
Risit Amor Venerisque puer, quatiensque pharetram
Et mihi sunt fasces, inquit, mundique potestas
Francorum cum Rege mea est; haec tela facesque
Sceptra domant, regumque mei penetralibus ignes
Luxuriant, tenerosque ruens bellator in annos,
Virgineos mihi subdo sinus; mitrataque cogo
Colla Cupidineae leges perferre tiarae.
Nos quoque, nos Caroli sumus, et non dispare fato
Regnamus, quacunque libet. Si nomina Magni
Victores iactant populi, maiora meremur,
Maius opus princeps moveo; si barbarus Hunnus,
Si Gothicae cessere acies et Gallica gaesa
Vandalus et Mysis timuit trepidantibus Albis:
Sentiet aula meae facinus memorabile dextrae,
Sentiet Emma dolos, et fraudibus apta patebit
Virginitas augusta meis, generosa virago
Nubet et insani specimen se dicet amoris,
Veraque scribetur victuris fabula fastis.
Partiar illustres magno cum patre triumphos;
Dumque illi longo devictae ex ordine gentes
Obsequio se quaeque probant, mihi regibus orta
Progenies regumque soror, celebrisque Pipini
Claraque Martelli neptis stipendia lecti
Solvet, et imperii maiestatisque suorum

Immemor, exuto quaeret furtiva pudore
Oscula et indigni calamum scriptoris amabit.
Quam risi, cum pulchra Craten Hipparchia coniux
Posceret, et foedi placuisset gratia gibbi,
Decrepitusque senex! quam me moderante Menander
Evasit crudele forum, gladiosque severa
Discussit Tryphosa tuos! quam bella coegi
Corpora, cum rigidis Preciosam duceret Astur
Legibus, et lacera erraret per compita palla,
Ignarus prisci decoris! Nunc regia virgo
Concipiet flammas; nostrisque arsura favillis
Implebit terras fama, documentaque mundo
Certa dabit, quam nil timeat securus honorum
Et recti contemptor amor, centumque libido
Nixa dolis; haec fatidicae ventura sorores,
Ista trahent tetricae fatali pollice Parcae.
  Pax erat, et laeto regnatrix Gallia vultu
Se poterat dominoque frui: cum festa per aulam
Apparat ingenti Princeps convivia luxu,
Totaque nobilium resonant palatia plausu,
Magnificas ductura nurus. Mavortia nusquam
Signa, sed Attalicis sternuntur limina mensis,
Et cunctos laxat maiestas prodiga fastos.
Non hic thoracum umbones, non fulgere cernas
Terribiles circum clypei septemplicis orbes,
Non gladios stringit bellax vagina minaces.
Omnia proscribunt proceres, in gaudia solvunt
Ignavos animos, horrendaque classica lenes
Demulcent citharae, lituosque obtundit et aera
Blanda chelys, plenisque madent crateribus arma.
  Sic, ubi iuratos caelum rescindere fratres,
Enceladum, Typhoea ferum, Briereaque dirum
Reppulit ira Iovis: toto se laetus Olympo
Explicuit pater ipse Deûm curasque metusque
Titanumque minas hilari dissolvit Iaccho.
Mille modis gaudent populi, procerumque ducumque
Diluitur risu gravitas; suspensa superbis
E dapibus vexilla volant, quibus aspera belli,
Prostratas Soraborum acies, arcusque, sagittas,
Oppida capta manu, raptosque ex hoste penates
Pinxerat ingeniosa manus. Mox atria cernas
Larvatis trepidare viris; hic saevus Achillem

Exhibet et ficta Atridem trux adspicit ira.
Ille refert Pyrrhum et flammantes luminis ignes
Torquet in Andromachen; qualisque animosior olim
Graiugenûm accendit late per littora classes,
Hector adest, quassatque faces; it lenior illis
Antenor comes, atque humeris pia pondera gestans
Troïus Aeneas: sequitur deserta Crëusa
Ascaniusque puer, scelerumque inventor Ulysses,
Palladium dextra attollens. Cui proximus Aiax
Arma videbatur frendens sibi poscere magni
Aeacidae, saevusque loqui. Pulcherrima venit
Tyndaris et iuxta gradiens famosus adulter,
Attritusque malis Priamus: Cassandra prophetans,
Et nimium infelix Hecuba et Sichaeïa Dido
Ense rigens, raptaque miser Briseide Chryses.
Quae postquam tenuere oculos spectacula, tandem
Prima leves Diana choros et ovantia duxit
Agmina venatrix, stricta quae veste pharetram
Et curvos alte scapulis suspenderat arcus,
Sic imitata Deam; calamis et arundine crinem
Collaque frondifera redimiverat alba corona.
Hanc nexis docte manibus comitatur euntem
Turba puellarum, qualis solet esse sororum
Naïadum, vel Maenalii gens innuba Fauni,
Aut procul amoto petulantes Pane Napaeae.
Haec Daphne fuit, haec Crocale, lepidissima iuxta
Ibat Callirrhöe, Byblisque Hyaleque Rhanisque,
Et quondam in florem Clytie mutata; superbo
Mixta ibat Niobe gressu, natasque trahebat
Pone suas. Hic Halcyonem, Syringa, Bathyllam;
Hic Dryopen videas; hic candida subsilit Iphis
Leucothoësque habitum virgo mentita vel Inus,
Ad strepitum citharae summam pulsabat arenam.
Emicuere Deae Charites, Aglaïa plantis
Mobilis, hinc tremula Euphrosyne, facundaque Pitho.
Virginibus totidem, pastorum vestibus omnes,
Occursant iuvenes, quos prisco more sequentes
Pan Deus Arcadiae duxit, cui cornua fronte
Surgebant, vultumque involverat horrida barba.
Montivagam rapuit Dictynnam semicaper Pan,
Iuncta fuit Phoebo Daphne, duroque Menalcae
Callirhoë, Byblis Canno, Niobenque trahebat

Thyrsis, at Alcidamas Hyalen, Clytienque Palaemon.
Laeta Rhanis saltat Mopso comes, Halcyonenque
Agrestis flectit Corydon, Syringa Marullus.
Allevat Alcmaeon Dryopen, capit Iphin Alexis,
Leucothoën Daphnis, sociantur Cycnus et Ino.
Silenus crasso ductabat ventre modestam
Euphrosynen, Meliboeus amat concurrere Pitho,
Aglaïae levipes Cephalus, Crocalaeque Philemon.
Mira chori facies: nunc intercepta virili
Corpora Nympharum turbae vestigia certâ
Lege regunt: nunc oppositis stant frontibus omnes
Atque adversa viro virgo est; nunc dextera dextrae
Haeret et attollit generoso brachia motu,
Nunc dimissa manus cuique est; errantque vicissim
Et dominam mutant pueri dominumque puellae.
Mox sibi desertas repetunt, et quaeque priori
Saltando matrona coit, velut ipsa vagantur
Sidera, iamque student iungi, modo tramite longo
Dissociata micant melius. Levis area cunctis
Tunditur ad numeros, nunc hic, nunc ille caprizat,
Pesque pedi teritur quarto, rotat ille lacertos
In gyrum curritque trochus; directa moventur
Membra, nec inflexis foede ludibria debent
Poplitibus. Prudens strepitus motusque feroces
Virgo cavet, lenique ferit proscenia saltu,
Inde manus pulsant manibus, feriuntque crepantque
Argute digitis et solo pollice cantant.
Praeludunt litui saltatricesque choreas
Sistra tubaeque regunt, forma est diversa canendi:
Et diversa chori: Iam priscum Cordaca saltant,
Iam Ledam, iam Trettanelum, iam Pyrrhica solos
Lassat forma viros rutilisque moventur in armis.
Nunc chorus Eumelia est, nunc inconcinna Sicinnis,
Hi Samios referunt motus, hi Cariatizant,
Illi Hormum alternis saliunt, Corybantiaque aera
Curetumque modos alii: moresque vetustos
Phaeacum aut variis imitantur Protea formis,
Aut Salios, aut thyrsigeri modulamina Bacchi.
Quin agiles videas, imitantes omnia, mimos
Currere et exactis pedibus pulsare theatrum.
Hic saliens fodit, hic textoris imagine telas
Proiicit, hic faber est, nentique simillimus ille.

Calcat fullo togam, fictus vespillo cadaver
Baiulat, hic grandem saltans vorat ore placentam,
Haec insana furit, titubat paupercula Bauce,
Et saltu petulans Citherea notatur in ipso.
Dumque tacent, oculis, motu, gestuque loquuntur.
Hos inter miris flectebat corpora gyris
Spectantumque oculos aliquis converterat in se
Conspicuus forma iuvenis: non pulchior ulli
Vultus erat, pars quaeque tenax et gnara decori
Emeruit laudis pretium; despectior illo
Maeoniis toties celebratus versibus acer
Meriones fuit, et saltandi clarior olim
Arte Neoptolemus, poterat per summa volare
Atria saltator velox, et radere visus
Vix tactam feriebat humum, demissa modeste
Hinc manus atque illinc pedibus monstrabat in imis
Ingenii studiique notas, nec doctior alter
Scribere, et eximiis teneram signare papyrum
Lineolis, bibulaeque animum concredere chartae.
Hic Eginardus erat, quem capta cupidine formae
Regia progenies tunc, cum saltaret, amavit,
Et sensit placuisse sibi; tacitumque sub alto
Igne facit votum et vehementius aestuat Emma.
Tunc cupiat peccare et basia figere membris
Mobilibus doctisque regi; circumdare collo
Brachia, complectique virum; quin sanguinis odit
Nomina splendoremque sui, titulosque decusque
Ipsa suum metuit, vellet contemptior esse,
Nec regum prognata domo, fastigia regni
Demissus declinet amor, fastusque potentum
Negligat, ut tali fiat magis apta marito.
Spes tamen obscoenas inconcessosque hymenaeos
Non audet pepulisse animo, resoluta quiete
Expetit absentem, non primo avellere amori
Noxque diesque queunt miseram. Cum fusa per herbas
Mane suburbanos discincta perambulat hortos,
Saltantis versat speciem; cum clara pyropo
Limina conscendit, centum stipata puellis,
Spectat inexpleto gradientem pectore formam,
Conspicuasque genas, et mascula membra, decusque
Oris, et ingenuo gratum candore ruborem,
Omnia miratur, quae viderat, omnia iactat

Et maiora putat, fingit sibi somnia, fingit
Tangere se iuvenem, visa est sibi iungere corpus
Corpori et erubuit, tandemque ita mente profatur:
Emma, quid est? cur grata viri saltantis imago est?
Nec concessa probas? cur haec tibi foedera demens
Promittis, gestisque frui tam dispare lecto?
Num par huic diadema toro est? num tanta potestas
Contempti scriptoris erit? si filia magni
Non essem Caroli, possem non aegra potiri.
Nunc quia sum, iuvenis non est meus, ipsaque damno
Est mihi maiestas, plebeia beatior essem,
Et fruerer votis felix. Quam nomina vellem
Mutari mea posse mihi! quam stemmata vellem
Esse minora mihi, aut lumen praelustrius illi!
Tunc, Eginarde, tuo poteram nurus esse parenti,
Tunc, Eginarde, meo poteras gener esse parenti.
Omnia tunc cuperem fieri communia nobis,
Osculaque et lusus et quae sperantur amanti.
Non tamen hic nostro de corde fugabitur ignis.
Uror amore tui, causas circumfero mecum,
Et veluti candens Phoebo surgente pruina
Solvitur, aegra tuis sensim tabesco favillis,
Attenuorque, vigor solitus viresque fatiscunt,
Dum secunda meo praebes alimenta furori.
Quid faciam? roger, anne rogem? si primus amares,
Possem casta sequi, flammasque rependere flammis
Et votis aequa esse tuis: nil tale petentem
Aggrediar prior? et poscam, quae poscere fas sit
Te potius? poterisne loqui, poterisne fateri,
Emma, faces? non illa placent, confunderet horrens
Ora pudor; potius, quae nescit muta pudere,
Litera secreto fallax praecurrat amori.
Sic ubi Demophoon ventis promissa dedisset,
Per mare, per terras testatur epistola luctum
Phyllidis, absenti scripsit Briseis Achilli,
Pegasis Oenone Paridi, regalis Oresti
Hermione, et pulchro Sappho lasciva Phaoni.
Haec etiam nostrae sedit sententia menti.
Arte nova prodendus amor, non eloquar audax
Sensa, per ambages ibo, fletisque dolose
Fraudibus ignarum aggrediar, concessit amanti
Multa Venus, prudensque caret simulatio culpa.

Quid liceat spectare, senum est; fas omne nefasque
Expendant, qui sceptra gerunt, temeraria dici
Cypris amat, nunquam timidi statuere trophaeum,
Et toti trepidus populo ridetur amator.
Dixit: et hinc dextra calamum chartamque sinistra
Arripit, et iamiam cupiens meditata notare,
Scribere formidat, tremit, incipit, abiicit excors
Et rursum repetit tabulam, gaudetque doletque,
Et delet scribenda iterum, scribitque vicissim,
Quae deleta volet. Sic fluctuat, ambigit anceps,
Sic animi pendet, donec secura pudoris
Audet verba novis inscribere talia ceris:
    Quam tibi transmitto, referas, Eginarde, salutem,
Et iussis attende meis, nil poscimus ultra,
Huc, scriptor celebrate, veni, te cernere coram,
Te cupio scriptore frui, tibi dextera sollers
Pingit adorandis absentum verba figuris,
Et manus in foliis ludit dexterrima summis,
Ut Druidae mirentur opus, succosque notasque
Et volucris pennae officium, mihi talia mens est
Discere te ductore, velim virguncula magnae
Artis et ingentis doctrinae arcana doceri,
Te praeeunte, piget vili percurrere telas
Pectine, vel torto deducere stamino fuso,
Aut vestem distinguere acu, vel Gallia laeta
Ad citharae cantus modulari carmina voce.
Claruit et Manto studiis, celebrata Sibylla est
Ominibus, viguit Latio facundia matris
Gracchorum, Pollaeque decus, subtilis Arachnen
Extulit ars, doctam commendant fila Minervam,
Textaque magnificam stupuerunt serica Circen.
Me pulchre scripsisse iuvat, nil penna, sed usus
Proderit. O dignum mortali gente repertum,
O Superûm labor! exigua se cuspide terris
Explicat et tenui loquitur mens abdita rima,
Et procul extremis aperit mysteria Parthis,
Transque maris tumidos fluctus, Alpesque nivesque
Intrepidum molitur iter; si cernere cordis
Intima et abstrusos animi penetrare recessus
Vis divina valet, nos hac interprete penna
Dî sumus, et patuli motus cognoscimus orbis,
Et Tanain ultra, et Libyae deserta, trucemque

Caucason, Hyrcanosque sinus, et Bactra vagamur.
O felix Cadmi studium! quam, litera, multum
Utilitatis habes! quam prodes scripta decenter!
Te sine ploret amans, nec Sestos norit Abydum,
Non Graium Medea ducem, non Cressa puella
Scribere Theseae possit periuria linguae.
Tu vallos, tu castra latens, tu saxa serasque
Perrumpis, clausasque subis validissima portas
Et coeca vigiles fallis sub nocte phalanges,
Nec te Luna videt, tu fossas subter et undas
Tuta natas quaerisque viam, te pendula celso
Aëre gestat avis, portant tua verba columbae,
Et bellatorem deridet epistola Martem.
Te sine non fidus Pyladi scripsisset Orestes,
Te sine non fido Pylades scripsisset Oresti.
Te sine quis Nini rabiem, quis Iasona nosset,
Victoremque Asiae Macetam, tria fulmina belli,
Scipiadem, Pyrrhumque et parvo vivere suetum
Fabricium? foedis iacuisses, Brute, tenebris,
Adversasque movens socero, Pompeie, cohortes,
Et tacitos premerent ingrata oblivia Paulos,
Marcellos, Crassosque et nomina digna Catones.
Annales, fastosque et quae meminisse futuri
Tot monumenta valent, scribentis munere versas,
Poteritas; sive haec foliis inscripserit olim
Cura patrum, et sicco steterit sapientia grandis
Cortice, seu lenta legerentur praelia cera,
Aut niveae caperent simulacra nigerrima chartae.
Accedas, Eginarde, doce, quos linea ductus,
Et quales poscat scitissima litera flexus,
Laudatusque sua incedat statione character.
Haec iubet Emma, veni et facilis mandata capesse.
Talia scribentem tandem pudibunda reliquit
Penna manum: dubitat, num quae iam scripta fuissent
Confodiat; dissuasit amor, signare tabellam
Incipit et pressa subsignat nomina cera.
Deque suis aliquam famulis accersit, et illas
Trade, ait, has abiens Eginardo trade tabellas.
Nec mora, Caesarea scriptor spectatur in aula,
Emmam laetus adit, poteras cognoscere culpam,
Ut stetit ante oculos; non illi vultus et ora,
Non color unus erat, pallet, rubet: aestuat, horret:

Vox tremula est constansque iterum: vult discere, discit:
Scribere vult, scribit: rogat, errabunda rogatur,
Corrigiturque manus, laudat studiosa magistrum,
Miratur celeres ductus, vocumque Maeandros,
Et per continuos remeantia brachia circos.
Ille verecundi mox observator amoris,
Et Veneris secreta notans, laudare laborum
Prima rudimenta, et regalis coepta puellae
Incipit, et placida moderari exordia voce.
Dein propius verbis, propiusque assibilat illi
Molle aliquid, fesivum aliquid, paradigmata scribit
Callidus et totum chartis deducit amorem,
Quaeque suo scripsit Byblis moestissima Cauno,
Laodamia viro, aut caram Leander ad Herum,
Seligit argumenta, et sic accendit amantem
Illecebrisque fovet, scribit sine mente virago,
Atque alio manus, atque alio mens, laesa vagatur;
Dumque piget chartas prono nimis ore tueri,
Respicit adstantem iuvenem, vultumque retorquet
Crebrius; atque errare cupit, quo saepe monentem
Audiat et cupidos scriptori obvertat ocellos.
Discit amatque simul virgo, cum litera Cadmi
Prima foret scribenda, levem scribebat Amorem,
Cum *B* basiolum, cum *C* Cytherea notatur,
Quinta Eginardus erat, fit litera quarta Dione.
Artem turbat amor comes, ars perturbat amorem,
Et male concurrunt ratio et vesana libido.
Ego ubi se ostendit repetitis lucibus aulae
Scriptor, et accensae furor immansuetior Emmae est
Labitur e manibus calamus, lachrymisque papyrus
Maesta madet, stillant oculis humentibus undae
Et dominae crimen produnt, tandem incitus ardor
Literulas inter furtim rapit oscula, iungit
Amplexus; rident ambo, mirantur amantum
Esse scholam. Iam charta, stylus calamique recedunt
Longius, officium spernit vulgare docendi
Praeceptor, maiorque viro fiducia surgit:
Atque Emmam plus grata docet, non illa fateri
Rem timet, et causas aperit, morbumque dolosque
Quaesitumque diu simulato fine magistrum.
Utque suis vitium gradibus seriesque malorum
Incrementa capit, post tot praeludia miscent

Corpora, et audaci scriptor bellissimus Emma
Et lecto potitur, stupet exaltatus amator
Scribendi pretium et pingentis praemia dextrae.
Nox erat et nigra tellurem involverat umbra
Demerso natura die. Sopor altus habebat
Mortales, et fessa suis se regia curis
Solverat, obscuris virtus crimenque latebat
Occultum tenebris, Paphiisque accommoda ludis
Tempestas illunis erat, non Hesperus ignes
Extulerat roseos, non pleno Cynthia vultu
Lucebat caeli medio, sua gaudia laxat
Filia victoris Caroli, fruiturque proterva
Praeceptore suo, cui iam non littera segnis
Ducitur, aut totas metitur syllaba noctes,
Sed lasciva Venus, vellent caligine longa
Concubitus facinusque tegi; nocturna morari
Sidera, nec currus velocem volvere Phoeben,
Auroramque suis fixam consistere bigis.
Interea gravidus fecundis imbribus aether
Labitur in terrae gremium, dispersaque sursum
Corpora cogit hyems, et quae sine frigore possent
Esse graves pluviae, permixtus distrahit aër,
Et candere facit; nivibusque adoperta caducis
Prata, urbes, montesque nitent; non ista duobus
Apta fuit mundi facies, non forma procanti.
Tuta satis; surgunt ambo, sua limina pandit
Emma, procum tepido tum dimissura cubili,
Utque vident niveo terras albescere vultu,
Stant ambo attoniti, metuunt, ne garrula crimen
Et thalami labem patri natura loquatur,
Certa viri monstrans vestigia. Vae, mala, dixit,
Nix, Eginardus, abi, crudelis amantibus obstas,
Indiciumque mei facis, o! si Daedalus alas
Commodet, et levibus raperer trans aequora pennis,
Bellerophonve ministret equum! o! si vertar in undas
Et fontes, Arethusa, tuos, vel marmore totus
Obrigeam fiamque lapis! mihi terra dehisce,
Absorbe tam immane nefas, me tollite vivum
Eumenides, Stygioque caput damnate profundo.
Quo fugiam, via nulla patet, si saxa nivesque
Affusas calcare velim pes fallet amantem;
Sin maneam, offendet genitor; nunc fertile fraudum

Deficit ingenium, nec habent mea vela recursum.
Quam male fida meas exorsa est Cypria flammas!
Quam nox haec inimica fuit, quae finiet illas,
Quas fuit orsa, faces! nihil est, quod fingere possit
Inconsultus amor. Sim taurus, Juppiter, Emmam
Ut rapiam fluctus ultra, mea corpora torque,
Artusque attenua, ut colubri sub imagine parvus
Elabar, fac éste aquilam, nubesque secare,
Et vastum per inane vehi, sim vilis Arachne,
Aut blatta tineaque minor. Nec territa casu
Palluit Emma minus, trepidat, suspiria ducit
Anxia, nunc sua fata dolet; nunc condolet illi,
Et multum perculsa tepet; desaeviit aestus,
Et seró deprensa sapit, subit ira tremendi
Caesaris, offensusque pater, generisque domusque
Splendor, et invictis aspersum dedecus armis.
Tandem ait: Invenere viam mihi fata Deusque,
Nec me deseruere doli, magis advocat artes,
Cum formidat, amans, gliscitque industria, cum se
Angi credit amor. Ne te gressusque viriles
Observent, Eginarde, nives, cervicibus hisce,
His humeris libabo virum, sublimior haec tu
Colla premes celsusque meis portabere in armis.
Magnus Atlas tremulo quondam suffectus Olympo est,
Sustinuitque Deos, ipsum Iove natus Atlantem
Fulciit, Anchisen Troia flagrante parentem
Sustulit Aeneae pietas, portata feroci
Nesso Deïanira fuit, se Pelion Ossae
Altior imposuit, tot portavere maritae
Obsessos cervice viros, carumque redemit
Quaeque sibi pondus coniux. Hoc audiat omnis
Posteritas, humeris magnum sublimibus Emmae
Insedisse procum, et neptim potuisse Pipini
Ferre marem, et pedibus iuvenem vexisse tenellis.
Coepta placent, alacrem velox Eginardus in Emmam
Insilit; illa attolit onus spectabile, portis
Egreditur calcatque nives, amplectitur ille
Virgineum caput et collo trepidantia nectit
Brachia, dumque gravis vehitur, sibi pondera vellet
Diminui fierique levis. Memorabile vidit
Et facinus Dictynna novam, nebulisque fugatis
Extulit os, risitque duos, plausere superne

Pleïades et raptae sibi virginitatis honorem
Excusant grandi exemplo, spectabat ab astris
Sueta capistratis vectari in tigribus uxor
Thyrsigeri formosa Dei, cum coniuge Cepheus
Claraque Cassiope fortem videre puellam
Ire per hibernas noctes, onerique misellam
Ingemere et laxis hinc illinc pendula vittis
Crura tenere manu, nec fastidire laborem.
Atque ea fallaci geminis dum nocte geruntur,
Quamvis tranquillae donasset membra quieti
Rex Carolus, iacet insomnis, quin plurima versans
Regnorum expendit casus, discrimina belli,
Martis opus, quantis alibi se viribus Hunnus
Erigat, adversasque acies opponat Iberus,
Colligat Albis spes, quae poscant foedera Mauri,
Quas aras statuat, quae surgant templa Tonanti
In Sorabis, quibus occultae mansuescere gentes
Obsequiis iussisque queant. Haec corde volutans,
Dum fugat ignavum pernox vigilantia somnum,
Proripit e strato corpus foribusque reclusis
Adspicit ignarus lepidae spectacula scenae,
Ut tenera grandem libret cervice tenella
Virgo virum, noctis medio, ventosque geluque
Spernat et infestae glacialia frigora brumae.
Ilicet excubiis vigiles arcessit, et ambos
Stare iubet, nec ferre gradum: captiva tenetur
Infelix Emma, atque humeris decussus amicis
Incubus; obgannit deprenso miles amanti,
Indulgetque iocis. Tunica velata recincta,
Collaque succiduo circum ludente capillo
Adstitit ante oculos patris moestissima virgo,
Oraque fixa solo retinens deplorat amores,
Consiliique inopes et stultos devovet ignes.
Stat iuxta pavidus scriptor, praetendere nescit
Ipse sui iudex animus, pallorque nocentem
Arguit, et versi commoto a Caesare vultus.
At pater ingentem servans sub corde dolorem,
Attonitusque stupet, tantique in virgini casus
Sceptra loqui prohibent, nunc lumina torquet in illam,
Nunc illum torvus formidandusque tuetur.
Ter pede pulsat humum frendens, adspectat amantes,
Discinctas ab amore togas, velamina circum

Pendula tot iamiam rapti argumenta pudoris;
Iratumque caput quassans, horrenda remugit
Murmura, murmuribusque minas regaliter addit.
Utque reos claudi tenebroso carcere iussit,
Tales sollicito depromsit pectore voces:
Heu, quam dura meas exercent fata tiaras!
Quae Carolum fortuna manet! venerabilis orbi
Totque Ducum maior titulis in prole fatiscit
Maiestatis apex, regni fastigia nostri
Depretiat sceleratus Hymen, privata dolemus
Damna patres, vitiisque ruunt immanibus aulae.
Inclinat regale decus, culmenque flagellat
Filia, et augusto scelus intertexit honori.
Prospera Gallorum currebant tempora rebus,
Concussusque meis iam mitescebat habenis
Mundus, et afflictis libertas reddita terris,
Et fuerat quoque, Roma, tibi; mihi signa genuque
Et Sclavus et Salae potor, Rhenique Dravique
Accola, et indomitus pridnm submiserat Astur.
Surgebant delubra Deo, meliorque vigebat
Relligio, cultique piis reverentia caeli.
Sed peccat, varioque domi se crimine quisque
Polluit. En, quanto soboles mea maior habetur,
Maius crimen habet, patriis iniuria sceptris
Dedidicit parere mihi, partisque triumphis
Obstrepit, et fulgens conspurcat sordibus ostrum.
Quam genui, minus illa mea est, scriptoris iniqui
Facta fuit pellex, rapuit vesanus amator
Virginitatis opes et castae symbola famae.
Gaudia sic socio vadunt permixta dolori,
Gloria dedecori, nihil omni ex parte beatum
Adspiciunt, qui cuncta regunt, sors maesta secundam
Diluit, et celebres infamant stupra coronas.
Iam dignos natae thalamos regumque parabam.
Foedera, sperabam nostrae connubia stirpi
Splendida, quique meis esset (proh Tempora!) regnis
Par gener, imbelles pervertit perfidus annos
Civis, et illustres exstinxit ganeo taedas.
Quas, Eginarde, tibi poenas, quae iusta rependam
Praemia flagitio? non simia, culeus unus,
Non serpens satis unus erit, discerpta merentur
Membra trahi, laceraeque rapi per compita partes:

Et tu, Nata, meae mox exerceberis ira,
Et iugulo moritura lues, quae stemmata Patrum
Quae claros abavûm cineres petulantibus ausis
Conspuis et proprii subvertis iura parentis.
Pone modum victor Carole, et mansuetior audi,
Et differ punire reôs, distingue duorum
Crimina, non peccant paribus vir, femina poenis.
Huic sexus pro parte favet, facilisque moveri
Credulitas, mollisque levis lascivia vitae.
Exeat aularum spatiis regumque penates
Despiciat pietas, non hac in sede morantur
Cum forma pudor, et mores sine labe pudici,
Aut tantos inter non tuta modestia luc**us**.
Forte aliquid causae dedimus, dum regia natam
Educat applausus inter lususque potentum
Obscoenasque ducum voces, bibit inscia ritus
Virgo malos, studiisque salax desuescit honestis.
Quin sua nascentem accendit Cytherea puellam,
Et crescit, placitura viro; se nubilis aetas
Erigit et seros audet sperare nepotes,
Ac taedet vixisse sibi, si dulce mariti
Poscitur officium, nimis est morosa parentum
Cura; placent pauci, quis fas sit nubere, reges.
Sic trahitur sperata dies, lectusque iugalis,
Et primos inter marcent matura calores
Tempora, nec metitur vernantis flosculus aevi.
Difficiles in amore sumus, decretaque matrum
Lenta nocent, donec se grandis filia prodat
Ignibus insanamque furor seducat amantem.
Expendam facti causas, quam quisque secutus
Aut quae quemque prior fuerit, suffragia poscam,
Nostraque decident istos subsellia casus.
Caesar ut attentis facinus mirabile rostris
Exposuit, quamvis celasset nomina prudens,
Damnant illa reos, et dira morte piandum
Censetur tam grande nefas, pariterque togatos
Ante patres Eginardus adest, et filia regis
Demissum velata caput, nil tristius unquam
Post Phaëthonteos vidisti, Cynthie, currus,
Leucothoësque rogum aut crudelis fercla Thyestis.
Advolat ad nutum stricto mucrone minister,
Adstat spectator Carolus, trabeataque circum

Pulpita, et austero Nemesis metuenda paratu
Tota riget. Tunc cernere erat pietatis amantum
Flebile dissidium, memorandi testis amoris
Lis fuit, et meruit veniam discordia felix.
Namque ubi prima mali scelerisque rogatur origo,
Se vocat Emma ream, sed contradicit amator
Adversusque sibi est: pergit sua pandere ab ovo
Crimina certa mori virgo: pro virgine fraudes
Ille suas variasque exaggerat ocius artes.
Alteriusque alter facti, spectante theatro,
Diluit invidiam, gignit concordia rixas,
Et partes facit acer amor, diversaque suadet
Indivulsa fides, proprio de funere quisque
Litigat, et tanto gestit vehementior esse,
Quanto amat uberius, simul indignantur amantque.
Culpa mea est, ait Emma; mea est, Eginardus: et hostis
Quisque sui est, causaeque suae contrarius obstat.
Mors geminis petitur, sed quam sibi poscit amator,
Praevenit haec; quamque illa cupit, cito praevenit ille.
Ecce, suos iuvenis cervici intenderat ictus
Lictor atrox, cum colla ensi velocior Emma
Supposuit, dixitque: Feri, me percute sontem,
Parce viro, genitor. Quoties ferienda seorsim
Emma foret, toties collo superirruit Emmae,
Meque feri, dixit iuvenis; complexibus haerent
Corpora, sic moritura simul, dubiusque satelles
Nec sic iuncta audet, nec singula colla ferire
Ense queat; rigidam Nemesin remorantur amores,
Alternusque in morte furor, stupet omnis et haeret
Haec inter multum dubius spectacula iudex,
Et poenam geminis animo vultuque remittit.
Haud aliter Tauros adiens Archivus Orestes,
Cum coram irato feralis victima staret
Rege, suis vidit Pyladem intercurrere fatis,
Proque suis Pylades rursum intercurrere Orestem,
Turbarique forum, languere ferocia Thracum
Pectora, barbaricumque iras posuisse tribunal.
At Carolus quamquam ancipitem praesentia mentem
In diversa ferant, et iam plus parcere natae
Exoptet, iuvenemque mori, iam iustior ultor
Esse velit, geminosque mori, iam lubrica verset
Corda hominum Veneremque levem, solumque beatos

Non peccare Deus: iam spretis maxima poenis
Regna quati, sperni leges, succrescere pravi
Semina et occultos stimulos peccantibus addi:
Mitescit, veniaeque favet, lenisque secures
Ire monet, placat fractum clementia regem,
Componitque truces vultus, patremque serenat
Virginis, et tumidos sedat mansuetior aestus.
Orchestram conscendit Hymen, Libitina fugatur,
Et tristis leti facies, puer aliger alas
Concutit attolitque faces. Pater, accipe, dixit,
Emma, virum, si primus amor peccavit amando,
Nunc coniux, nunc uxor ama. Cape nobilis Emmam
Et tabulas, Eginarde, tuas; adsuesce vocari
Progeniesque generque meus, tibi filia gignat
Martellos alios et nomina digna triumphis;
At male venturi caveant exempla nepotes.
Undique conveniunt Proceres, gratantur, et omnis
Effusis vacat aula iocis, connubia surgunt,
Concordesque ligant animos, se Gallia rotam
Latina explicuit, seu quae Braccata salutat
Massilum populos, seu Transalpina Togatis
Pandit rura viris, seu quae spatiosior exit,
Et sparsum nodo stringit Crinita capillum.
Subsiliit Liger, et famosis Sequana ripis
Plenior intumuit, sua sentiit Axona praeceps
Gaudia, sensit Arar, Rhodanus rapidusque Garumna,
Et tumido terras tunc Matrona proluit alveo.
Plurimus arsit amans, Emmam comitatur Amorum
Turba frequens, cingunt herbis redolentibus Emmam,
Erucaque comas et myrto tempora velant.
Tunc Glaucus Spathalen fertur, pulchramque Palaemon
Dorida dilexisse magis, Neptunus inisse
Tethya, Leucothëen Phorbas, Triton Panopaeam,
Perque patens Emmae fraudes cecinisse profundum,
Et calamum scriptoris; erat, qui carmine longo
Festivum recitaret opus. Speremus amantes,
Exclamat Melicerta, potest regalia vilis
Auspiciis Divûm pulsare cubilia scriptor,
Et facili iam rege frui, sibi maxima spondens,
Fit Superis propior, quidquid mens imperat, audax
Impetrat, ignavo nunquam fortuna timori
It comes, erectas constans fiducia nobis

Spes fovet, haud paribus semper palatia flagrant
Ignibus, admittat quemvis regina maritum,
Basiolumque rudi cupiat libasse subulco.
Sic plausere Deae, sic applausere Deabus
Laetantes passim Druidae, sed celsior alta
Despectans res humanas de nube Menippus,
Dum regum luxus et stultas ventilat aulas,
Et naso patrem Carolum suspendit et Emmam.

LXXIX.

Pauli (Diaconi) Langobardi erga principes suos regno destitutos fidelitas [1]).

— — De praedicto *Paulo*, unde fecimus mentionem, licet inculto sermone, aliquid de gestis eius huic Historiae intexere cupis. Et, ut praedictum est, ab omnibus erat dilectus, et merito proinde ei concessit gratia Christi, ut ab omnibus amaretur. Et quomodo homo eum exosum habere poterat, qui erat a Christo dilectus? Sed dum iniqua cupiditate Langobardi inter se consurgerent, quidam ex proceribus Langobardis talem legationem mittunt Carolo Francorum Regi, quatenus veniret cum valido exercitu, et Regnum Italiae sub sua ditione obtineret, asserentes, quia istum Desiderium tyrannum sub potestate eius traderent vinctum, et opes multas cum variis indumentis, auro, argentoque intextis, in suum committerent dominium. Quod ille praedictus Rex Carolus cognoscens, cum Francis, Alemannis, Burgundionibus, nec non et Saxonibus, cum ingenti multitudine Italiam properavit. Postquam in Italiam Rex Carolus venit, Rex Italiae Desiderius, a suis quippe, ut diximus, fidelibus callide est traditus: quem ille vinctum suis militibus tradidit; et ferunt alii, ut lumine eum privasset. Atque ipse Carolus Rex firmatus est totius Italiae. Solus Dux Arichis Benevento reman-

---

1) *Anonym. Salernitan. Chron.*, *Cap.* IX, ap. *Muratori*, *Script. Rer. Ital.* Tom. II, P. 2, p. 179 ff. Dieselbe Geschichte erzählt *Leo Marsicanus*, *Histor. Cassinens.* I, 15, (*Muratori*, Tom. IV.). Sie ist unbezweifelt den Fabeln beizurechnen, wiewohl deutlich aus ihr hervorgeht, was schon anderweitig bemerkt worden ist, dass Paulus Diaconus nur mit Widerstreben dem Frankenkönige gefolgt zu sein scheint.

sit, iussa eius contemnens, pro eo quod capiti suo pretiosam deportaret Coronam. Ut cognovit talia Rex Carolus, valde est iratus, atque nimirum per iusiurandum asseruit dicens:

Nisi sceptrum, quod in manu mea gesto, Arichis percutiam pectus, vivere nolo.

Ipse, de quo praediximus, Paulus bis denique Regi Carolo mortem molitus est pro sui Regis Desiderii fide. Cumque talia Regi Carolo relata a suis fidelibus fuissent, toleravit propter nimium amorem, quo eum diligebat. Sed dum tertio perpetrasset, talibus eum Rex allocutus est verbis:

Dic mihi, inquiens, Diacone Paule, pro qua re bis terque nostrae Reverentiae mortem molitus es?

Ille, ut erat magna nimis audacia, ei responsum reddidit:

Fac, quod facturus es; quia veritatem dico; et falsum ex ore meo nihil profero. Fui quippe fidelis quondam Desiderii Regis, et ipsa fides apud nos hactenus manet.

Cumque in patulo, omnibus assistentibus Proceribus, talia protulisset verba cum iurgiis suis, praecepit militibus, qualiter eum sine mora privarent manibus. Sed dum Ministri talia implere vellent, ipse piissimus Rex prae nimio amore, quo eum diligebat, et propter eius sagacitatem alta trahens suspiria, hasce in voces erupit:

Heu proh dolor! inquit, quomodo manibus eius abscindimus, ubi tam elegantem Scriptorem reperire valemus?

Assistentes denique, ut praediximus, Proceres, nec non et Optimates, qui eum exosum habebant, propter quandam, ut diximus, Desiderii Regis fidem, in hunc modum responsum dederunt:

quia si hunc Diaconum, o Rex, illaesum sinis abire, Regnum tuum stabilitum minime habebis.

At Rex talia depromit verba:

Mihi, inquit, dicite, quod exinde vobis comparet.

Et illi dolosa voce dixerunt:

Illico evellantur eius oculi, ut nec cedulas, nec literas contra vestram Dignitatem, nec contra vestrum imperium hactenus peragat.

Cumque servitatem simul, et duritiam in suis militibus cerneret, sese valide perturbavit, cogitans, qualiter eum de dicta poena liberaret, adiiciens:

Ubi tam industrissimum, atque praeclarissimum poetam, nec non et historiographum invenire queamus?

His dictis, optimates eius siluerunt, et ipsius praeceptis missus est in exilium, ut illic cruciaretur: quod factum est. Dumque

vinctus, ut diximus, in Insulam deveniret in exilium, diu illic nempe cruciatus est. Sed ipsum Paulum, veritatem, quae Christus est, amantem veritas ipsa per magnam suam potentiam mirabiliter liberavit. Nam quidam homo, qui saepissime eius famulatui inerat, clàm de dicta insula eum expediit, et cum eo Beneventum repedavit. Cumque nuntiatum esset Principi Arichiso, magno gaudio est repletus, eo quod a multis ante temporibus formam eius cernere optaret. Atque ex ore eius dulcia verba in arcano sui pectoris cum equitibus in eius misit occursum. Cumque Beneventum introisset, super collum eius ipse piissimus Princeps ruens, flebat plane prae gaudio, et eum osculabatur. Ipse, de quo iam diximus, Paulus ad quandam Domini sui filiam venit, atque uxorem praefati Principis *Adelpergam* nomine, de quá iam supra diximus, et humiliter subdidit adiiciens: Sum fraudatus a genitore tuo piissimo, non me fraudavit Dominus de suis natis; insuper et ostendit mihi suam sublimissimam prolem. Ipsa Principissa piissima inter dicta verba dolenter flebat.

LXXX[1]).

I.

1 De Clotario est canere rege Francorum
qui ivit pugnare cum gente Saxonum.
quam graviter provenisset missis Saxonum,
si non fuisset inclitus Faro de gente Burgundionum!
2 quando veniunt in terram Francorum,
Faro ubi erat princeps, missi Saxonum,
instinctu Dei transeunt per urbem Meldorum [2]),
ne interficiantur a rege Francorum.

II.

1 Aurora cum primo mane tetram noctem dividens,
sabbatum non illud fuit, sed Saturni dolium [3])
de fraterna rupta pace gaudet daemon impius.

---

[1]) S. den Kommentar zu Kapitel XXIX.
[2]) Meaux.
[3]) Das Satansfass, der Pandorenbüchse vergleichbar.

2 Bella clamant hinc et inde, pugna gravis oritur,
frater fratri mortem parat, nepoti avunculus,
filius nec patri suo exhibet, quod meruit.
3 Caedes nulla peior fuit, campo nec in mercio [1])
facta est lex christianorum sanguine pluvi[atili],
unde manus infernorum gaudet gula cerberi.
4 Dextra praepotens Dei protexit HLotharium,
victor ille, manu sua pugnavitque fortiter,
caeteri si sic pugnassent mox foret concordia.
5 Ecce olim velut Judas Salvatorem tradidit,
sic te rex tuique duces tradiderunt gladio.
esto cautus ne frauderis, agnus, lupo previo [2])!
6 Fontaneto fontem dicunt, villam quoque rustici,
in qua strages et ruine Francorum de sanguine;
orrent campi, orrent silve, orrent ipsi paludes.
7 Gramen illud ros et imber nec humectet pluvia,
in quo fortes deciderunt proelio-doctissimi!
plangent illos, qui fuerunt illo casu mortui!
8 Hoc autem scelus peractum, quod descripsi rithmice,
Angelbertus [3]) ego vidi, pugnansque cum aliis,
solus de multis remansi prima frontis acie.
9 Ima vallis retrospexi verticemque Inieri [4])
ubi suos inimicos rex fortis HLotharius
expugnabat fugientes usque forum rivuli.
10 Karoli de parte vero HLudovici pariter
albescebant campi vestes mortuorum lineas [5]),
velut solent in autumno albescere aribus [6]).
11 Laude pugna non est digna, nec canatur melode!
oriens, meridianus, occidens vel aquilo
plangent illos, qui fuerunt [7]) in illo casu mortui!
12 Maledicta dies illa nec in anni circulo
numeretur, sed radatur ab omni memoria!
iubar solis illi desit, aurora crepusculo!
13 Nonque [8]) illa nox amara noxque dura nimium,

---

1) Märzfeld.
2) Für pervio, wie praevigilium statt pervigilium.
3) Merkwürdig, dass Nithart, Hauptschriftsteller über diese Schlacht, Angelberti filius heisst. S. den Kommentar zu Kap. XIX. und oben die Einleit. S. 24.
4) Inieris, Ingeris, jetzt Indre, ein Fluss; dessen *vertex* Gipfel wohl hier: Ursprung auf dem Gipfel.
5) i. e. *linceux.* — vestes statt vestibus. 6) i. e. *Aehren.*
7) Zweisilbig. 8) sc. *numeretur.*

in qua fortes ceciderunt praelio-doctissimi,
pater, mater, soror, frater, quos amici fleverant.

III.

1 Audite omnes fines terre errore cum tristitia,
quale scelus fuit factum Benevento civitas!
Lhuduicum comprenderunt sancto pio augusto.
2 Beneventani se adunarunt ad unum consilium,
Adalferio loquebatur et dicebant principi:
„si nos vivum dimittemus, certe nos peribimus.“
3 Celus [1]) magnum preparavit in istam provintiam,
regnum nostrum nobis tollit, nos habet pro nihilum,
plures mala nobis fecit, rectum est ut moriad.
4 Deposuerunt sancto-pio de suo palatio;
Adalferio illum ducebat usque ad pretorium,
ille vero gaude visum [2]) tamquam ad martirium.
5 Exierunt Sado et Saducto, invocabant imperio
et ipse sancte-pius incipiebat dicere:
„tamquam ad latronem venistis cum gladiis et fustibus.
6 Fuit iam namque tempus vos allevavit in omnibus
modo vero surrexistis adversus me consilium,
nescio pro quid causa [3]) vultis me occidere.
7 Generacio crudelis [4]) veni interficere,
ecclesie quae sanctis Dei venio diligere,
sanguine veni vindicare quod super terram fusus est.“
8 Kalidus ille temtator ratum adque nomine
coronam imperii sibi in caput ponet et dicebat populo:
„ecce sumus imperator, possum vobis regere.“
9 Leto animo habebat de illo, quo fecerat,
a demonio vexatur ad terram ceciderat,
exierunt multae turmae videre mirabilia.
10 Magnus dominus Jesus Christus iudicavit iudicium,
Multa gens Paganorum exit in Calabria,
super Salerno pervenerunt, possidere civitas.
11 Juratum est ad sancte Dei reliquie.
ipse regnum defendendum et alium requirere.

---

1) Scelus.
2) gaudevisus, gavisus. Vielleicht ist *illi* zu schreiben.
3) Vielleicht ist zu lesen *causarum*. 4) Die Saracenen.

LXXXI.

Schilderung der Franken [1]).

— — — Fors ripae colle propinquo
Barbaricus resonabat hymen, Scythicisque choreis
Nubebat flavo similis nova nupta marito,
Hos ergo, ut perhibent, stravit, crepitabat ad ictus
Cassis, et oppositis hastarum verbera thorax
Arcebat squamis, donec conversa fugatus
Hostis terga dedit. Plaustris rutilare videres
Barbarici vaga festa tori, convectaque passim
Fercula, captivasque dapes, cirroque madente
Ferre coronatos redolentia serta lebetas.
Ilicet increscit Mauros, thalamique refingit
Plus ardens Bellona faces: rapit esseda victor,
Nubentemque nurum. Non sic Pholoëtica monstra
Atque Pelethronios Lapithas Semeleïus Evan
Miscuit, Aemonias dum flammant orgia matres
Et Venerem Martemque cient, ac prima cruentos
Consumunt ad bella cibos, Bacchoque rotato
Pocula tela putant, cum crudescente tumultu
Polluit Aemathium sanguis Centauricus Othrym.
Nec plus nubigenum celebrantur iurgia fratrum:
Hic quoque monstra domat, rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta iacet, nudataque cervix
Setarum per damna nitet: tum lumine glauco
Albet aquosa acies, ac vultibus undique rasis,
Pro barba tenues perarantur pectine cristae.
Strictius assutae vestes procera coërcent
Membra virûm, patet his altato tegmine poples,
Latus et angustam suspendit balteus alvum.
Excussisse citas vastum per inane bipennes,
Et plagae praescisse locum, clypeosque rotare
Ludus, et intortas praecedere saltibus hastas,
Inque hostem venisse prius. Puerilibus annis
Est belli maturus amor, si forte premantur
Seu numero, seu sorte loci, mors obruit illos,
Non timor. Invicti perstant, animoque supersunt
Iam prope post animam. — — —

---

1) *Sidonius Apollinaris*, Panegyricus Maioriani, v. 218 folgd. Im Jahre 458 geschrieben.

LXXXII.

Sanctiones Synodales

in oppido *Risbach* Dioeceseos Ratisponensis [1]).

I. In aede sacra ne strepunto: ne ambulanto: ante finem rei divinae ne excedunto.

II. Presbyter ante annum XXX. aetatis ne consecretur: nec nisi vita et moribus ante exploratis.

III. Clerici feria IV. et VI. carne et vino abstineant, praeterquam a Paschate ad Pentecosten: a Nativitate Domini ad Epiphaniam; Festisque diebus SS. Apostolorum, B. V. Mariae, S. Michaëlis, S. Johannis Baptistae, S. Martini. Hac tamen lege hospitibus, aegrotis, viatoribus iisque, qui belli degunt, exemtis.

IV. Usus vestitum (*vestium?*) sit more communi.

V. Clerici ne sibi vindicent bona Nobilium.

VI. Decimae dividantur in partes quatuor: in Episcopum, Sacerdotes, egenos, Ecclesias.

VII. Viduarum, pupillorum, caecutientium, inopum cura sit penes Episcopum. Mendicabula ne tolerentur. Suos quique populares oppidani pagensesque alunto.

VIII. Memoriae Sanctorum ac Martyrum ignotorum ne fiant.

IX. Venifici et Necromantae cadentis ferri examine probentur.

X. Cucullum nisi Monachi aut gelu cogente ne gestent.

XI. Monachi ne sunto Curiones.

XII. Episcopi ne sibi arrogent Abbatias [2]); Praelati aut Clerici ne bona sacra ad ius regnum pertinentia, in usumque Nobilium deputata.

---

De die Dominico ita constitutum est, ut tali honore habeatur, sicut in lege scriptum est, et in decretis canonum, et si quid praesumpserit frangere contra legem, aut decreta canonum tali poena subiäceat, sicut ibi scriptum est. De hereditate, quae tradita est ad Ecclesiam, ita constituit, ut quisquis heriditatem suam ad Ecclesiam ante donaverat, aut postea donaverit, si quid mutare voluerit, chartam suam, habeat ita scriptam, ut locum et tempus et personam habeat, aut tribus testibus fidelibus et nobilibus testificetur. Si sacerdos non habeat chartam nec testem, ut praediximus, tunc sicut in lege Baioariorum [1]), et iudex iudicat, sic defendat. De eo quod Episcopi iuxta canones, et Abbates monasteriorum iuxta regulam viventem, ita constituit. De eo, quod sanctae moniales, quae in servitio Dei sunt, ita constituit; ut nullus ausus sit in coniugium et in matrimonium ducere. Aut si quis ausus fuerit, contra decreta canonum, ita componat, sicut canones decreverunt. De eo, quod ius ad legem quam habuerunt in diebus patris sui, nobiles et liberi et servi eius, ita donaverunt, ut firma fieret. De eo, quod ut si qui de nobili genere de hereditate sua dare ad sanctuarium Dei, in sua potestate esset, nec mutaret, in perpetuum. De eo, quod ut servi Principis qui dicuntur Adelscalhe, ut suam habeant Weregeldam, iuxta morem quem habuerunt, sub parentibus, et ceteri minores Weregeldi iuxta legem suam, ita constituit. De eo quod parentes Principis, quodcumque praestatum fuisset, nobilibus intra Baiuarios hoc constituit: Ut permaneret et esset sub potestate uniuscuiusque reliquendam posteris, quamdiu stabiles foedere servassent apud Principem, ad serviendum sibi, et haec firma permaneret, ita constituit.

De eo, ut nullus de hereditate sua privetur, nisi per tres causas, quas in pacto scriberentur: propter homicidium, hoc est ut quisquis hominem componet secundum legem, tunc privetur hereditate sua. De eo, quisquis mulierem nobilem acceperit in coniugium, et non praescivit, ita constituit, ut iterum libera esset, dimittat servum et postea non redigatur in servitium, sed esset libera. De eo quod etsi quis de quocunque reatu accusatus ab aliquo potestatem accipiat, cum accusatore suo pacifi-

[1]) Tit. I, cap. 1. Vergl. *Georgisch*, Corp. Iur. German. ant. p. 195. §. 215. Lex Alamannor. Tit. I, §. 1. II, §. 1. 2. Tit. XIX. *Schönemann*, *Versuch eines vollständigen Systems der allgemeinen besonders älteren Diplomatik*, Th. II, S. 207 folgd. §. 228, Anm.

care, si voluerit, antequam pugnam, quae Wehadinc vocatur, permittat. De eo, quisquis de nobili genere deprehensus fuerit de illis IV. causis, de quibus supra diximus, si ille hereditate sua portionem pro illius criminis reatu perdat, uxor autem illius suo iure non privetur, ita constituit.

De collaudatione, quam Episcopi et Abbates in Baioaria inter se fecerunt, pro defunctis fratribus.

In Christi nomine. Notitia, qualem convenientiam gentis Baioariorum Episcopi et Abbates inter se fecerunt: quorum nomina infra perarare stylo decrevimus. Id est, Manno Nuiuenpurgensis [1]) scivit. Episcopus Alim [2]), Virgilius [3]), Wiserich, Sintprecht [4]), Heres, Episcopi. Opportunus, Wolfprecht, Adalprecht, Ato, Uto, Lantfrit. Albune, Ruothart, Ernest, Reginprecht, Volchanhart, Perhhoz, Sigido, Abbates. Ut eorum quis de hoc luce migraret, unusquisque superstitum Episcoporum vel Abbatum pro defuncto, in domo sua Episcopali vel Coenobio C. missas speciales et eodum numero psalterio cantare fiat; ipse vero de propria persona sua XXX. speciales missas compleat, vel a religiosis sibimet subiectis, implere omnino praenotatum faciat numerum, presbyteris sive monachis, cum de hoc saeculo migraverint, Episcopus seu Abbas, uno presbytero vel uno monacho, XXX. missas speciales, totidem psalteria faciant celebrari.

De popularibus legibus. — Praenotatus Princeps, universo concordante collegio, hi constituit. Ut nullus a provinciae suae mancipium limine venumdare, vel proprium vel fugitivum, praesumpserit. Et si quis hoc decretum non observaverit, Weregeldo suo cupabilis remaneret. Et nullus furtivam rem, tam in equis et aliis quadrupedibus, quam in reliqua supellectilia extra finem Baioariorum venundare vel machinis diabolicis extra minandi, infidus regi, ut si quis hoc praesumpserit, XL. solidos componat in publicum. Ut quis domum, tam liber quam servus, altius effoderit, et ibi occisus fuerit, sine compositione in sua dam natione permaneat. Si autem supellectilia abstulerit de eadem domo, et eo fugiente in curtem vel extra curtem, hic cui damnum intulit consequitnr, et interfecit, pari subiaceat sententia. Similiter qui liberum vel mancipium suum furaverit, et

---

[1]) Der Bischofsitz wurde im Jahre 775 von Neuburg nach Augsburg verlegt. S. *Hund*, Metrop. Salisburg. II,, p. 524.

[2]) Bischof v. *Seben* in der Grafsch. Tyrol in der Nähe v. Botzen. Der Bischofsitz wurde späterhin nach Brixen verlegt. S. *Hund*, Metrop. Salisburg., I, p. 441.

[3]) S. *Beil.* nr. LXXXIV, *b.* S. 266.

[4]) Bischof von Regensburg, der im Hunnenkriege fiel, S. *Velser*, *Rer. Boioar.* VI, a. 791. *Hund, a. a. O.*, I, p. 244.

cum comprehendere minime quiverit, et ibidem interfecerit reum, superior permaneat sententia. Sed tamen ea genera trium homicidiorum, debita vicinis suis, et his qui assistunt, insignet. De pugna duorum, quod Wehadinc vocatur[1]), ut prius insortiantur quam parati sunt, ne forte carminibus, vel machinis diabolicis, vel magicis artibus insidiantur. Qui supra praedictae pugnae, quod *chamfvvik*[2]) diximus, peracto iudicio, se simili vindicta erigere contra quaerentem praesumpserit, sacramentum quod ante id dicitur, iuret in Ecclesia, cum tribus nominatis sacramentalibus[3]). De eo quod Baioarii Stapsaken dicunt, in verbis quibus ex vetusta consuetudine paganorum idolatriam reperimus, ut deinceps non aliter, nisi indicat qui querit debitum, Haec mihi iniuste abstulisti quae reddere debet. Reus vero contra dicat, nec hoc abstulisti, nec componere debeo. Iterata voce, requisito debito, dicat, extendamus dexteras nostras ad iustum iudicium Dei, et tunc manus dexteras uterque ad caelum extendat. Ut nullus furtivam rem suscipere, vel intra terminum abscondere praesumat, qui hoc fecerit XL. solidos componat. Ut hi qui Ducali manu liberi dimissi sunt, ad eadem cogantur iudicia quam Baioarii Urtella dicunt. Ut hi qui in Ecclesia libertatem conquirebant, deinceps, tam ipsi quam eorum posteritas, in secura libertate permaneant, nisi forte sibi ipsimet insolubile damnum inferant, quod componere minime quiverunt. Qui ex eis occidentur, pretium eorum his solvatur Ecclesiis, ubi liberi dimissi sunt. Liberi qui ad Ecclesiam dimissi sunt liberi, vel per chartam acceperunt libertatem a Rege, si occidantur LXX. sol. componantur Ecclesiae vel filiis eorum, in Dominico XL. sol. componantur. Si ancilla libera dimissa fuerit per chartam aut in Ecclesia et posthac servo nupserit, Ecclesiae ancilla permanet. Si autem libera Baioario servo Ecclesiae nupserit et servile opus ancilla contradixerit, abscedat, si autem ibi filios vel filias generaverit, ipsi servi et ancillae permaneant, potestatem exinde non habeant. Illa autem mater eorum quando exire voluerit ante annos III. liberam habeat potestatem; Si autem III. annos induraverit opus ancillae et parentes eius non exadomaverint eam ut libera fuisset, nec ante Comitem, nec ante Ducem, nec ante Regem, nec in publico mallo, transactis tribus Kalendis Martis,

---

1) Die Vermuthung von Hund, dass wehrdinc gelesen werden müsse, ist ganz falsch. S. Zus. zu den Beil. S. 109, Z. 11. *Graff*, s. v. *dinc*.

2) S. *Graff*, *Althochd. Sprachsch.*, I, S. 707.

3) Ueber das Institut der *Eideshelfer*, aus dem sich späterhin in England die Geschworenengerichte entwickelt haben, ist schon oben gesprochen worden. S. auch den Komm. S. 180, Anm. 2.

post haec ancilla permaneat in perpetuum, et quicunque ex ea nati fuerint, servi et ancillae sunt. Qui furtivam, quod *Zougenzucht*[1]) dicitur, super furem comprobare nequiverit, furtivo compon. more. Qui resisterit domum suam, quod *selisuchen* dicunt, qualem rem querenti resistebat, talem componat in publico XL. solid. Qui manum immissionem resisterit, quod *Hantelod* dicitur, XL. solid. solvat in publico, et ipsam rem quaerenti reddat. De his qui supradictis homicidiis debita morte in furtivo repertis, ut si quis huius interfecti parentelae, eum qui suo scelere captus est, vindicare tentaverit, a propria alode alienus efficiatur. Et si quis signum, quod est sigillum, inhonoraverit, vel huiusmodi iniuncta minime impleverit, prima vice arguetur, secunda XL. sol. componat, III. suum Weregeldum, IV. extraminetur ab acto officio. Ut si quis iudicium furti in bina vel terna reprehensione non damnaverit, et eum diabolico lucro dimiserit, ut per illum quasi conparticeps, pauperum spoliis ditarentur, tot sceleris quod commiserit ante oculos Dei et angelorum efficiatur, et nihilo minus cuius fraudem fecerit, quasi proprium componat debitum. Ut si quis in virtute coniunctus, a coniuge propria adulterina separatus fuerit, eiusque ex cognatione coniugis propter eandem dimissionem[2]) quae eum persequi tentaverit, a proprio alienetur patrimonio. Ut nullus post tonsuram capillos usu populari nutrire praesumat: nec velata, relicto velo, saecularem habitum sumat. Ut si quis vel qua in hoc vitio reperti fuerint, aut corripiantur aut excommunicentur.

LXXXVI.

Einhardi testamentum[3]).

Dominus ac redemptor noster corporaliter in terris conversatus, homines variis peccatorum sordibus inquinatos ammonere dignatus est, dicens: date elemosinam, et ecce omnia munda sunt vobis, et iterum: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in aeterna tabernacula. Idcirco nos in ipsius Dei omnipotentis, et ista iubentis nomine *Einhardus* et *Imma* simul de salute animarum nostrarum cogitantes et de abolendis peccatis nostris beataeque ac perpetuae vitae premiis consequen-

---

1) Zeugenthum. 2) In der Handschrift *dimissione*.

3) *G. Helwich*, Antiquit. Laurishamens., p. 41 der älteren Ausgabe; p. 22 sq. in der Sammlung von *Joannes*, Script. histor. Moguntin. inserv. Tom. novus, Frankf. 1717, fol. S. auch den Codex Laurishamensis, Vol. I, p. 46 sqq.

dis pari devotione tractantes, hoc testamentum facere decrevimus, per quod spontanea et integra voluntate donamus, quod ab hodierna die donatum esse volumus, id ėst, cellam nostri iuris vocabulo *Michlenstat* sitam in pagò *Plumgowe*, in silva, quae dicitur *Odenewalt*, super fluvium *Mimilingum*, quam nobis gloriosissimus princeps dominus Ludovicus imperator largissima liberalitate concessit et de iure suo in nostrum ius solemni donatione transtulit, ac praecepti sui auctoritate in proprietatem nobis confirmavit. Hanc, ut diximus, cellam sub integritate cum omnibus appenditiis et terminis suis, et cum omnibus ad se pertinentibus ibidem basilicis, domibus, caeterisque aedificiis, terris, pratis, sylvis, campis, [pratis], pascuis, aquis, aquarumve decursibus, cultis locis, et incultis, mobilibus rebus et immobilibus, ac se ipsas moventibus, mancipiis diversi sexus et aetatis numero centum, donamus et tradimus ad basilicam sive monasterium venerandi martyris Christi Nazarii, quod vocatur *Lauresham*, et est constructum in *pago Renense*, in ripa fluminis, quod dicitur *Wisgoz*, ubi tempore praesenti vir venerabilis Adalungus abbas Deo deservientis congregationis pastor et rector esse cognoscitur, ea videlicet ratione memoratam donationem atque traditionem facientes, ut quamdiu in hac mortalitate divina iussione vixerimus, habeamus praedictam cellam in nostra potestate, et sub nostra ordinatione absque ullius personae aut potestatis contradictione vel impedimento, tam simul quam singillatim per successionem, si uno superstite alter nobis ante decesserit, filios quoque si nos habere contigerit, unus ex eis in eadem possessione nobis iure precario succedat, post obitum vero nostrum memorata cella cum omni integritate ad praenominatum venerabile monasterium abque ullius contradictione recipiatur, et in eius potestate atque dominio perpetuo permaneat. Et si aliquis contra hoc nostrae dominationis testamentum resultare voluerit, aut illud convellere atque evacuare temptaverit, primitus Christum et sanctum martyrem eius Nazarium nefandis ausibus suis contrarium sentiat, et insuper fisco distringente multam de rebus propriis parti praedicti venerabilis monasterii coactus exsolvat, auri videlicet libram unam, argenti pondo XII, et hoc testamentum atque haec donatio nostra firma et inviolata permaneat, et si quocunque tempore a quolibet homine aliud instrumentum in nostro nomine prolatum fuerit, quod huic nostro testamento contrarium sit, indicium datorum anterius vel posterius habens, etiam si manu nostra videatur vel dicatur esse firmatum, vacuum et inane remaneat, et nullum effectum obti-

neat, sed, ut praediximus, haec donatio nostra perenni stabilitate firma et inviolabilis perseveret, stipulatione subnixa. Et ut hoc testamentum iuxta legis consuetudinem, integram firmitatem accipiat, propriae manus subscriptione illud firmare decrevimus, et idoneorum testium, qui ipsam donationem viderint, signaculis roborare fecimus. Facta donatio in *Laureshamo* monasterio II. idus Septembris [1]), anno VI. regni domini nostri Ludowici gloriosissimi imperatoris in Dei nomine feliciter. Ego *Einhardus* peccator et donatôr recognovi et manu propria subscripsi. Ego *Imma* consensi et subscripsi. Signum Rabangarii. Signum Warbotonis. Signum Wolfberti et aliorum. Ego Hirmimarus diacônus et notarius imperialis rogante Einhardo hoc testamentum scripsi et subscripsi.

Huius donationis suae tenorem et locorum terminorumque descriptionem ipse Einhardus hoc modo designavit.

Quoniam sunt quidam qui fastu saeculari turgentes, et semet ipsos amantes, a Christi fidelibus sacris ecclesiis seu monasteriis contradita invadunt, aut ut sibi haereditario iure retineant, aut mundiali baltheo in beneficio dividant; Ego *Einhardus*, ne in his, quae de regia manu Ludowici imperatoris in loco *Michlenstat* contraxi, manus iniquorum praevalaet, advertat obsecro fidelium tam sequentium quam praesentium memoria, qualiter in unum sint collecta, quibusve expressa vocabulis. Postquam eum locum praenominatum Laureshamensium dominationi subiugare disposui; adscitis quibus notum fuerat, terminum et vocâbula locorum diligenter investigavi, et recenti memoria notarium meum Lutherum éxprimere litteris iussi, ea videlicet circumspectione, quia multorum monasteriorum eis praedia coniunguntur et diversorum dominorum beneficia circumquaque terminantur. Haee igitur terminorum loca et locorum vocabula designantur hoc modo: dum a monte *Mamenhart* incipiunt, et totum eundem montem usque ad plateam comprehendunt, a platea usque ad duplicem quercum, inde inter *Ulenbuch* et *Rumpheshusen* ad quercum, de quercu in fluvium *Bramaha*, per huius descensum in *Wllinebach*, per huius ascensum usque ad lapideum rivulum, inde ad *Wllineburch* per unam portam intro, per alteram foras. Inde in ripam *Euterun*, per huius descensum ad *Langenvirst*, ubi Langenvirst scinditur. Super Langenvirst ad *Breittensol*, inde per *Eichendal* in flumen *Urtella*. Per huius ascensum in *Vinsterbuch*, inde ad *Phaphenstein* Einhardi. A Phaphensteine supra

---

1) 12. Septembr. 819.

Richgeressneitten, inde ad verticem *Clophendales* ad *Clophenbeck*, inde in *Cuningesbrunnen*, per huius descensum in *Mimelingen*[1]), per huius ascensum ad *Manegoldescellam*. Ab hac in fluvium *Mosaha*, per huius ascensum in *Geroldesbrunnen*, inde ad *Ellenbogen* in fluvium *Barnbach*, per eius descensum in *Mimelingen*, ex qua ad quercum inter *Grascapht* et *Munital*[2]), inde iterum ad montem *Mamenhart*.

LXXXVII.

Testamentum Gislae Reginae

uxoris Childerici Regis[3]).

Die Königin Gisla, Gemahlin des letzten Merwingers *Childerich*, welche in das Kloster Kochelsee in Baiern ging und daselbst starb, vermachte diesem ihren Nachlaſs. Man findet das Verzeichniſs desselben in einem uralten von derselben Königin dem Kloster geschenkten Codex verzeichnet, welcher vierzig Homilien vom Papst Gregor I. enthält. Geschrieben worden ist dieser Codex von Hengilhardus und Chadoldus, den Sacellanen der Königin. Am Schlusse des ersten Theiles stehen die Worte: Ora pro Scriptore, si habeas Deum Adiutorem, *Hengilhard*, und am Schlusse des zweiten: Expliciunt Omeliae beati Gregorii Papae. Chadold Presbyter scripsit istas Omelias, qui cum Regina Kysila venit ad Monasterium S. Archangeli ad Quohchalum. Dann folgen die Worte: Obitus Domnae Kysilae Monialis et Reginae sub die idus Martii. Auf der nächsten Seite hat eine Hand aus dem IX. Jahrhundert folgendes hinzugefügt: Descriptio pecuniae, vel librorum, quos ad Ecclesiam sancti Michaelis Archangeli ad Quochalum tradidit Kysila Monialis Regali Francorum progenie edita pro sui commemoratione:

Liber I. Genesis.
II. Regum.
III. Salemon.
IV. Job infra alt.
V. Prophetiae.

---

1) Der Fluss *Mutling*.
2) I. e. inter *comitatum* et *immunitatem* seu terminum coenobii.
3) Zu vergleichen mit dem Breviarium rerum fiscalinum. *Beil.* nr. LXXXIII.

VI. Actus Apostolorum.
VII. Liber Epistolarum Pauli.
VIII. Omeliae beati Gregorii Papae, in quo titulus iste habetur: XL. Omeliae.
IX. Maior Collect.
X. Sermonarium.
XI. Passionarium.
XII. Liber Synonyma.

Antiphonaria II. et II. Gradalia, et II. Missalia, et II. Lectionarii cum Evangel., unum Psalterium, quos per suos Capellanos fecit scribi Engilhardum, Chadoldum, Tracholfum [Frisingensis Ecclesiae Episcopum; — Einschiebsel späterer Hand von einem Schreiber des XI. Jahrhunderts], Rupertum, Racholfum.

Descriptio Pecuniae.

Sindones lineas IX. coccineas XI. et unum Pallium. Sindodones Quadragesimales IV. laneas, et unum castoneum, et III. cortinas et superhumeralia III. et III. Albas. Stolas coccineas, et IV. linea, et V. castonea. Casulas IV. Manuphanones V. coccin. et VI. linea. Calices III. cum patenis. Thuribulum unum. Subdile unum. Dalmaticam unam. Ad Monasterium S. Benedicti Benedictoburanum beatissimi Confessoris Christi singulariter tradidit libros, et pecuniam multam. Cuitingam Regiam Villam cum omnibus pertinentiis suis, et cum omni iure, quo sibi servivit: tradidit ad idem altare S. Benedicti suis Servatoribus pro commemoratione sui omniumque Christianorum. Vestimenta quoque Monachis praebebat de propriis sumtibus omne tempus vitae suae. Sub die idus Martii migravit de hoc saeculo in pace. Amen[1]).

---

1) *Meichelbeck*, *Chron. Benedictoburan.*, I, 1, 3, p. 15 bemerkt hierbei: *Sindonum* nomine intelliges linteamina, in quibus tum panis Eucharisticus asservabatur: vel etiam vela linea, quibus altaria conteguntur. *Pallium* tibi idem erit ac velum, quo operitur calix. *Cortina* idem ac velum, quod ponitur ante altare, vulgo *antependium*. *Manuphanones* hodie manipulos vocamus: *Subdile*, superpelliceum. — Noch sei bemerkt, dass der Mönch *Gottschalk* im Chron. Benedictoburanum ausdrücklich sagt, die Königin Gisla sei durch den Heil. *Bonifazius* veranlasst worden, gerade dieses Kloster auszuwählen.

LXXXVIII.

Abrenuntiatio Diaboli [1].

Forsachistu Diabolae? *Et resp.* Ec forsacho diabolae. End allum diabol gelde? *Resp.* End ec forsacho allum diabol gelde. End allum diaboles wercum? *Resp.* End ec forsacho allum diaboles wercum und wordum; thuna eren de Vuoden end saxnote; ende allem them unholdum, the hira genotas sint.

Professio fidei. Gelobistu in got almehtigan fadaer? *Resp.* Ec gelobo in got almehtigan fadaer. Gelobistu in Crist godes suno? *Resp.* Ec gelobo in Crist godes suno. Gelobistu in halogan gast? *Resp.* Ec gelobo in halogan gast.

LXXXIX.

Hadriani I. Pontificis Bullae pro Carolo Magno,

rege Francorum, Langobardorum et Alamannorum, de iure et potestate eligendi summum Pontificem et ordinandi Apostolicam Sedem dignitatemque Patriciatus et investituras Episcoporum [2].

Romae constituta est Sancta Synodus a beato Adriano Papa in Patriarchio Lateranensi; videlicet in Ecclesia sancti Salvatoris, quae reverendissime celebrata est a centum et quinquaginta tribus viris religiosis, Episcopis et Abbatibus, Iudicibus etiam et Legis Doctoribus, ab universis regionibus et ordinibus huius almae urbis, a cuncto etiam Clero huius sanctae Romanae Ecclesiae: exquirentes usus, leges et mores eiusdem Ecclesiae et Imperii; quemadmodum etiam haereses et seditiones aboleri possent de Apostolica Sede et dignitate Patriciatus et Romano Imperio, ex quibus omnibus nimius error crescebat in universo orbe. Populus itaque Romanus legem condebat more solito. Sed difficile erat pro unoquoque negotio totiens in unum congregari: unde sua in ius et potestatem Imperatori concesserunt,

---

1) Zu Kommentar, Kap. VII, S. 161.

2) *Melchioris Haimensfeldii Goldasti* Imperatorum, Caesarum, Augustorum, Regum et Principum Electorum S. Romani Imperii statuta et rescripta imperialia, a Carolo Magno Primo e Germanis Imperatore usque ad Carolum V. et Reformationem Religionis etc. Francof. 1607, fol. nr. I. Wir fügen zur Vergleichung bei unter Nr. 89. a die Bulle des Papstes Leo VIII. für Kaiser Otto I. über denselben Gegenstand.

quemadmodum legitur: Populus itaque Romanus concessit ei, et in eum transtulit omne ius suum et potestatem.

2. Ad eorum autem exemplum praefatus quoque Adrianus Papa cum omni Clero et Populo, ac universa Sancta Synodo, concessit Carolo Augusto omne suum ius et potestatem eligendi summum Pontificem, et ordinandi Apostolicam Sedem dignitatemque Patriciatus: insuper Archiepiscopos et Episcopos per singulas provincias ab eo accipere investituras diffinivit. Post hoc vero consecrationem accipiant, unde pertineat. Unde tamen abolita sit veterum scientia, moresque in posterum, quatenus nemo per cognationem, vel amicitiam, aut per pecuniarum acceptionem, sibi eligat Episcopum: sed soli Regi Romanorum huiusmodi reverentiae tribuatur facultas. Verumtamen si ab universo Clero et cuncto populo aliqua praesumptione et religionis causa eligatur Episcopus, nisi a Rege laudetur et investiatur, a nemine consecrator [1]).

3. Ex hoc ipso prolatis sententiis ab universis, qui in hac sancta Synodo congregati fuerunt, In nomine Sanctae Trinitatis, Adrianus Papa pro omnibus hoc concessit, laudavit et affirmando constituit. Ad hoc etiam totum roborandum decrevit, ut si quis posthaec contra hanc Sanctam Synodum temerator repertus fuerit, sive contra hoc totum, quod praediximus, repugnaverit, cuiuscunque sit gradus, ordinis, vel officii, aut dignitatis, vel generis, sciat se in iram beati Petri Principis Apostolorum, et omnium Sanctorum, et praedecessorum nostrorum, casurum et anathematis vinculo damnatum perpetualiter victurum, excommunicatione quoque universalis Ecclesiae et cuncti populi Christiani emersurum. Insuper, nisi a malo resipuerit, irrevocabili exilio prematur, vel ultimis suppliciis feriatur; et bona eius publicentur. Qui vero pro intuitu custos horum et observator in omnibus exstiterit, benedictionis gratiam vitamque aeternam cum omnibus Sanctis suis sine fine habere mereatur in secula seculorum, Amen.

---

1) All. *consecratur, consecretur.*

LXXXIX, *a*.

Leonis VIII. Pontificis Romani Bulla

pro Othone I. Imperatore Augusto.

De iure et potestate eligendi Summum Pontificem, et ordinandi Apostolicam Sedem, dignitatemque Patriciatus [1]), insuper Archiepiscoporum et Episcoporum Investituras [2]).

Convenit Apostolico moderamine pollentibus benevola compassione succurrere et potentium animis alacri devotione assensum praebere. Ex hoc enim lucri potissimum praemium apud conditorem omnium reperitur. Deinde quoque et cunctum Clerum, et omnem populum asserimus esse concordem, et ad meliorem statum fore productum. Atque ideo, quia iuste et rationabiliter nostra humilitas nostro Apostolatui humiliter postulat, quatenus gratulantur peragrantes Sanctam Synodum vestro consilio congregatam Patriarcho Lateranensi, in Ecclesia Sancti Salvatoris constitutam a pluribus viris Catholicis, Episcopis et Abbatibus, insuper Iudicibus et Legis Doctoribus, promulgantes qualiter quiete et pacifice stare et vivere valeamus, praesentibus omnibus et singulis regionibus huius almae urbis Romae, et ex omnibus ordinibus Cleri et populi, asserentibus et confirmantibus per omnia, ut haeresi et altercatione ac omni errore expulso (quoniam his temporibus error ex hoc accrescere cernitur,) discernatur tam de Romano Imperio quam de Apostolica Sede ac dignitate Patriciatus, et de investituris Episcopatuum. Idcirco ad exemplum beati Adriani, Sedis Apostolicae huiusmodi Episcopi, cuius vitam et actionem satis discretam audivimus, qui rationabilis admodum suis spiritualibus sanctionibus Domino Carolo victoriosissimo Regi Francorum et Langobardorum regni Italiae et Patriciatus dignitatem ac ordinationem Sedis Apostolicae concessit insuper et Episcopatuum investituras, velut ipsi discretione et reverentia libitum fuerit, praeter quos tam Pontifici summae Sedis quam Archiepiscopis ipse Carolus reliquit.

2. Igitur nos Leo [3]) Servus servorum Dei, Episcopus, ad idem exemplum beati Adriani, cum cuncto similiter Clero et universo populo Romano, omnibusque ordinibus huius almae Urbis, sicut in suis scripturis apparet, constituimus, et confirmamus, et corroboramus, et per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus atque largimur Domno Otthoni Primo, Teutonico, Regi doctissimo,

[3.] Spirituali in Christo filio nostro eiusque successoribus

huius regni Italiae in perpetuum, tam sibi facultatem successorem elegendi, quam summae Sedis Apostolicae Pontificem ordinandi: ac per hoc Archiepiscopos seu Episcopos, ut ipsi tantum ab eo investituram accipiant et consecrationem, ubicunque pertinuerit; exceptis his, quos Imperator Pontifici et Archipresbyteris [4]) concessit. Ita demum asserimus, quod nemo deinceps, cuiuscunque gradus vel conditionis, aut dignitatis seu religionis, eligendi [5]) Regem Patricium sive Pontificem summae Sedis Apostolicae aut quemcunque Episcopum ordinandi habeat facultatem [6]) sed soli Regis Romani Imperii hanc reverendam [7]) tribui facultatem, quam absque omni pecunia disponat.

4. Eroget, utpote Rex, et Patriciatus [8]) Romanos. Quod si a cuncto Clero et universo populo quis eligatur Episcopus, nisi a dicto Rege laudetur et investiatur, non consecretur. Si quis contra hanc regulam, ut authoritatem Apostolicam et traditionem aliquid molitus, aut temerator in aliquo repertus fuerit, sive contra hoc nostrum Concilium [9]) agens, sciat se in iram sancti Petri Principis Apostolorum et filii nostri domini Otthonis, eiusque successorum, et omnium praedecessorum nostrorum censuram, et sub anathematis vinculo emersuram [10]), ac per hoc excommunicationi universalis Ecclesiae omnisque populi Christiani eum subiacere decernimus. Insuper, nisi a malo resipuerit, irrevocabili exilio prematur, vel ultimis suppliciis feriatur [11]). Qui vero pro intuitu custos et observator extiterit, benedictionis gratiam vitamque aeternam cum omnibus sanctis sine fine mereatur habere in secula seculorum, Amen. In his actis interfuere Seniores, Proconsules, Exarchatus [12]) Vicemtenentes, Regionarii Scholae Graecorum,

[5.] Arabum, Judaeorum et Paganorum, et de maioribus omnium platearum: et insuper omnes Cardinales, Archiepiscopi, omnes Presbyteri et Episcopi de finitimis civitatibus, Processuarii, Notarii, Cancellarii et ex omni plebe Romani Imperii. Datum in Patriarchio Lateranensi, indictione VI. anno et dicti Domni Othonis secundo, foeliciter.

Anmerkungen.

[1]) Ueber das *Patriziat* Karls des Grofsen vergl. man den Kommentar zu Kap. VI, S. 140. Ich füge hier nachträglich noch Folgendes hinzu: Im Decretum *Gratiani* Distich. LXIII, c. 22. 23 finden sich nachstehende Worte: Hadrianus autem Papa cum

universo synodo tradiderunt Carolo et potestatem eligendi Pontificem et ordinandi apostolicam Sedem. Dignitatem quoque Patriciatus ei concesserunt. Insuper archiepiscopos et episcopos per singulas provincias ab eo investitarum accipere diffinitur, et nisi resipisceret, bona eius publicari praecepit. Es liefs sich erwarten, dafs dieselben von den römischen Kanonisten vielfach würden angezweifelt werden. *Pfeffinger*, Corpus iuris publici ad ductum institutionum etc. *Vitriarii*, Goth. 1739, 4., Tom. I, p. 1350 ff. *Joh. Schilter*, de libertate ecclesiarum Germaniae, II, 11 (libri VII. Argentorati 1696, 8.) haben sie genügend in Schutz genommen. Aber selbst für den Fall, dafs eine Verfälschung angenommen werden müfste, hat schon *Ioh. Heumann*, Comment. de re diplomat. Imperat. German., II, 53, 4, Tom. I, p. 51, mit Recht darauf aufmerksam gemacht, dafs jene in obiger Stelle stipulirten und zugestandenen Rechte wirklich und unbezweifelt von Karl dem Grofsen ausgeübt worden sind, was nicht ohne offenen Widerspruch oder wenigstens eine reservatio iuris hätte geschehen können, von der sich keine Spur findet, ja sogar das Gegentheil deutlich sich herausstellt, wie jedem unbefangenen Forscher aus den unter dieser Nummer mitgetheilten Aktenstücken späterer Zeiten einleuchten mufs. Sie scheinen daher hier wohl am rechten Orte neben einander zu stehen. Die von *Anastasius*, dem Bibliothekar, mitgetheilte Schenkungsurkunde, welche *Lucas Holstein* (Adnotationes in geographiam sacram Caroli a Paulo, Italiam antiquam Cluverii et Thesaurum geographicum Ortelii, Rom. 1666, 8., p. 166) im päpstlichen Archive selbst gesehen zu haben versichert, ist jedoch so unbestimmt, dafs durchaus nicht klar daraus erhellt, worin eigentlich die Schenkung bestanden haben solle. Es steht fest, dafs er sich mindestens die Gerichtsbarkeit durchgängig vorbehalten hat, da er sie fortwährend, ohne irgend eine Art von Einspruch, durch seine Missi dominici ausübte. Man vergl. auch *Everard Otto*, dissertatio de iure imperatoris circa electionem Romani Pontificis in seiner Trias exercitationum de iurisprudentia symbolica, Traiecti ad Rhen. 1730, 8. *Joh. Georg. Estor*, Commentatio de iure exclusivo, quo Caesar uti potest, quum Patres purpurati in creando pontifice sunt occupati. Accedunt testimonia Catholicorum de iuribus Caesaris Augusti circa electionem Pontificis Romani in dessen Sammlung: Commentarii de ministerialibus, Argentor. 1727, 4. *Muratori*, Dritti del imperio sopra lo stato ecclesiastico, die ich nur aus der französischen Uebersetzung: Les droits de l'Empire sur l'estat ecclesiastique re-

cherchés et pleinement eclaircis à l'occasion de la dispute de Comarchio et des droits particuliers de la Serenissime maison d'Este sur cette ville. Le tout traduit de l'Italien, à Utrecht, 1743, 4. kenne. Auch *Le Blanc* in der mehrmals angeführten Abhandlung über die Münzen Karls des Grofsen hat die Vertheidigung der kaiserlichen Gerechtsame geführt. — Was das *Patriziat Karls des Grossen* anbetrifft, so mufs auf eine frühere Zeit zurückgegangen werden, zu den Verhandlungen nehmlich zwischen Karl Martell und Papst Gregor III. Der Continuator Fredegarii sagt (cap. 110): Eo tempore bis a Roma B. Papa Gregorius claves venerandi sepulcri vinculis S. Petri et muneribus magnis et infinitis, legationem (quod antea nullis auditum aut visum temporibus fuit) memorato Principi destinavit: eo pacto patrato, ut ad partes (lies a parte; a partibus giebt *Ruinart* aus Handschriften) Imperatoris recederet et Romanorum Consulatum (was nach *Pagi's* richtiger Erklärung hier ebenso viel als Patriciatus bedeutet; vergl. *Gregor. Turonens.* II, 38. *Wilken*, Handbuch der deutschen Historie, Abth. I, 2, 3. Anm.) praefato principi Carolo sanciret. Hiermit übereinstimmend ist die Angabe in den Annal. Mettens. a. 741: Carolus Princeps domitis circumquaque positis gentibus, dum ea, quae pacis erant, infra sui regiminis terminos disponeret, bis eodem anno legationem Beatissimi Gregorii Papae ab Apostolica Sede directam suscepit. Qui sibi claves venerandi sepulcri Principis Apostolorum Petri eiusdemque pretiosa vincula, cum muneribus magnis delatis obtulerunt: quod antea nulli Francorum Principi, a quolibet Praesule Romanae urbis directum fuit. Epistolam quoque, *decreto Romanorum Principum*, sibi praedictus Praesul Gregorius miserat, quod sese populus Romanus, relicta Imperatoris dominatione, ad suam dominationem et invictam convertere voluisset. Ueber den Inhalt dieses Traktates sind die verschiedensten Meinungen aufgestellt worden. *Nicolaus Alemannus*, Dissertat. de Lateranensib. parietinis, cap. XI (Thesaur. Antiquit. Ital., Tom. VIII, P. IV) und andere behaupten, Papst Gregor II. habe die Stadt Rom und einen Theil von Italien unter Leo des Isauriers Regierung dem Gehorsam der Kaiser entzogen und dem römischen Stuhle unterworfen; Gregor III. habe sodann die Freundschaft Karl Martell's nachgesucht, um diese weltliche Macht zu behaupten. Aber, trotz der Zwistigkeiten, welche wegen der Bilderverehrung zwischen Gregor II. und Leo ausgebrochen waren (s. *Adriani* Epistol. ad Carol. M. bei *Baron.* Annal. Ecclesiast. ai. 786, n. 21), ist von einem wirklichen Ab-

fall der Stadt Rom vom byzantinischen Hofe damals nicht die Rede gewesen; vielmehr rühmt *Anastasius* von Gregor II., daſs er einen solchen zu verhindern sich fortwährend bemüht habe. S. *Le Cointe,* Annal. Ecclesiast. ad a. 796, n. 10 sq. Letzterer stellte die Vermuthung auf, daſs Gregor III. gar nicht die Absicht gehabt habe, wider den Kaiser aufzutreten, sondern nur Karln habe bewegen wollen, etwas gegen Luitprand und die Langobarden pro ipso Imperatore zu unternehmen. Er verwirft deshalb die Angabe in den Metzer Annalen, verändert die Stelle des Fredegar folgendermaſsen: eo pacto patrato, ut *ad partes imperatoris accederet*, et Romanorum Consulatum, *praefatus princeps* sanciret, wobei er noch obenein das Wort *Consulatus* in der Bedeutung Kaiserthum nimmt. Es scheint überhaupt nicht, als ob die Römer die Absicht gehegt hätten, sich von dem byzantinischen Reiche loszureiſsen: man drohte vielmehr mit der Wahl eines neuen Kaisers, mit dem man gegen das östliche Reich ziehen wolle, wie aus den Worten des *Anastasius* (p. 169, ed. *Bianchini*) deutlich erhellt: Cognita vero Imperatoris nequitia, omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligeret Imperatorem et Constantinopolim ducerent. Sed compescuit tale consilium Pontifex, sperans conversionem Principis. Auch war der Krieg gegen die Langobarden nicht gegen die *Kirche* und deren Oberhaupt gerichtet — denn Luitprand bekannte sich zu ihrer Confession und Disciplin, — sondern gegen die Römer als solche, wozu *Stephanus*, der Herzog von Rom, und die Häupter der römischen Miliz ihm ebenso viele Ursache und Veranlassung gegeben hatten, als der Papst Gregor III. Die vier von ihm weggenommenen Städte gehörten zum Herzogthum Rom. Als Zacharias Luitprand zu besänftigen gewuſst hatte, trat auch Ruhe und Frieden mit dem Herzoge ein. Der Herzog von Spoleto fiel als Opfer dieses Bündnisses: er muſste in ein Kloster gehen. Wenn der Papst übrigens mit Karl in seinem eigenen Namen verhandelte, so geschah dies doch nur mit Vorwissen der Oberhäupter des römischen Volkes und der Miliz, welche damals noch immer eine so erhebliche Gewalt ausübte, daſs sie kurz zuvor gedroht hatte, (aus ihrer Mitte?) einen neuen Kaiser zu wählen und unter dessen Anführung gegen Leo nach Constantinopel zu ziehen. Auch der Senat machte sein Ansehen in Rom wieder geltend, wie aus dem Briefe Pippins ad Senatum populumque Romanum im Cod. Carolin. epist. XXXVI. erhellt. Als aber Constantinus Copronymus am 19. Junius 741 die Regierung allein übernommen hatte, vermittelten Zacharias und

der Exarch von Ravenna den Frieden zwischen dem Kaiser und dem Könige Liutprand.

[2]) Vom Jahre 964. S. *Goldast*, Const. Imp., p. 34, nr. XIII.

[3]) All. *Ego quoque Leo.*

[4]) All. *Pontificibus et Archiepiscopis.*

[5]) All. *cuiusque dignitatis vel religiositatis elegendi* et q. s.

[6]) All. *facultatem absque consensu ipsius Imperatoris, quod tamen absque omni* et q. s.

[7]) In der Bulle des Hadrian steht *reverentiae.*

[8]) Patricius? — [9]) All. *consilium.*

[10]) All. *emersurum.*

[11]) All. *afficiatur.*

[12]) Wir fügen hier das Scholion des Bischofs *Theodor von Niem* von Verdun und Cambray bei: Et nunc est titulus Cardinalis praedictae scholae, et olim in ea legebantur septem artes liberales, et praecipue Rhetorica. Et etiam in ea legit quandoque beatus Augustinus, et Joannes vocatus de Anglia. Et fuit mulier de Maguntia nata, quae studuit Athenis sub virili habitu, et in tantum profecit in artibus ipsis, quod tandem veniens ad Romam, et per biennium in eadem Schola artes ipsas liberales legit, et adeo sufficiens fuit, quod etiam maiores et nobiliores Urbis eius lectiones frequenter audiverint. Et postea in Papam eligitur concorditer a Romanis, et Papatum biennio et amplius tenuit. Sed tunc diutius ocio et deliciis vacans non potuit continere, sicut prius fecit, dum ardenter in paupertate posita literarum studio insistebat. Unde dum quadam die in rogationibus cum Clero Romano, sicut tunc moris erat, in solenni processione incederet, Papalibus ornata divitiis, edidit filium suum progenitum, ex quodam eius Cubiculario conceptum, prope templum Pacis in Urbe, ut adhuc vetus statua marmorea illic posita figurative monstrat. (Sollte hier aus dieser plastischen Darstellung eines vielleicht ganz verschiedenen Gegenstandes die Sage entstanden sein, wie dies so häufig geschehen ist?) Unde Summi Pontifices, dum ad Lateranensem de basilica Principis Apostolorum et e contra vadunt, illud rectum iter non faciunt, imo per alias vias per indirectum transeunt, illud aliquantulum prolongando. Ueber diese Sage von der Päpstin Johanna ist oben in der *Einleitung*, S. 27, Anmerk. gesprochen worden. Vergl. auch *Martini Poloni* Chron. in der Sammlung von *Schilter* u. *Kulpis*, p. 363, a. Ich benutze auch diese Gelegenheit einige Nachträge über die *wandernden Sagen* hier beizufügen. Ueber die schon in der Einleitung *a. a. O.* erwähnte Sage von der trojanischen Abstam-

mung der Franken s. *W. Grimm*, Altdänische Heldenlieder, Heidelberg 1811, 8., S. 431. *Fr. Schlegel*, deutsches Museum, Th. III, S. 338 folgd. *E. Rückert*, Oberon von Mons und die Pippine von Nivella, S. 35 folgd. *Göttling*, Nibelungen und Ghibellinen, Rudolstadt 1816, 8. S. 69. Jenaer Literaturzeitung 1822, nr. 15, S. 117 folgd. Sie beruht auf Erwähnung eines fränkischen Königs *Priam*. *Prosper* Chron. apud *Canis*. edit. *Basnage*, p. 382: Priamus quidam regnat in Francia, quantum altius colligere potuimus. *Genealog. reg. Francor.* bei *Du Chesne*, I, p. 794. *Sigebert. Gemblacensis*, p. 478: Undecunque ergo denominati sunt Franci, quantum altius colligere potuerunt historiographi, hic Priamus regnabat super eos tempore prioris Valentiniani. Der Name ist jedoch kein anderer als *Fariman* (*Goldast*, Rer. Alemannic. Scriptores aliquot vetusti, Vol. II, Frankf. 1661, fol., p. 126), der, wie Faramund, von dem Stammnamen *Fara* herrührt. S. *Genssler*, *die Welfen*, S. 27. *Geschichte der Gaues Grabfeld*, I, S. 212. Anmerk. 100. Ich erinnere auch an die langobardischen *Faren*. S. die Zusätze zum Kommentar, S. 103, Anm. 4. Noch mufs ich den Streit der fränkischen Könige Thiedrich und Chlotar um die schöne Radegund, die Tochter des Thüringerkönigs Hermanfried, mit dem Streite des Agamemnon und Achilles um die Briseïs vergleichen. S. *Venantius Fortunatus*, vit. S. Radegund., ap. *Sur.* Act. S. S. XIII. Aug. — Von den *wandernden* Sagen müssen wohl unterschieden werden die *stereotypen* Erzählungen, die sich vor jenen durch den Mangel an weiterer *Aus-* und *Fortbildung* unterscheiden. Hieher gehört z. B. die Erzählung von dem Erscheinen des Arighis an dem Hofe Karls des Grofsen (Anonym. Salernitan., cap. 10, *Muratori*, II, p. 181) und dem des griechischen Gesandten an dem Hofe Karls bei dem Mönch von St. Gallen (*Du Chesne*, Script. Gall. II, p. 124). Rumores vulgi, sagt Muratori in einer Anmerkung, sua quaeque magnificantis ambabus olim ulnis excipiebantur, atque impostere recte in chartam illati, ad alias gentes transmeabant, et ad nos quoque transierunt. — Was die Erzählung von der Schwester Kaisers Heinrich III. anbetrifft, so vergleiche man noch *Jo. Becka*, Chron. Traiectense, p. 39: Habuit autem idem Imperator in comitatu suo sororem sanctimonialem eximiae venustatis, quam Canonicus quidam adamavit zelo nimiae dilectionis, quam et blanda suggestione tandem ad hoc induxerat, ut circa caliginosam noctis umbram ipsum in amoris amplexu susciperet. Illis igitur in furtivo cubili clam obdormientibus, permaxima nix inopinate cecidit; et aurorae iubar

clam obdormientibus, permaxima nix inopinate cecidit: et aurorae iubar tetram hemisphaerii caliginem iam effugaverat: quapropter idem Canonicus quamplurimum anxiatus qualiter tute tentorium suum accederet, ne primitiale vestigium culpam suam aliquo modo proderet. Tractato denique repentino consilio praefata sanctimonialis eundem Canonicum in humeris baiulavit ad suum tentorium, ut in eundo et redeundo saltem unius solius possit apparere calcaneum. Eadem autem hora stimulantibus curis bellicis solus Divus Imperator pervigil fuit, qui peregrinum hoc spectaculum e fenestra tabernaculi sui procul intuens, pie subrisit. Demum exorto iam sole Caesar Augustus flagitavit eundem Canonicum, quatenus ad Missam Diaconatus expleret officium, quod idem Canonicus remordente conscientia modis omnibus abnuit, nec blandimentis nec minis ad hoc emolliri potuit: (s. die Einleitung, S. 30, Anm. 1. wo nach *Anonym. Salernitani* Chronic., cap. 12. ap. *Muratori*, Rerum Italicarum Scriptor., II, 2, p. 182 hinzugefügt werden kann;) cernens itaque Caesar eiusdem Canonici timoratam conscientiam, remisit ex bono corde conceptam pertinaciam. Accidit autem ut Decania similiter et Abbatia diebus illis vacarent Imperiali Camerae, et idem Caesar advocans ipsum Canonicum cum sorore, coepit loqui per aenigmata secretae parabolae, Amantissime frater, esto deinceps vir maturus, et ecce tibi hanc vacantem decaniam conferimus, tuam exorando benevolentiam, quatenus nunquam sanctimonialem praesumas equitare feminam. Deinde sorori suae dixit: Eximia soror, sis abinde matrona continens, et ecce tibi vacantem hanc Abbatiam sive curam ancillarum Christi conferimus per praesentem annulum; praecipientes, ne permittas unquam equitare te Canonicum: quibus ita dictis, ambo se mutuo contuentes, erubuerunt: qui per hanc levem correctionem informati, peccati praeteriti culpam perpetuam per continentiam emendarunt. Auch findet sich dieselbe Erzählung bei *Radulfus de Diceto*, Chron., p. 470. *Henricus Knyghtonus*, I, 6. Sollte nicht die ganze Erzählung ihren Ursprung in dem Doppelsinne des Wortes *equitare* gefunden haben?

LXXXIX, *b.*

Ottonis III. Imperatoris Augusti Constitutio

de iure ac potestate Imperii, de donatione Constantini et Caroli Calvi, de assignatione bonorum, quibus Pontifices Romani ad sui suaeque Ecclesiae sustentationem uti frui debeant [1]).

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Otto servus Apostolorum et secundum voluntatem Dei Salvatoris Imperator Augustus. Romam caput mundi profitemur: Romanam Ecclesiam matrem omnium Ecclesiarum esse testamur; sed incuria et inscientia Pontificum longe suae claritatis titulos obfuscasse. Nam non solum, quae extra Urbem esse videbantur, vendiderunt et quibusdam colludiis a lare sancti Petri alienaverunt, sed (quod absque dolore non dicimus) si quid in hac nostra Urbe Regia habuerunt, ut maiori licentia evagarentur, omnibus indicantes pecuniam in commune dederunt, et sanctum Petrum et sanctum Paulum, ipsa quoque altaria spoliaverunt, et pro reparatione semper confusionem duxerunt. Confusio vero Papaticis legibus, et iam abiecta Ecclesia Romana, in tantum quidam Pontificum irruerunt, ut maximam partem Imperii nostri Apostolatui suo coniungerent, iam non quaerentes, quae et quanta suis culpis perdiderunt, non curantes quanta ex voluntaria vanitate effuderunt; sed sua propria, utpote ab illis ipsis dilapidata, dimittentes, quasi culpam in Imperium nostrum retorquentes, ad aliena, id est nostra et nostri Imperii, maxime migraverunt.

2. Haec sunt enim commenta ab illis ipsis inventa, quibus Iohannes Diaconus cognomento Digitorum mutilis praeceptum aureis literis scripsit, sub titulo Magni Constantini longi mendacii tempora finxit. Haec sunt etiam commenta, quibus dicunt, quendam Carolum [2]) sancto Petro nostra publica tribuisse. Sed ad haec respondemus, ipsum Carolum nihil dare iure potuisse, utpote iam a Carolo meliore [3]) fugatum, iam imperio privatum, iam destitutum et annullatum. Ergo quod non habuit, dedit; sic dedit, sic [4]) nimirum dare potuit, utpote qui male acquisivit, et diu se possessurum non speravit.

3. Spretis ergo commenticiis praeceptis et imaginariis scriptis, ex nostro conferimus. Sicut enim pro amore Sancti Petri Dominum Silvestrum magistrum nostrum [5]) Papam elegimus, et, Deo volente, ipsum serenissimum ordinavimus et creavimus, ita pro amore ipsius Domini Silvestri Papae Sancto Petro de publico nostro dona conferimus, ut habeat magister quod Prin-

cipi nostro Petro a parte sui discipuli offerat. Octo igitur Comitatus, pro amore magistri Domini Silvestri Papae, sancto Petro offerimus et donamus, ut ad honorem Dei et sancti Petri cum sua et nostra salute habeat et teneat, et ad incrementa sui Apostolatus nostrique Imperii ordinet. Hos autem sibi ad ordinandum concedimus, Pisaurium, Fanum, Senogalliam, Anconam, Fossabrum, Gallihesi [6]) et Aufimum; et nullus unquam ei et sancto Petro audeat aliquam inquietationem facere, aut eum aliquo ingenio [7]) fatigare.

Quicumque vero praesumpserit, omnia, quae habet, amittat: et sanctus Petrus, quae sua sunt, recipiat.

4. Ut hoc autem in aeternum ab omnibus conservetur, hoc praeceptum manu nostra diu Deo adiutore victura confirmavimus, et nostro sigillo praecepimus insigniri, ut sibi suisque successoribus valeat.

Anmerkungen.

[1]) *Goldast*, a. a. O., S. 40. Vergl. den Komm. zu Kap. VI. S. 146 folgd.

[2]) Nehmlich *Karl den Kahlen*.

[3]) Von *Karl dem Dicken* und dessen Bruder *Karlmann*.

[4]) L. sicut.

[5]) *Gerbert*, der gröfste Gelehrte seines Zeitalters; als Schwarzkünstler nicht sowohl seiner Kenntnisse halber (als solcher) verschrieen, sondern von der römischen Partei verleumdet, welcher der kräftige, geistvolle und dem kaiserlichen Interesse ergebene Mann ein Dorn im Auge war. Ich verweise im Voraus auf meine Arbeit über ihn, die, wenn Gott Kraft und Leben schenkt, bald erscheinen soll.

[6]) Vielleicht Calles, Hesium. — [7]) inganno, *Betrug*.

LXXXIX, *c*.

Henrici II. Imperatoris Augusti Constitutio
de Regalibus Beato Petro concessis [1]).

In nomine Domini Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Ego Henricus, Dei gratia Imperator Au-

[1]) *Goldast*, a. a. O., p. 42 sqq.

gustus, spondeo atque promitto per hoc pactum confirmationis nostrae tibi Beato Petro Principi Apostolorum et Clavigero regni coelorum, et per te Vicario tuo Dómno Benedicto Summo Pontifici et universali Papae, sicut a praedecessoribus vestris usque nunc in potestate vestra ac deditione tenuistis et deposuistis, civitatem Romanam cum Ducatu suo et suburbanis, atque viculis omnibus, et territoriis eius, montanis ac maritimis litoribus ac portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis ac viculis Tusciae partibus, id est, Portum, Centumcellas, Ceram, Bledam, Maturianum, Sutrium, Nepem, Castellum, Gallicense, Orthem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam, cum tribus insulis suis, id est Maiorem et Minorem, Pulvensim et lacum, Narniam et Utriculum, cum omnibus finibus et territoriis ad supradictas civitates pertinentibus, necnon et Exarchatum Ravennatem sub integritate, cum urbibus, civitatibus, oppidis, et castellis, quae piae recordationis dominus Pipinus, et dominus Carolus, et dominus Lodovicus, et Otto, et itidem Otto filius eius, praedecessores videlicet nostri Beato Petro Apostolo et praedecessoribus vestris iamdudum per donationis paginam contulerunt, hoc est civitatem Ravennam, et Aemiliam, Bobium, Cesenam, Forum Populi, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaclum, Adrianis atque Gabellum, cum omnibus finibus, territoriis atque insulis terra marique ad supradictas civitates pertinentibus, simul et Pentapolim videlicet Ariminum, Pensaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Aufimum, Humanam, Esim, Forum Sempronii, Montem Feltri, Urbinum, et territorium Balvense, Callem, Luciolis et Eugubium, cum omnibus finibus et territoriis ad easdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinense sicut a praedictis Imperatoribus antecessoribus nostris beato Petro Apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate, et est in partibus Tusci, Langobardorum, castellum Felicitatis, Urbem Veterem, Balneum Regis, Ferenti-Castrum, Viterbium, Orthem, Martam, Bledam, Tuscanam, Suanam, Populonium, Roselles, suburbanis atque viculis, et omnibus territoriis, ac maritimis oppidis seu finibus omnibus. Itemque Almus cum insula Corsica in Suriano, deinde in montem Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regium, exinde in Mantua, atque in monte Silicio, atque provincia Venetiarum, et Istria, necnon et cunctum Spoletanum Ducatum, seu Beneventanum una cum Ecclesia sanctae Christiánae posita prope Papiam iuxta Padum IV. milliario. Item in partibus Campaniae Sora, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum,

Capuam, necnon et patrimonium ad potestatem et ditionem vestram pertinentia, sicut est patrimonium Beneventanum et Neapolitanum, atque patrimonia Calabriae superioris et inferioris. De civitate autem Neapolitana cum castellis et territoriis ac finibus et insulis sibi pertinentibus, sicuti ad easdem aspicere videntur: necnon patrimonium Siciliae, si Deus nostris illud tradiderit manibus. Simili modo civitatem Caietanam et Fundum cum omnibus earum pertinentiis.

2. Super hoc confirmamus vobis Fuldense [1]) monasterium, et Abbatis eius consecrationem, atque omnia monasteria, curtes et villas, quas in Ultramontanis [2]) partibus sanctus Petrus habere dignoscitur, absque Aterna, Vurmiteringa [3]), sive Vuilmbach, quae a sancti Petri Ecclesia per conventionis paginam Episcopo nostro Babembergensi collatae sunt: pro quibus saepedictae Ecclesiae sancti Petri transcribimus, concedimus et confirmamus omnem illam terram, quae inter Nanniam Teramnem [4]), vel Spoletum ex regni nostri parte habuimus.

3. Sub tuitione praeterea sancti Petri, et vestra vestrorumque successorum praetaxatum Episcopum [5]) Bambergensem offerimus; unde sub pensionis nostrae debito equum unum album phaleratum ex eiusdem loci Episcopo vos [6]) annualiter suscepturos sancimus.

4. Offerimus insuper, firmamus et corroboramus tibi Beato Petro ac Vicario tuo Donno Benedicto, et successoribus eius, prout benememoriae Papae Joanni suisque successoribus a praedecessoribus nostris Ottonibus factum est, civitates et oppida cum piscariis suis, Reatem, Amiternum, Furconem [7]), Nursiam, Balvam, et Marsiam, et alibi civitatem Teramnem [Interamnem] cum pertinentiis suis.

5. Has omnes supradictas provincias, urbes, et civitates, oppida, atque castella, viculos, ac territoria, simulque patrimonia pro statu regni nostri, cunctoque Christianorum populo conservando iam dictae Ecclesiae tuae, beate Petre, Vicarioque tuo Benedicto ac successoribus eius, usque in finem saeculi eo modo confirmamus, ut in suo detineant iure, principatu, atque ditione. Simili modo per hoc nostrae delegationis pactum, confirmamus donationes, quas piae recordationis Pippinus Rex, et postea Domnus Carolus excellentissimus Imperator, ac deinceps Ottones piissimi beato Petro Christi Apostolo spontanea voluntate con-

1) *al.* Fundense. — 2) *al.* ad Ultramarinis.
3) *al.* atque Ameusura, Umixringa. — 4) Schr. *Interamnem.*
5) *Al.* Episcopium. — 6) *Al.* nos. — 7) *Al.* Furcovium.

tulerunt: necnon et censum, vel pensionem seu ceteras donationes [1]), quae annuatim in Palatio Regis Langobardorum inferri solebant, sive de Tuscia, sive de Ducatu Spoletano, sicut in suprascriptis donationibus continetur, et inter sanctae memoriae Hadrianum Papam et Donnum Carolum Imperatorem convenit, quando idem Pontifex eidem de supradictis Ducatibus, id est Tuscano, et Spoletano, suae auctoritatis praeceptum confirmavit, eo scilicet modo, ut annis singulis praedictus census ad partem Ecclesiae sancti Petri persolvatur, salva super eosdem Ducatus nostra in omnibus dominatione, et illorum ad nostram partem subiectione. Caeterum sicut diximus, omnia suprascripta nomina ita ad vestram partem per hoc nostrae confirmationis pactum corroboravimus, ut in vestro permaneant iure, principatu, atque ditione; et neque a nobis, neque a successoribus nostris, per quodlibet argumentum sive machinationem, in quacumque parte vestra potestas imminuatur, aut a vobis inde aliquid subtrahatur.

6. De suprà dictis vero provinciis, urbibus, civitatibus, oppidis, castris, viculis, territoriis, ac patrimoniis, necnon et pensionibus, atque censibus, sed potius omnia, quae superius leguntur, id est provinciae, civitates, urbes, castellae, oppida, terrae, patrimonia, atque insulae censusque et pensiones, ad partem Ecclesiae beati Petri Apostoli atque Pontificum in sacratissima Sede illius residentium, nos in quantum possumus defensores esse teneamur, ad hoc ut eam illi ditionem ad utendum atque disponendum firmiter valeant obtinere, salva in omnibus potestate nostra posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto et constitutione ac promissionis firmitate Eugenii Pontificis successorumque illius continetur, et omnis Clerus et universi populi Romani nobilitas propter diversas necessitates, et Pontificum irrationabiles erga populum sibi subiectum asperitates retundendas sacramento se obliget, quatenus futura Pontificum electio quantum uniuscuiusque intellectus fuerit, canonice et iuste fiat, et ut ille, qui ad hoc sanctum regimen eligetur, nomine consentiente consecratus fiat Pontifex, priusquam talem in praesentia Missorum vel universae Generalitatis [2]) faciat promissionem pro omnium satisfactione, ac futura conservatione, qualem Domnus et venerandus spiritualis Pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur.

7. Praeterea alia minora huic operi inserendum praevidi-

---

[1] *Al.* dationes. — [2]) Al. *gentilitatis*, i. e. nobilitatis.

mus, videlicet ut in electione Pontificum neque liber neque servus ad hoc venire praesumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem Sanctorum Patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram constitutionem venire praesumpserit, exilio tradatur.

8. Insuper etiam, ut nullus Missorum nostrorum cuiuscumque impeditionis argumentum componere audeat in praefatam electionem, prohibemus.

9. Nam et hoc omnimodo instituere placuit, ut qui semel sub spirituali[1]) defensione Donni Apostolici sive nostra fuerint suscepti, impetrata iuste utantur defensione. Quod si quis in quemquam illorum, qui hoc promeruerunt, violare praesumpserit, sciat se periculum vitae suae esse incursum[2]).

10. Illud etiam confirmamus, ut Donno[3]) Apostolico iustam in omnibus servent obedientiam, seu Ducibus et Iudicibus suis, ad faciendam iustitiam.

11. Huic enim institutioni hoc necessario annectendum esse perspeximus, ut Missi Donni Apostolici seu nostri semper sint constituti, qui annuatim nobis renunciare valeant, qualiter singuli Duces ac Iudices populo iustitiam faciunt.

12. Hanc Imperialem constitutionem quomodo observent, qui, Missi, decernimus ut primum cunctos clamores, qui per negligentiam Ducum vel Iudicum fuerint inventi, ad notitiam Donni Apostolici deferant, et ipse unum e duobus eligat, aut statim per eosdem Missos fiant necessitates emendatae, aut Misso nostro nobis renuntiante per nostros Nuntios a nobis directos emendentur.

13. Hoc ut ab omnibus fidelibus Sanctae Ecclesiae et vestris firmum esse credatur, propriae manus signaculo, et nobilium Optimatum nostrorum subsrciptionibus hoc pactum confirmationis nostrae roboravimus, et sigilli nostri impressione assignari iussimus.

(Es folgen die Unterschriften. Leider gestattet uns der Plan dieses Werkes nicht, die kräftigen Rescripte des Hohenstaufen, welche sich auf Karls des Grofsen Schenkung und die Gränzen der päbstlichen Gewalt beziehen, hier mitzutheilen. Es folgt nur weiter unten noch Kaiser Lothar's I. *Constitutio de electione Pontificis Romani et legibus Romanorum* v. J. 825.)

---

[1]) *Al.* speciali. — [2]) *Al.* incursurum. — [3]) *Al.* in dominio.

XC.

Carolus Magnus, Rex Francorum et Langobardorum

post Romanorum imperator, Harimalam, Budiliam, Filfurdum, et alias Villas, a Proavo suo Pippino Herstallio, aliisque collatas Ecclesiae Aquisgranensi confirmat [1]).

Karolus Dei gratia Rex Francorum et Langobardorum, ac Patricius Romanorum. Ad mercedis cumulum augere credimus, quidquid pro amore Dei et reverentia Sanctorum locis venerabilibus confirmamus.

Igitur noverit omnium fidelium nostrorum magnitudo, eo quod inclytae memoriae Proavus noster Pippinus [2]), quondam Maior Domus, Ecclesiae S. Mariae, Novo Castello [3]) constructae, diversas res, pro mercedis augmento dedit. Unde servientes eiusdem loci consolationem substantiae usque nunc visi sunt habere, perpetuoque tempore ipsas res quieto ordine possidere videntur. Sed asserit Venerabilis Vir Erinhardus [4]) Abbas, quod de *ipsis* rebus nulla munimina aut strumenta Chartarum penes se habeant, per quae ipsas res sine nostra auctoritate legibus defendi possint.

Idcirco petiit a Celsitudine nostra, ut per nostram Praeceptionem quantamcumque infra Regna, Deo propitio, nostra, tamque Proavus noster ibidem in eius eleemosyna visus est condonasse, quam et caeteri Dominum timentes homines postmodum addiderunt, quae possidere videntur, denuo confirmare deberemus. Cuius petitionem noluimus denegare, sed ita concessisse atque confirmasse, cognosci. Praecipientes enim, ut quicquid iuste ac rationabiliter in denominandis villis, et sunt Harimalla in pago Hasbaniense, Budilio in Texandira [5]), Filfurdo [6]) in Bragbando, in pago Haginao Hrinio, Huniolo, Kiunegas, et illa Ecclesia in Walderiego, simulque Achiniagas et al Porto, quas in concambio pro avancali receperunt, et aliquos mansos in Angelgiagas in pago Leuhio, quem similiter in concambio proprietatis de Ecclesia S. Servatii commutaverunt, nec non in pago Luminse Fraxino [7]).

Haec omnia denominata, ut supra diximus, id est, una cum caeteris domibus, aedificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, mobilibus et immobilibus, totum et ad integrum cum omnibus appendiciis vel adiacentiis eorum, qualiter praesenti tempore ipsa Ecclesia eiusque Rectores possiderunt, quantumcumque Avus noster prae-

nominatus ibidem condonavit, aut caeteri Dominum timentes homines in postmodum addiderunt, unde vestiti esse videntur, deinceps in antea, absque nullius inquietudine, omni tempore teneant et possideant.

Et nullus quilibet de fidelibus nostris, aut de Iudiciaria potestate praefatum Erinhardum Abbatem suosque Successores de memoratis rebus inquietare, aut contra rationis ordinem facere praesumat, sed liceat eos, cum Dei et nostra gratia, nostris et futuris temporibus, per hanc nostram auctoritatem, iure firmissimo possidere, quatenus melius delectat ibidem Deo servientes, pro nobis atque prolibus nostris et uxore, et pro animabus Parentum quondam nostrorum, Domini misericordiam deprecari.

Et ut haec Auctoritas firmior habeatur, vel diuturnis temporibus servetur, manu propria subtus eam decrevimus roborare, et de annulo nostro iussimus sigillari.

Signum Karoli gloriosissimi Regis.

Wichbaldus, ad vicem Radoni, recognovi.

Data V. Nonas Maii, an. XI. et V. Regni nostri [8]).

Actum Haristallio Palatio, in Dei nomine feliciter, Amen.

Anmerkungen.

[1]) S. den Kommentar zu Kap. XXXIII. Entlehnt aus *Aubert de Mire*, *Donat. Belgic.* II, 8. *Opp. diplomat.* Vol. I, p. 496. — Die Urkunde ist vom Jahre 779.

[2]) Von *Herstal.* — [3]) D. i. *Aachen.*

[4]) Nach *Miraeus* soll *Einhardus* gelesen werden müssen. Dieser konnte aber im Jahre 779 noch gar nicht Abt sein.

[5]) Toxandria? — [6]) *Vilvorde.*

[7]) *Frasne*, locus celebris, et Toparchia vetus Gallo-Brabantiae, olim habuit Monasterium Canonicorum Regularium, quod prae inopia ad ruinam tendens, traditum fuit Benedictinis Affligemiensibus a. 1099. — Anm. von *Aub. de Mire* zu *Opp.* I, p. 337.

[8]) XI. Francorum, V. Langobardorum.

XCI.

Carolus M. Imperator benefacit Abbatiae Bertinianae

Ord. S. Benedicti in Arthesia, anno 791 [1]).

Carolus Dei gratia Rex Francorum et Langobardorum ac Patritius Romanorum. Quidquid enim [2]) ad loca Sanctorum ve-

nerabilium pro opportunitate servorum Dei concedimus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad aeternam beatitudinem pertinere confidimus.

Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, praesentium scilicet et futurorum, qualiter concessimus Autlando Abbati et Monachis ex Monasterio Sithiu, quod est constructum in honore Dei omnipotentis et Sancti Petri Principis Apostolorum vel caeterorum Sanctorum, ubi Sancti Audomarus atque Bertinus Christi Confessores corpore requiescunt, ut ex nostra indulgentia in eorum proprias silvas licentiam haberent eorum homines venationem exercere, unde Fratres consolationem habere possint, tam ad volumina librorum tegenda, quamque et manicas et ad zonas faciendas, salvas forestes nostras, quod ad opus nostrum constitutas habemus. Propterea praesentem auctoritatem fieri iussimus, per quam omnino praecipimus atque mandamus, ut neque vos, neque iuniores vestri seu successores, memorato viro venerabili Audlando Abbati, aut successoribus suis, seu hominibus eorum, pro hac causa inquietare, aut calumniam generare: aut aliquid pro hoc requirere ab eis, aut exactare, nec omnino contradicere praesumatis: nisi liceat hominibus ut supra diximus ex nostra indulgentia in eorum proprias silvas venationem exercere. Et ut haec Auctoritas firmior habeatur, et per tempora melius conservetur, de annulo nostro, subter sigillari iussimus.

Signum Domni Karoli gloriosissimi Regis.

Data VII. Kal. Aprilis, anno XX. Regni nostri.

Actum in supradicto loco Sithiu, in Atrio Sancti Bertini in Dei nomine feliciter, Amen.

Anmerkungen.

[1]) *Aubert de Mire*, *a. a. O.*, II, p. 497 folgd. *Mabillon*, de R. D., VI, p. 611. Ueber die Stiftung dieses in der Geschichte sehr merkwürdigen Klosters durch *Adroaldus* (*Adrevaldus*) im Jahre 644 vergl. *Aubert de Mire*, *Donat. Piar. Codex*, cap. 3, *Opp.* I, p. 7. *Jacq. Malebrancq*, *de Morinis et Morinorum rerum, silvis, paludibus, oppidis, regia comitum prosapia ac territoriis regioque praesulum splendore, viis Caesareis ac portubus, etc.* III, 27. *Tornaci Nerviorum* [Tournay] 1639, 4. [Dies Buch gehört zu den seltensten. Vergl. *Hummel*, *Bibliothek der deutschen Alterthümer*, II, 3. S. 82.] Die hier mitgetheilte Urkunde wird von uns aus mehreren Ursachen beigefügt.

Einmal giebt sie einen neuen Beweis für den regen Antheil, welchen Karl an der Anfertigung von Büchern, welche freilich hier vielleicht nur vorgeschützt wurde, nahm; dann aber bietet sie auch eine der seltenen Ausnahmen dar, wo Karl den Geistlichen die Jagd, allerdings nur zu einem bestimmten Zwecke, gestattete, während er sie ihnen sonst auf das Strengste untersagte. Vergl. *Capit.* III. *ai.* 789: *Ut Episcopi, Abbates et Abbatissae, cupplas canum non habeant, nec falcones, nec accipitres, nec ioculatores.* Einzelne Ausnahmen finden sich freilich. S. das *Praecept. de scholis Graecis et Latinis instituendis in Ecclesia Osnabrugensi ai.* 814 in den Beilagen, nr. XLIV, S. 128. Auch erhellt es aus Ludwigs d. Fr. *Capitulare* IV. *ai.* 819, *c.* 7 bei *Bouquet*, Vol. VI, p. 425, *Baluze*, I, p. 612. Vergl. *Hüllmann*, *Deutsche Finanzgeschichte des Mittelalters*, S. 43 folgd. Ich bemerke hierbei nachträglich in Bezug auf das erwähnte *Praeceptum* über die Einrichtung der Schulen in Osnabrück, daſs noch folgende seltene Schrift verglichen werden muſs: *C. H.* (d. h. *Ludovici Henseler*) *Dissertatio critico-historica de diplomate Karoli M. dato ecclesiae Osnabrugensi de Scholis graecis et latinis, qua Diploma istud authenticum et genuinum esse ostenditur atque contra obiectiones recentioris cuiusdam critici A. I.**) *defenditur. Accedunt varia Imperatorum ac Regum diplomata ecclesiae Osnabrugensi concessa.* Monast. Westphal. 1721, 4.

[2]) Ueber dies *enim*, welches nach dem Exordium in den Schreiben Karls überaus häufig vorkommt, vergl. *Heumann*, *de re diplomat.* II, 49, 1. Tom. I, p. 31 sq. S. z. B. noch das Diplom Karls des Gr. *Monasterio Altaich concessum ai.* 812 bei *Hund*, *Metropolis Salisburgensis*, II, p. 9. Ebenso kommt *igitur* vor. Vergl. die Beil. S. 118, Z. 7 von unten.

XCII.

A.

Charta Karoli IV. Imperatoris,

qua praecipit ut in Ecclesia Aquisgranensi Festum S. Caroli M. solemniter quotannis celebretur.

Karolus Quartus etc. Si Celebris et recolendae Memoriae Divi et Magnifici principis Sancti *Karoli*, olim Romanorum Imperatoris Augusti et Franciae Regis illustris multiplices Victo-

*) Es ist *v. Eckhart* gemeint.

riosos Triumphos, et saeva praelia quibus Zelo divini amoris accensus adeo viriliter, et Magnifice Infidelium Idolatrarum Scismaticorum, et Haeredicorum depravatas cervices edomuit, digna aestimatione perpenditis: si Labores innumeros, Grandiaque Pericula quibus personam suam pro defensione Orthodoxae Fidei semper exposuit, ea qua congruit diligentia, in mentem revocetis, si ad illas famosas structuras Cathedralium Ecclesiarum ac Monasteriorum quas, et quae, in Locis pluribus tam Sacri Romani Imperii quam Regni Franciae, eius erexit devotio, Interioris Hominis perspicaces Oculos applicetis, profecto omnium dubietate remota in tam flagranti ardore corda vestra sine igne divino calefient, ut fiat in Ecclesia vestra, quam Fundavit, et fundatam Dotavit Redditibus, eius Cultus celebrior quam multis temporibus praeteritis: quapropter Devoti Dilecti cum idem princeps Magnificus praeclarae Vitae suae Primordia Clarioribus Instruxerit mediis, et Charissimum finem Beatissimis studiis terminavit, ut digna provisione sedis Apostolicae, evidenti sanctitatis Testimonio inter Beatorum meruerit Beata Collegia numerari, quatenus contemplatione Dei, et ob spem Retributionis aeternae, et ob Reverentiam tanti vestri Patroni, Festivitatem eius recurrentem tempore annis solitis velitis et debeatis ammodo [2]) cum omni Reverentia et devotione celebrare, nam praeter meritum Retributionis quod abinde procul dubio consequimini, Universis Regibus et principibus Mundi ex eo piae devotionis ardor augebitur, ut debeant similiter ad Pacem, profectum, et Incrementa felicia Ecclesiarum Sanctarum intendere, et Praelatos ac Membra, omnesque Comministros in divinae dispensationis Officio propensioribus studiis refovere pergere etc.

B.

Eiusdem Imperatoris Charta altera, qua requirit ut de Reliquiis S. Caroli M. particulae quaedam transmittantur Carolo V. Franciae Regi, in donum.

Karolus Quartus etc. Fideles, dilecti. Si Legitis studiose Annales et Historias, si gestorum veterum delectamini gratum habere Recordium, profecto ad Recolendae memoriae Divi ac Beati Karoli Romanorum Imperatoris Augusti extollenda praeconia iusta ratione tenemini, ut etiam super mel et favum dulcescat vestris Laudum praeconiis ipsius memoria: ipse namque Mansuetudinis innatae Beneficio a se coeptam radicitus Aquensem Rempublicam, Mansuetudinis munivit praesidiis et temporalibus extulit divitiis et Honore, ipse Romanae Regiae Sedis api-

cem Aquis Locare disposuit, ut inde Regnarium successorum sumantur Imperia ubi tanti principis deliberata provisio sanctissima eorum posuit Fundamenta.

Cum igitur Serenissimus Princeps Karolus Franciae Rex Nepos noster Karissimus ad Honorem tam Excellentis vestri Patroni et Domini, et sub ipsius Gloriosis Titulis honorabilem quandam Ecclesiam in Loco Insigni Regni sui Franciae, Magnificis iam Structuris erexit, ipsamque Praediis, Redditibus, et divitiis augere magno devotionis ardore continuat, Fidelitatem vestram affectuose requirimus et Hortamur quatinus contemplatione nostri qui de vestri Fidei et Amoris Constantia crebra praesumptione confidimus, ut habito Respectu ad Flagrantis devotionis Insignia praefati Karissimi nostri Nepotis, et ut Venerabile Nomen Beati Karoli in confinibus Regnorum fametur diffusius, sibi aliquam partem Reliquiarum eius erogare velitis, ut videlicet danda sibi particula adeo Largitatem animi vestri Testetur quod et Vestri affectus erga Maiestatem nostram experiamur dulcedinem, et praefactus[3]) Karissimus Nepos noster Interpositione nostri, quam facimus, ad Uberiores gratiarum actiones nobis, cognita animi qualitate, obligetur etc.

Anmerkungen.

[1]) Die beiden obigen unter dieser Nummer mitgetheilten Aktenstücke sind entlehnt aus *Jo. Frid. Schannat, Vindemiae literariae, h. e. veterum monumentorum ad Germaniam Sacram praecipue spectantium Collectio* II., *Fuld. et Lips.* 1724, fol. p. 147. 148. Vergl. den Kommentar zu Kapit. XXXII. und die Einleitung, S. 46. Die Handschrift, aus der die Aktenstücke entlehnt sind, befand sich früher im Kloster zu Fulda.

[2]) Entweder *annimodo* oder *omnimodo.*

[3]) Schr. *praefatus.*

XCIII.

Diploma Caroli Magni

quo simoniacum ingressum in Capitulum ecclesiae Argentinensis vetat, ac praecepta tradit de electione episcopi, atque redituum divisione[1]).

Carolus gratia Dei rex Francorum, vir inluster. — Cum Principum ac defensorem ecclesiarum nos fecit Dominus, ne gracie

eius videamur esse ingrati, servicium eius augmentare, bene et opportune instituta confirmare, emendanda reformare, et sedata ubique discordia, pacem, concordiam et tranquillitatem nos oportet restaurare. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus scilicet et futuris, qualiter Etto venerabilis sancte Argentinensis ecclesie Episcopus, secum adducens apostolicos viros Lullum Moguntinum Metropolitanum et Johannem Constantiensem Episcopum [a]), coram multis celsitudinem nostram adiit, flebiliter conquerens suorum quosdam antecessorum Episcoporum scilicet cum suis quibusdam Canonicis, Prepositis videlicet, Decanis, Edituis, Camerariis, Cantoribus et Scholasticis ecclesiastica potestate tantum abuti, ut cum deberent simoniace heresis veri exstirpatores esse, imprudenter effecti sint iniuriosi defensores. Nam in dacione prebendarum sub oblacionis nomine quasi pro communi utilitate infinitam pecuniam exigebant, quam non prout opus erat fratribus, sed secundum paucorum praedictorum voluntatem, sibi tantum providentes inter se latenter dividebant. Sed cum omne genus simonie ab Adriano Papa [a]) suisque predecessoribus dampnatum, ac omnimodis amputatum cognovimus, placuit nostre et astancium providentie, praefati Ettonis Episcopi querelam sic modeste et utiliter temperare, ne utilitates ecclesie prorsus videamur destruere, vel decretis patrum temere contraire. Rogatu igitur fratrum eiusdem Episcopii et consilio multorum pacem et concordiam diligentium, ac provido consensu Episcoporum Lulli videlicet Moguntini, Ettonis et Johannis, statuimus et regali nostra auctoritate confirmavimus, quatenus ingredientes, si digni iudicentur scientia, moribus et genere, ne appareant vacui in conspectu Domini, de allode, quantum Deo inspirante voluerint, matri ecclesie devote tribuant, vel si hoc defuerit, septem libras illius monete in caritatem et commune fratrum commodum voluntarie offerant, ut inde nostri memoriam agentes, alacrius cosolentur. Episcopus vero et prepositus, ne huius caritatis immunes habeantur, cum sint domini et magistri, tribus unciis auri donentur. Praecipimus quoque, ne defuncto priore aliunde veniens, sed de ipsius ecclesie gremio, si reperitur idoneus Episcopus, eligatur, sed si nullus ibi dignus, quod minime credimus, inveniatur, tunc primum alter aliunde assumatur, ita tamen ne Romana Majestas, vel regalis honor offendatur. Quem talem esse censemus, qui habeat vite meritum, sapientie doctrinam, castitatem, sobrietatem, non sit turbulentus, non iracundus, et quanto magis extraneus, tanto melius moratus, providus et consideratus, nec patrum traditiones

destruendo, alicui fiat offensus vel molestus[4]). Volumus preterea res presentis Episcopi suorumque successorum a cunctis possessionibus fratrum sequestrari, et non in mansionibus vel pernoctationibus uspiam ab eis inquietari, sed sine omni futura contradictione in prepositi et fratrum dispositione res claustrales inconvulsas manere. Si quis autem Episcopus, Dux, iudex, potens, vel impotens, spiritalis vel secularis, hoc nostre dispositionis et confirmationis decretum mutare et violare presumpserit, et memorati Episcopi possessiones minuere, aut ullas violentias, vel perturbationes pro his statutis nostris inchoare tentaverit, centum libras auri optimi persolvat, medietatem fisco nostro, triginta Archimandrite[5]) Moguntino, viginti Argentinensi ecclesie. Et ut hec nostre firmitatis auctoritas melius observetur, manu propria subter firmavimus, et de anulo nostro signari iussimus. Signum Caroli gloriosissimi Regis. Gilbertus Cancellarius ad vicem Hitherii recognovit et subcripsit. Datum in sancto die Pasche tercio nonas Aprilis, anno Dominice Incarnationis DCCLXXIV, indictione[6]) duodecima, anno sexto regnante Domno nostro Carolo gloriosissimo Rege, ipso Papa Adriano sedente in sede sua. Actum Rome, in Dei nomina feliciter, Amen.

Anmerkungen.

[1]) Zuerst bei *Schilter*, in dessen Ausgabe von *Jac. Königshofen's Elsassischer Chronik*, Strafsburg 1698, S. 495; dann bei *Lünig*, *Reichsarchiv*, *Cont.* I, *Forts.* III, S. 274. *La Guille*, *Histoire d'Alsace*, *Preuves*, p. 18. Am besten bei *Grandidier*, *Histoire de l'Eglise de Strasbourg*, Tom. II, *Pièces justif.* p. CIX. *Trudp. Neugart*, *Cod. diplomat. Alemanniae et Burgundiae Transiuranae*, nr. LVII, Vol. I, p. 55. — Vom 3. April 774.

[2]) De Lullo Moguntino Archiepiscopo lege *Serrarium*, *Rer. Mogunt.* lib. IV, p. 604, edit. I., et p. 371, edit. II., et de Johanne Episcopo Constantiensi, *Gall. christ.* Tom. V, p. 895. — *Grand.*

[3]) In epistola XXXIV. Adriani Papae ad Domnum Carolum Regem directa apud *Bouquet*, *Rer. Gallic. script.*, Tom. V, p. 579, quae est LXXXV. in Carolino Codice, haec leguntur: „Nos omnium ecclesiarum pastoralem curam habentes divina praedicare praecepta non sinimus de consecrationis vitio, quod in partibus Italiae et Tusciae per haeresin Simoniacam fit etc.“

[4]) Vergl. *Capit. I. ai.* 802. §. XXII. i. d. Beil. nr. LXII, S. 181.

[5]) Archimandritae olim apud Graecos appellabantur Abbates generales, seu Principes monachorum, quod nomen dein Archiepiscopis fuit communicatum. Dagobertus Episcopus Bituricensis, in charta anni 990. se *Bituricensis ecclesiae Archimandritam* inscribit. In Tabulario ecclesiae Gratianopolitanae (*Grénoble*) Amblardus Lugdunensis Archimandrita dicitur. Alia vide exempla quae citat Cangius, in *Glossario*, Tom. I, p. 657.

[6]) Haec inter Chartas Alsaticas prima est, quae habet Indictionem et annum Incarnationis. Papebrochius et alii vel falsa vel interpolata arbitrantur omnia diplomata, quae ante annum DCCC. acram christianam et Indictionem prae se ferunt. „Hac aetate,“ inquit *Eckhart*, *Commentar. de reb. Franc. oriental.*, Tom. II, p. 28, „certa sedet sententia, annum Incarnationis in probis Caroli chartis non inveniri.“ Quos omnes iam refutavit Schatenus. Aeram Dionysianam anno DXXXIII. compositam non statim in chartis admissam fuisse, sed longe post tempore introductam verum est: sed cum praefigatur Conciliis Germanico, Leptinensi et Suessionensi annorum DCCXLIII. et DCCXLIV., cur non potuit Carolus eam in diplomate anno DCCLXXIV. adhibere? Illam anno DCCLXXXIII. adhibuit in authentico diplomate pro Metensi S. Arnulphi coenobio apud *Meurisse*, *Histoire des évéques de Metz*, p. 179. (*Bouquet*, Tom. V, p. 748.) Quod etiam de indictione dicendum. Non igitur falsa dici potest charta, quae novem ante annos iisdem formulis sit usa. Revera omnia fere diplomata, quae ad res monasteriorum privatarumque personarum pertinent, in secunda Regum stirpe carent annis Incarnationis et Indictionis. Sed annotat *Mabillon*, *de re diplomatica*, p. 189, nonnulla, quae solemnia fuere et ecclesiam vel regnum spectabant, cum annis Regum adiunctos habere Incarnationis annos. Idem adnotat *Besselius*, *Chronici Gottwicensis*, Tom. I, lib. II, p. 133, idque clare enuntiant auctores gallici novae Diplomaticae, Tom. VI, p. 442:

> „Les diplômes de Charlemagne datés de l'Indiction et des années de l'Incarnation, avant et depuis qu'il fut Empereur, ne doivent point être rejettés, s'ils d'ailleurs ils ne sont pas repréhensibles.“

Quidquid sit de hac controversia, quae stat pro anno Incarnationis, nulla remanebit difficultas, si dicatur aeram christianam et Indictionem manu posteriore in apographo fuisse insertam; cum reliquae aliae formulae diploma Carlovingicum denotent.

XCIV.

Testamentum Sancti Fulradi Abbatis Monasterii

S. Dionysii in Francia, et Fundatoris Monasteriorum Leberahensis et S. Hippolyti in dioecesi Argentinensi, datum anno LXXVII [1]).

Terminum vitae pertimesco, quando de hunc saeculum ero migraturus, ut aliquid de peccatis meis per confessionem et largitatem de proprias pecunias meas, quae ad Ecclesiarum et ad loca Sanctorum Beatorum Martyrum Dionysio, Rustico et Eleutherio, ubi ipsi Domni corpore requiescunt, in loco qui dicitur Cadolaco, ubi plurima servorum Dei turma laudes Christi die noctuque adesse videntur, ut in alimonia eorum et susceptionem hospidum, vel in elemosina Senodicorum pauperum, viduarum, orfanorum, et in lumen ecclesiarum conferre debeam, ut Dominus per suam misericordiam et intercessionem Sanctorum, et orationes pauperum mihi in pace et misericordia debeat recipere, qualiter portionem mereat habere in vita beatorum. Ego Fulradus hac si indignus sacerdos vocatus [2]), filius Riculfo et Ermengarde quondam, dono, donatumque in perpetuum omnes res proprietatis meae, quidquid de successione parentum meorum mihi obvenit, vel dationibus Regum, seu de comparato, vel commutationis, vel traditionis, quantumcumque mihi et germano meo Gaustberto traditum fuit, et quicquid ipse germanus meus Gaustbertus mihi tradidit, et villas denominatas, que Theudericus [3]) mihi tradidit: id sunt Blithario villa [4]) cum appendiciis suis; Auricas-Macbera [5]) cum appendiciis earum; Gamundiis [6]) cum appendiciis suis. Similiter quantumcumque Hartbertus in ipsa loca habuit, et Cocalingas, et villare, quae Hermenlindis mihi tradidit: similiter Sechingast [7]) Faginulvineas [8]) cum integritate; similiter Fredishaim [9]), similiter Hundinishaim [10]) et Mauchinhaim [11]), et Benisthaim [12]), quae Chrodhardus [13]) mihi tradidit cum appendiciis earum. Similiter villas et loca, quae Wido [14]) mihi tradidit, Guirmari [15]), Audaldo-villare [16]), Radberto-villare [17]), Grutsinhaim [18]), Ansulsesheim [19]), Scaserishaim [20]), et reliquas res per loca diversa tam in Alisacius [21]), quam quae in Mordinnavia [22]), quae mihi Wido tradidit, et per mea praestaria modo usufructuario aliquas habet, Waltario-villare [23]), Tornugovillare, Victornigas, Adimartia villa [24]), Hagnaldovillare, Warungo curte [25]), Filicione curte, Sicramno curte [26]), quantumcumque in Alisacius et Mordenavia et Brisegavia, quicquid mihi traditum fuit, et datum per strumenta [27]) cartarum: simi-

liter in Saloninse, et Scarponinse, et Calmontinse[28]) et Blesinse[29]), et Rosalinse, quicquid in ipsos pagos visus sum habere, tam terris, mansis, campis, pratis, silvis, vineis, cultis et incultis, aquis aquarumve decursibus, mancipiis, servis, ancillis, litis undecumque moderno tempore vestitus sum; totum et ad integrum gregis cum pastoribus, et omne subpellectile ad partes Sancti Dionysii a die praesente, pro animae meae et genitore meo Riculfo, et genitrice mea Ermengarde, et germano meo Gaustberto et Bonefacio[30]), et sorore mea Waldrane, et pro genealogia mea: ut per intercessione Sancti Dionysii cum sociis suis mereamur adaepisci vitam aeternam. Similiter Salona[31]), ubi aedificavi ecclesiam in honore Sanctae Mariae, ubi requiescunt Sanctus Privatus Martyr, Sanctus Ilarus Confessor, quicquid ibidem datum fuit de conlata populi, et ipse populus mihi tradidit; omnia et ex omnibus, sicut per testamentum meum iam confirmavi[32]), a partibus Sancti Dionysii ipsa cella debeat aspicere, tam illas commutationes, quae cum Angalramno Episcopo feci[33]), quamque et reliquas commutationes; similiter et alia cella, quae dicitur Audaldovillare[34]), ubi Sanctus Ipolitus requiescit; et tertia cella infra vasta Vosgo aedificavi, ubi Sanctus Cocovatus requiescit super fluvium Laima, quae dicitur Fulrada cella[35]): similiter quarta cella infra Alamania, quae dicitur Aribertingas, ubi Sanctus Veranus requiescit[36]); similiter quinta cella, ubi Sanctus Vitalis requiescit, super fluvium Nettra, quae Hafti mihi tradidit, quantumcunque ad ipsas aspicere videntur, et conlata populi ibidem delegavit, tam terris, mansis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vineis, farinariis, greges cum pastoribus, servis, ancillis, litis, aurum, argentum, codices, eramen, ornamenta ecclesiarum, patellas ad salo faciendum in vico Bodatio, seu marsallo uno cum sessis eorum, sicut dixi, et omne subpellectile, quantumcunque ad ipsas cellas repertum fuerit, totum et ad integrum a die praesente ad partes Sancti Dionysii delegavi; et dum ego vixero, ipsas res in mea potestate habere debeam, post meum quoque discessum absque ullius iudicis contradictione a partibus Sancti Dionysii debeant revertere, et nullas heredes meorumque potestatem habeant contra hanc traditione mea agere. Et si conaverit, inferat una cum sociante fisco auro libras quinquaginta, argento pondus centum coactus exsolvat, et quod repetit evindicare non valeat, cum stipulatione subnexa[37]). Actum publice Haristalio, anno nono et quarto regnante Carolo gloriosissimo Rege Francorum et Langobardorum, atque patricio Romanorum[38]). Ego Folradus

Capalanus subscripsi. In Dei nomine Maginarius[39]) consensi et subscripsi. Signum † Teudriço. Hamerardus † consensi. Signum † Wlfardo[40]). Signum † Hadratto. Signum † Gislamaro. Signum † Hildrado Comite. Signum † Baldulfo. Signum † Chrodone. Signum † Hainrico. Signum † Anselmo Comite palatii[41]). Signum † Folrado. Signum † Hartgero. Signum † Harihardo, Comite[42]). Signum † Ricgario. Signum † Teudulfo. Signum † Hildrado. Signum † Erleberto. Signum † Gundacero. Anno nono et quarto regnante Domno Carlo gloriosissimo Rege Francorum et patricio Romanorum. Actum publice[43]) Haristalio. Ego Adarulfus rogitus et ordinatus a Domno Fulrado scripsi et subscripsi[44]).

Anmerkungen.

[1]) Ueber die vier verschiedenen Testamente des Abtes Volrad, welche im Archiv der Abtei St. Denys aufbewahrt wurden (ob sie noch jetzt vorhanden sind, vermag ich nicht anzugeben), vergl. das Nouveau Traité de diplomatique, Tom. I, p. 173. — Herausgegeben ist es von *Dubois*, Histor. eccles. Parisiens., Tom. I, p. 269. *Mabillon*, Acta SS. Ord. S. Benedicti, Tom. IV, Saec. III, P. II, p. 309. *Cointe*, Annal. eccles. Franc., Tom. VI, p. 131. *Felibien*, Histoire de S. Denys, Pièces justificatives, nr. 56, p. XXXVIII. *Scheid*, Orig. Guelfic., Tom. I, lib. 2, Probat., p. 225. Am besten von *Grandidier*, Histoire de l'Église de Strafsbourg, Tom. II, Pièces justificatives, nr. 71, p. CXXII. folgd. Vergl. auch *Trudpert Neugart*, Cod. diplomat. Alemann. et Burgundiae Transiuranae, nr. LXVII, Tom. I, p. 63 folgd. Fulrad heifst Amabilissimus Abbas, Franciae Archipresbyter in dem Briefe des Papstes Hadrian an den Erzbischof Tilpin von Rheims ungefähr vom Jahre 776 bei *Flodoard*, Histor. eccles. Remensis, II, 17. Capellanus palatii sui nennt ihn Karl der Grofse in dem Diploma pro Monasterio Salonensi ai. 777 bei *Mabillon*, de R. D., p. 499.

[2]) In den Nekrologien von St. Denys und von Argenteuil wird der Todestag folgendermafsen angegeben: XVII. Kal. Augusti Domnus Fulradus nostrae Congregationis monachus et Abbas.

[3]) Vielleicht der Graf Theoderich, ein Verwandter Karls, über den *Einhard's* Annal. a. 782. 791. 793. zu vergleichen sind.

[4]) Blittersdorf, in der Nähe des Zusammenflusses der Saar und Blese.

[5]) Ormascher bei Blittersdorf.

[6]) Saarmund, Saargemuines.

[7]) Sehsenheim, in der Herrschaft Fleckenstein, dem Freunde der deutschen Literatur durch *Göthe's* dortigen Aufenthalt während seiner Studienzeit in Strafsburg bekannt, und durch ihn zu einem klassischen Orte geworden.

[8]) Vielleicht Fessenheim in der Nähe von Neubreisach, dem Strafsburger Domkapitel zugehörig.

[9]) Fridolzheim, ein Flecken, vier franz. Meilen von Strafsburg entfernt.

[10]) Hinsheim.

[11]) Ein ehemaliger, jetzt zerstörter Flecken bei Baldenheim.

[12]) Berstheim in der Präfektur Hagenau.

[13]) S. die Schenkungsurkunde unter nr. XCIV, *b*.

[14]) *Wido*, ein bedeutender Landeigenthümer (comes) im Elsafs. S. *Schoepflin*, Alsatia illustr., Tom. I, p. 667. Vergl. die Bestätigungsurkunde dieser Schenkung von Seiten Pippins bei *Félibien*, Histoire de St. Denys, Preuves, p. XXX. *Mabillon*, de Re D. lib. VI, p. 495. *Bouquet*, V, p. 708. *Grandidier*, II, p. XCIX, nr. 58.

[15]) Gemar, zwei Meilen von Seelstadt.

[16]) St. Bilt oder St. Hippolyte.

[17]) Rappolzweiler, Stadt im Ober-Elsafs.

[18]) Grusenheim, ein Dorf zwischen dem Rhein u. der Ell.

[19]) *Ensheim*, *Ensisheim*, ein Flecken zwei Meilen v. Strafsburg.

[20]) Scheffersheim, ein dem Bisthum Strafsburg gehöriges Dorf.

[21]) Der Elsafs, l'Alsace. — [22]) *Mortenau*.

[23]) Das Städtchen *Wattweiler*. — [24]) *Adamsweiler*.

[25]) Wahrscheinlich das Dorf Gebersweiler.

[26]) *Sirenz* im Sundgau, zwischen Basel und Mülhausen.

[27]) i. e. instrumenta.

[28]) Le Chaumontais, ein weites zur Diöcese von Toul gehöriges Gebiet zwischen den Vogesen und der Mosel. S. *Schoepflin*, Alsatia illustrata, Tom. I, p. 670.

[29]) Vergl. *Croll*, Origin. Bipont., Tom. I, p. 13 ff.

[30]) S. *Everard Scheid*, Origines Guelficae, II, 1, Tom. I, p. 107 vermuthet, dafs dieser Bonifacius der Gemahl der Waldrana, Schwester des Fulrad gewesen sei, und damals das Herzogthum Baiern inne gehabt habe. Nach dem kleinen Testament (nr. *a*.) ist er eher ein Bruder (es heifst dort *germanus*) als ein Schwager des Fulrad gewesen.

[31]) Salone, an der Seille zwischen Vic-Salins und Chateau-Salins. Das Priorat von Salone wurde im Jahre 1602 mit dem

Bisthum Nancy vereinigt. *Tabouillot*, Histoire de Metz, I, p. 534.

[82]) S. nr. A.

[83]) Ueber diese Täusche zwischen Angilram, dem Erzbischof von Metz, vergl. die Urkunde Karls des Grofsen für das Kloster Salone vom Jahre 777 bei *Mabillon*, de R. D., p. 499. *Bouquet*, V, p. 739.

[84]) Das Städtchen S. Hippolyte oder Sanct-Bilt in Lothringen. Die Pfarrkirche von Nancy hat das Patronat und bezieht von dorther den Zehnten.

[85]) Leberau, Lièvre in Lothringen. Hier liegt Fulrad begraben. Er starb, wie schon oben bemerkt worden ist, am 16. Julius 784, und war der einzige unter den Aebten von St. Denys, welcher heilig gesprochen worden ist. Andere nennen ihn freilich nur *Beatus*. Die Grabschrift, welche ihm Alcuin setzte (*Doublet*, Antiquités de St. Denys, lib. IV, p. 1376; *Cointe*, Annal. ecclesiast. Franc., VI, p. 247; *Mabillon*, Acta SS. Ord. S. Benedicti, IV, p. 307. *Félibien*, Histoire de l'Abbaye de St. Denys, p. 571. *Bouquet*, Tom. V, p. 410; auch in der Frobenschen Ausgabe von Alcuins Werken) giebt an, dafs er zuerst in St. Denys beigesetzt worden war. Späterhin wurde sein Leichnam nach Lièvre gebracht (*Mabillon*, Annal. Benedict.. lib. XXV, Tom. II, p. 269), wo er lange Zeit als Heiliger verehrt wurde (am 17. Februar, dem Tage seiner Translation. S. *Doublet*, a. a. O., liv. I, p. 207. *Henschen*, Act. SS. 3. Febr., p. 40. *Du Pin*, ebendas. 3. Aug. p. 4. Gallia Christiana, Tom. VII, p. 348). Auf den alten gemalten Glasfenstern der Kirche zu Lièvre erblickte man das Bildnifs des Abtes Volrad und unter demselben folgende Worte: do mea cuncta Deo hic; auf der anderen Seite das Bild Karls des Grofsen mit der Unterschrift: Fiant haec iubeo. (*La Guille*, Histoire de l'Alsace, II, p. 20.)

[86]) Man vergl. das Diplom Karls des Gr. vom Jahre 779, gegeben im Pallaste zu Düren: Donamus villam nostram Hairibertingas ad sacrosanctam ecclesiam beatissimi Martyris Dionysii, ubi Sanctus Varanus corpore requiescit, in loco qui dicitur Haribertingas, et vir venerabilis Folradus Abba praeesse videtur, quam ipse in sua proprietate infra fine Hairbertingas super fluvium Brailia in Ducato Alamannorum in Comitato Hurma novo construxit opere, hoc est fisco nostro Hairebertingas. Die Urkunde steht vollständig bei *Doublet*, Antiquités de l'Abbaye de St. Denys, livr. III, p. 715. *Hartzheim*, Concil. German., I. p. 242.

[37]) Ueber das Symbol der *festuca* s. zu Beil. S. 110, Z. 21. Am besten hat über diese und ähnliche *Investiturzeichen* gehandelt *Jo. Chr. Gatterer*, Abrifs der Diplomatik, Göttingen 1798, 8., §. 81, p. 86 folgd. *Maffei*, Istoria diplomatica, p. 136. Nouveau traité de diplomatique, Tom. IV, p. 643 folgd.

[38]) D. h. 777.

[39]) Mönch in St. Denys, Nachfolger Volrads. S. seine Unterschrift unter Karls Testament, Kap. XXXIII.

[40]) *v. Eckhart*, *Comment. de reb. Franc. orient.*, I, p. 653, behauptet, er sei identisch mit dem Grafen und späteren Herzoge *Welf*.

[41]) S. oben Kommentar zu Kap. IX, S. 169. Placitum pro Abbatia Honaugiensi, v. J. 775 bei *Grandidier*, a. a. O., nr. LXIX, p. CXX. Letzteres steht auch bei *Mabillon*, Annal. Ord. S. Benedicti, II, p. 699. *v. Eccard*, Origin. Habsburg., p. 105. *Schöpflin*, Alsat. illustrat., I, p. 51.

[42]) Wahrscheinlich identisch mit dem Grafen *Eberhard*, Sohn des Alberich, Enkel Eticho's des Jüngeren, Herzogs.

[43]) Ueber den Ausdruck *Actum publice* s. *Mabillon*, de R. D., p. 209.

[44]) „Cette souscription (d'Adarulphe) et celle de Maginaire sont accompagnées de notes de Tiron. Au bas de la page on voit encore les restes de la paille qu'on avait insérée suivant l'usage pour la validité du testament.“ *Nouveau Traité de Diplomatique*, V, p. 445, not.

XCIV, *a*.

Testamentum breve Sancti Fulradi Abbatis Monasterii S. Dionysii in Francia. Datum anno DCCLXXVII [1]).

Terminum vitae pertimesco, quando de hoc seculo ero migraturus, ut aliquid de pecatis meis per confessionem et largitatem de proprias pecunias meas, quae ad ecclesiarum et ad loca Sanctorum Beatorum Martirum Dionysii, Rustici et Eleutherii, ubi ipsi Domni corpore requiescunt, in loco qui dicitur Cadolaco, ubi plurima servorum Dei turma laudes Christi die noctuque adesse videntur, ut in helemosina eorum et susceptione hospitum, vel in helemosina Sinodocorum [Xenodochiorum] pau-

perum, viduarum et orfanorum, et in lumine ecclesiarum[2]) conferre debeam. ut Dominus per suam misericordiam et intercessiones Sanctorum et orationes pauperum mihi in pace et misericordia debeat recipere, qualiter portionem merear habere in vita beatorum. Ego Fulradus hac si indignus sacerdos filios Riculfo et Hirmingarde condam dono, donatumque in perpetuum omnes res proprietatis meae quicquid de successione parentum meorum mihi obvenit, vel de donationibus Regum, seu de comparatum, vel commutationes quantumcumque mihi et germano meo Gaustperto traditum fuit, et quicquid ipse germanus meus Gaustpertus mihi tradidit. Id sunt loca denominata Blitariovilla cum apendiciis suis, Auricas-macra, Hartbertovillare, Cochelingas, Fechingas, Fochinulhingas; similiter et in Alsacis, seu in Morthenavia, id sunt Fredeshaim, Undineshaim et Mochenhaim, Germeri, Audoldovillare, Grutsenhaim, Fresenhaim, Ansulseshaim, Scaferhaim, super Bebonovillare ecclesia in honore S. Petri cum adiacentiis suis, Walterovillare, Ratbertovillare, Scofhaim, necnon in Salinse, Turnugovillare, Victurningas, Almerega curte, Warningas, Filicione curte; similiter Salona, ubi aedificavi [Ecclesiam in honore S. Petri cum adiacentiis suis, Walterovillare, Ratbertovillare, Scofhaim, nec non in Salinse, Turnugovillare, Almerega curte, Agnaldo curte, Warningas, Filicione curte; similiter Salona, ubi aedificavi] ecclesiam in honore Sanctae Dei genitricis Mariae, ubi requiescunt corpora Sanctorum Pontificum Privati martyris et Hilari Confessoris, quicquid ibidem donatum fuit de conlata populi, necnon et in Alsacinse alia cella, quae dicitur Fulradovillare, ubi Sanctus Ypolitus requiescit; et tertia cella infra Vesta Vosago, quem aedificavi, ubi Sanctus Cucufatus et Sanctus Alexander Martyres requiescunt. Similiter quarta cella qui diciter Radulfesboch, ubi Sanctus Georgius requiescit: necnon et quinta cella qui dicitur Haribosting, ubi Sanctus Varanus requiescit. Similiter sexta cella, ubi Sanctus Vitalis requiescit, super fluvium Necrae, omnia et ex omnibus in Salninse, et in Scarponinse, Calmontinse, et Roslince, Alsacinse, Mortenavia, Alamania, quantumcumque visus sum habere, tam terris, mansis, vineis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, mancipiis, servis, ancillis, lidis[3]), undecumque moderno tempore vestitus sum, totum et ad integrum greges cum pastoribus, et omni supellectile, et quidquid ad ipsas cellas aspicere videtur, aurum, argentum, calices, aeramen, ornamenta ecclesiae, patellas ad sale faciendum in vico Bodecio[4]), seu marsalla cum fossis earum, totum et ad integrum

ad partem sancti Dionysii a die presente pro anima mea et animabus famulorum, famularumque Riculfi genitoris mei et genitoris meae Hirmingarde, et germanis meis Gaustperti et Bonefacii, et germane meae Waldredane et pro genealogia mea, ut pro intercessione Sancti Dyonisii et sociorum eius vitam mereamur adipisci aeternam; ea vero ratione ut dum ego advixero, ipsas res in mea potestate habere debeam; post meum quoque discessum absque ullius iudicis contradictionem ad partibus Sancti Dionysii debeant revertere, et nulus heredum meorum habeat contra hac tradictionem generare calumniam, et si conaverit, inferat una cum sociante fisco, auro libras quinquaginta, argentum pondus certum coactus exsolvat, et quod repetii evindicare non valeat, stipulatione subnexa. Actum publice Haristalio, anno nono et quarto regnante Carolo gloriosissimo Rege Francorum et Langobardorum, atque patricius Romanorum. (Es folgen die Unterschriften.)

Anmerkungen.

[1]) *Grandidier*, *a. a. O.*, nr. LXXI *bis*, p. CXXVII. Aus dem Archiv der Abtei St. Denys.

[2]) I. e. ad luminaria in ecclesiis comparanda. S. *das* Testament der Königin Gisla.

[3]) S. die Beilagen, S. 38 Anmerkung. Man füge dort hinzu: *Nithard*, *de dissens. fil. Ludovici Pii*, *lib. IV*, bei *Pertz, Monumenta Germaniae historica,* II, p. 361 sagt: „Sunt inter Saxones, qui *Ethilingi*, sunt qui *Frilingi*, sunt qui *Lazzi* (s. v. a. Letti, Lidi, Leute) eorum lingua dicuntur; latina vero lingua hoc sunt: *nobiles*, *ingenuiles* atque *serviles.*" S. auch *Jak. Grimm*, *deutsche Rechtsalterthümer*, S. 306 — 309. *Graff*, *Althochdeutsch. Sprachschatz.* s. v. *Litus*, II, col. 190 ff. s. v. *Laz*, II, col. 299. Die *Lidi* werden in den Ripuargesetzen *Tabularii* genannt, weil sie durch eine Urkunde (*per tabulas*) von der Leibeigenschaft befreit wurden. Sie waren zwar aus dem unmittelbaren Dienste entlassen, aber noch immer hörig, und bauten wahrscheinlich das Land, welches ihr Herr ihnen erblich übergeben hatte, für einen an ihn zu entrichtenden Zins, stritten auch im Kriege mit ihm und für ihn. S. *Pact. leg. Salic. antiq. Tit. XII.* §. 6. XV, 4. *Lex Ripuarior. Tit.* LVIII. Es stand aber in der Gewalt des Herrn, sowohl seinem *Lidus* als seinem Leibeigenen alle Rechte eines freien Mannes zu verschaffen, der dann *homo*

denariatus genannt wurde. Vergl. *Lex Ripuarior.*, *Tit.* LVII, §. 1. *Pact. leg. Salic. antiq. Tit.* XXX. In der *Lex Baiuvariorum* werden die *lidi* Freigelassene (*frilazin*) genannt. *Tit.* VII, §. 10. Bei den Franken und unter den der fränkischen Herrschaft unterworfenen Völkern geschieht folgender Klassen Erwähnung:

1) *Nobilissimi*; die Söhne des Kaisers. Vergl. z. B. die von Gisla, der Schwester Karls, ausgestellte Urkunde bei **Mabillon**, *de R. D.*, p. 503.

2) *Nobiles*. Die *Ministeriales* gehörten theils zu dem landsäfsigen Adel der *Nobiles* und waren dann Ministerialen des Königs (*Capitul. ai.* 802, *cap.* 39. *Capitul. Karoli Calvi*, Tit. XL, cap. 11); andere waren Ministerialen der *nobiles* oder *liberi*, und als solche entweder *liberi* oder *servi*.

3) *Ingenui*, Freisafsen. Hieraus bildete sich späterhin der Ritterstand, *Ingenuiles*. (*Nobilitas immediata.*). S. *Capitul. Ludovici Pii ai.* 729. I, p. 672. (*Baluze.*) *Caroli Calvi a.* 804. II, p. 187, besonders aber *v.* **Hontheim**, *Prodrom. Hist. Treverens.*, I, p. 268, §. IV. **Kopp**, *de insigni differentia inter S. R. I. Comites et Nobil. immed., cui supplementi loco accesserunt multa diplomata adhuc inedita observationibus necessariis illustrata*, Argent. 1725, 4., I, 5, 9.

4) *Servi*. Nicht bei allen deutschen Völkern. S. **Tacit.** *German.*, cap. 25. Im Mittelalter verschwand dieser Stand gänzlich. Vergl. **Eichhorn**, *Rechtsgeschichte*, §. 339.

a) **Fiscalini**. *Charta Monasterii Pruniensis* bei **Martene**, *Veterum Monument. et Script.*, Tom. I, p. 28: „Ut ipsi homines — — — in ipso tenore et consuetudine sicut antea fuerunt et caeteri fiscalini sint nostri absque alicuius contradictione ad iam dicto loco debeant permanere tam de causas eorum in responsis, quamque aliam legem vel consuetudinem sicut reliqui infra regna nostra habuerunt fiscalini et antea in unumquemque pago habuerunt consuetudinem.“ **Muratori**, *Scriptor. rer. Italicar.*, Tom. I, P. II, p. 128, not. 16, behauptet, dafs die *homines regii* oder *fiscalini* zu den *libertinis* gehört hätten, weil ein freier Mann eine *fiscalina* zur Ehe habe nehmen müssen. S. *Capitul. II. ai.* 805, cap. 22. Aber nicht alle *fiscalini* waren *servi*, sondern viele gehörten dem Stamme der *ingenui* an.

b) *Liti* standen mitten inne zwischen Freien und Sklaven, ebenso wie die *Aldiones*, welche häufig in den italiänischen Urkunden vorkommen, z. B. *Capitul. add. ad Leg.*

Longobardor. ai. 801, Cap. VI. Vergl. die Abhandlung von **Muratori**, *de manumissionibus servorum et libertis, aldiis et aldianis* in den *Dissert. antiq.*, Tom. I, nr. LXXXVIII. — Die *Liti*, *Lazzi*, *coloni*, waren *Hofhörige* ohne die eigentlichen Freiheitsrechte, d. h. ohne das ächte Eigenthum an Grundstücken, die Fähigkeit zu allen Rechtsgeschäften und Handlungen, welche vor die Volksgemeinde als Volksgericht gehörten, Vorsprecher zu sein und Urtheil zu finden (Schöffenbarkeit); das Recht des Wehrgeldes für dessen Sicherheit das Institut der Gesammtbürgschaft bestand (**E. A. Feuerbach**, *de universali fideiussione*, *Norimb.* 1826, 8.), das Fehderecht uud das Waffenrecht, welches sich in der Befugniſs zeigte, andere Freie kämpfend anzusprechen und mit solchen im Reichsheer als Genosse zu dienen. Da die Kinder bei ungleichem Stande der Aeltern der *ärgeren Hand* folgten (**Eisenhart**, *deutsches Recht in Sprichwörtern*, zw. Ausg., S. 152), so konnten diese Rechte regelmäſsig nicht anders als durch Abstammung von *beiderseits freien* Eltern erworben werden. — Was die *Arimanni* in Italiänischen Urkunden anbetrifft (vielleicht *Heermänner*, *liti*, die zum Kriegsdienste verpflichtet waren), so läſst sich darüber nichts mit einiger Bestimmtheit entscheiden. Vergl. **Muratori**, *a. a. O.*, *Dissertat. XIII.* — Noch sei bemerkt, daſs die Ausdrücke *mancipia*, *servi*, *servientes*, *manentes*, *mancipia*, *commanentia* ganz gleichbedeutend mit *liti* gebraucht wurden. S. *v.* **Hontheim**, *Prodrom. Histor. Trevirens.* I, p. 284. — *Manaliti* findet sich in einer Urkunde Lothars für das Kloster Prüm bei *v.* **Hontheim**, *Hist. Trevirens. Diplomat.* nr. CII., p. 206. **Du Fresne**, *Glossar.* s. v. erklärt es irrig durch *Vasalli.*

Zu erwähnen sind noch *Accolae*, *Condomae*, *Masnada*, *Commendati*, *Chartularii.*

Die *accolae* (*accolani* bei **Mabillon**, *R. D.*, p. 150: — — *ipsa vero loca una cum colonis*, **accolanis**, *servis*, *libertis in ipsa loca commanentes*) sind *adscriptitiae conditionis homines habentes diplomata*, Leute, denen vermöge einer besonderen Urkunde das Recht des Wohnsitzes zugestanden ist. *Chron. Laurisham. ai.* 776: — — *nec ad homines suos tam ingenuos quam et servientes et* **accolas** *ipsius monasterii distinguendum.* — **Masnada** leitet **Fontanini**, *Vindiciae antiquor. diplomatum adversus Bartholomaei Germonii disceptationem libri II*, Rom. 1705, 4., von *mansum* i. e. *praedium* und *natus* her, also *gens*

in mansis nata. **Muratori**, *Dissert. antiq.*, Tom. I, p. 800, erklärt es durch *familia servorum manso addicta sive in mansis nata.* Die Hauptstelle hierüber findet sich in dem äufserst seltenen Werke von **Arnoldus Oihenartus** *Mauleosolensis, Notitia utriusque Vasconiae, tum Ibericae, tum Aquitanicae, qua praeter situm regionis et alia scitu digna, Navarrae Regum caeterarumque in iis insignium vetustate et dignitate familiarum stemmata ex probatis Authoribus et vetustis monumentis exhibentur. Accedunt Catalogi Pontificum Vasconiae Aquitanicae hactenus editis pleniores.* Paris. 1638, 4. —, die ich deshalb vollständig hersetze:

Mesnaderii *a mesnada* (quae vox a *mesonada* contracta est derivaturque a Latino vocabulo, *mansio*) nomen habent, videnturque sic dicti tamquam domestici Principis, aut in eius familiam cooptati. Posterioribus enim saeculis *mansionis* vocabulum pro domo usurpatum fuisse pauci ignorant et evincit hodiernus Gallicae et Hispanicae linguae usus. Hi autem *Mesnadarii* accepto ab aerario Principis annuo stipendio eoque plerumque ad vitam continuato eidem bellum paranti praesto esse et ad ipsius nutum in castris morari ac militare adigebantur eaque re maxime ab aliis nobilibus differebant, quibus post transactum a lege praefinitum tempus, e bello discedere impune licebat, ut ex hoc capite fori seu iuris veteris Aragonici patet:

Les Infançons an for ab lo Rey que vayan ab el à bataylla campal o à son Castel, si se li alçan en sa terra. Et cant assi yran ab pan de III dies, et si plus demoren en ost lo Rey les a donar lurs obs altres III dies et del plus en la volentat dels Infançons es destar hi, hora aquels qui son Maysnades o soldades.

Id est:

Hoc iure utuntur Infançones seu nobiles cum Rege, ut cum eo ad praelium procedant aut ad eius castrum si quis contra eum in Regno insurrexerit, et tunc cum commeatu tridui progredientur: et si diutius in exercitu morentur Rex eis necessaria administrare debet altero triduo, ac deinceps in arbitrio. Infançonis vel nobilis erit ibi immorari, exceptis iis qui Mesnadarii seu stipendiarii sunt.

Mesnadariorum munus magna ex parte video expressum proxima formula, superioribus saeculis in institutione cuiusdam Mesnadarii adhibita; quam e codice Forensium Actorum illorum temporum (Regestum vocant) excerpsi, ubi cum

hac inscriptione, *Lettre de gratie de Mesnade*, id est, *tabulae concessae Mesnadae*, legitur.

Karlos por la gratia de Dios Rey de Nauarra Comte d'Eureux à todos quantos las presentes lettras veran ni odran Salut fasemos. Saber que nos considerando los bonos y agreables servitios que el nostro amado Guilielmo Arnalt de Belçunce escudero a fecho à nostros predecessores y à nos en lo tiempo à venir abemos dado y otorgado, damos y otorgamos por tenor de las presentes la meatat del molino de Beategui y la diezma de la otra meatat del dicho molino con cinqoanta y quadro sueldos morlanes del cermanage à nos deuido en la villa de sant Pelay al dia de Quasimodo à tener toda su vida y no mas en manera que da qui adelant eylh sea tenido de nos seruir el mismo con un ombre de Cavallo bien armado por espacio de quoaranta dias ensemble o por..... à sus proprias messiās y expensas à deffension del nostro Regno dentro del dicho Regno o de fuera.... en tiempo de guerra o de paz en vistas de...... o en caualgadas y en todo otro caso qualquiere..... por el quo al por nos o nostro logarteñ por nostro gouernador o por otro de nostro mandamiento li sera mandado y si mas adellant del dicho tiempo queriemos su seruitio nos li dariamos tales...... que à los otros fidalgos del Regno qui semeylabe seruitio nos farian...... Guilielmo Ard meter y tener el dicho molino y sus presas en estado deuido etc......... obras que à nos pertenesce fazer en aqueyllos meyllorando y no apeorando de manera que depues sus dias nos viengua en tan bon estado o mejor como agora el dicho molino.....Pero Santz de Sanpelay por pretio de viente libras cadayño. Empero no ñra intencion es que por este seruicio que tenido nos es de fazer en especial eylh y los otros fidalgos de nostro Regno en general nos son tenidos de faser cada que el caso aueniere è si por auentura contecia que el dicho Guillem ouisse defayllido de faser las cosas sobre dictas o menospretiando los nostros mandamientos de nostro logartenient del nostro gobernador o otro de nostro mandamiento tarzasse o no quisiesse complecer aqueyllas y servir como dicho es queremos y nos plaz que nostra presente donacion no le valgua, mas li sea tirada del todo, y torne à nostra mano, y desagora por entonz por tenor de las pre-

sentes len priuamos. Datum en Tudela primero dio de Març̧o anno 1350. Par le Roy, Tauen.

Commendati (*commenditi*) waren Freie, die sich mit Vorbehalt ihres Freiheitsrechtes in den Dienst irgend eines Herren begaben. S. *Formul. Sirmondicae*, nr. XLIV. — *Chartularii* (*chartulati*), Hörige, deren Freisprechung durch eine Urkunde erfolgt war. Sie mufsten sich einen Schutzvoigt, *advocatus*, wählen, der nur eine Person sein konnte, welche die Immunitätsrechte besafs, indem die blofse Aufhebung der Unfreiheit nicht den Schutz der Rechte durch eine Volksgemeinde gab. Hatte eine solche Wahl nicht Statt gefunden, so standen sie unter dem unmittelbaren Schutze des Königs. S. *Capitulare Baiuvariorum*, *ai.* 788, cap. 7: „Qui vero per chartam ingenuitatis dimissi sunt liberi, ubi nullum *patrocinium* et *defensionem* non elegerint, similiter regi componantur XL solidis." In anderem Sinne heifsen auch diejenigen *Chartularii*, denen ein Grundstück erbpachtsich (*iure emphyteuseos*) übertragen war. Vergl. ***Muratori***, *Dissertat. antiq.* Tom. III., *dissertat.* XXXVI.: *de emphyteusibus*, *precariis et laicorum decimis*, p. 243. — *Tabularii* sind die in der Kirche*), *Denariales* die vor dem Könige Freigelassenen, wo dann in jenem Falle die Kirche, in diesem der König die Schirmvogtei erhielt. Mit letzterer war das Recht verbunden, den Schutzhörigen vor Gericht zu vertreten, sein Wehrgeld zu ziehen und ihn zu beerben in dem Falle, wo nach dem Volksrecht Seitenverwandte die nächsten Erben gewesen wären. Diese Rechte hörten mit der dritten Generation auf, falls sie nicht durch ein dingliches Verhältnifs zu dem Schutzherren befestigt wurden, welches dann immer einen *Zins*, wodurch die *Voigteiverhältnisse* anerkannt werden mufsten (*censarii*, *censuales*, *cerocensuales*, *Wachszinsige*) und für *dingliche* Verhältnisse die Unterwerfung unter das Hofrecht zur Folge hatten. S. *J. St. **Pütter***, *Vom Unterschiede der Stände*, Göttingen 1795, 8.

[4]) Fulrad hatte also die Ausübung des Salzregals, welches in früheren Zeiten als unbestrittene Zubehör des Grundstücks erscheint. S. die Reihe von Beispielen aus der Karlingischen Epoche bei ***K. D. Hüllmann***, *Deutsche Finanzgeschichte des Mittelalters*, Berlin 1805, 8., S. 61 folgd.

*) Vergl. *Lex Ripuariorum*, Tit. LVII, c. 1.

XCIV, b.

Charta Chrodardi Comitis, qua praedia sua sita in Brisgovia vendit Fulrado Abbati S. Dionysii in Francia [1]).

Fratri Folrado Abbate Emptore, ego Chrodardus Comis vindetur [2]). Quae contra actus sola paccione et rei ipsius tradicione consistat, ac tabularum aliorumque documentorum ad hoc tantum interponantur instructio, ut fidei rei factae et iuris ratio comprobatur. Idcirco vindetur, vindedisse me tibi constat, et ita vindedi in Ducato Alamannorum in pago Brisagaviensis [3]), quem dato precio comparavi, aut colibet modo adtraxi et promtissima voluntate vobis firmamus, hoc est, in fines vel in mareas Binubhaime sibi Romaninchova [4]), et in alia loca in Tohtarinchova [5]), in Gotonesvilare [6]), in Walahpah [7]), in Haoltingas [8]), in Agomotingas [9]), in Binushaim [10]), in Eppalinchova [11]), in ipsas locas denominatas, id est cum terris, seu proterrariis, domibus, aedificiis, mancipiis, vineis, silvis, casis, casalis, campis, pratis pascuis, peculiis, apenticiis [12]), farinariis, aquis, aquarumve decursibus, sexus utriusque maiore vel minore, mobilibus et immobilibus cum omnia adiecentia ad ipsas res pertenentes, aut undecumque in ipsas locas mihi opvinit, tam de comparato seo de conquesito, vel de cumcamiato, quantum in ipsas locas superios denominatos visus sum habere totum et ad integrum a die praesente de meo iure in vestra trado dominatione atque transfundo perpetualiter ad possedendum. Unde accepimus a te in precium, sicut inter nos placuit atque convinit, solidus probus atpensantes numerum quinque milia: ea viro conditione, ut ab ac die ipsas res superius denominatas habeas, teneas, atque possedeas, vindas, commutas, et tuis quoque posteriis ad possedendum derelinquas; quicquid exinde facere volueris liberam ac firmissimum in Dei nomine in omnibus habeatis potestatem. Si quis vero, quod fieri non credimus, si quis, nos ipsi, aut heredes nostri, aut ulla opposita extranea persona, vel quicumque contra hanc donacione et vindicione a nobis factum, sicut superius dictum est, venire temptaverit, aut aliqua calumnia facere, aut ipsa vindicione inrumpere voluerit, tunc inferat tibi, aut tuisque heredibus tuplum tantum quantum in haec venditione in se contenit superscriptum, et insuper inferat partibus fisco auri libras decem, argentum pondus duodecim, et quod repetit evendicare non valeat, set presens hec venditio circa te, vel heredes tuos omni tempore firma et stabilis permaneat stipulatione sub-

nexa. Actum in villa, quae dicitur Mareleia[13]) puplici. Dato XVI. kal. Augusti, anno XIII. regni Domini gloriosissimo Pippino Regis[14]).

Anmerkungen.

[1]) *Grandidier*, a. a. O., nr. LVI., p. XCVI folgd. nach dem in der Abtei S. Denys befindlichen Original. Die Urkunde findet sich auch, wiewohl fehlerhaft bei *Felibien*, Histoire de l'Abbaye de S. Denis, Preuves, p. XXXIX. *Mabillon*, de R. D. VI, p. 494, nr. 45. *Scheid*, Origines Guelficae, Tom. II, lib. IV. Probat. p. 79. Auszugsweise bei *Schoepflin*, Historia Zaringo-Badensis, Vol. IV, p. 3. — *Hergott*, Genealog. Habsburg, I, 2. Tom. I, p. 15 versetzt sie unachtsamer Weise in das Jahr 1264. Sie ist vom 17. Julius 764.

[2]) Chrodoard wird in dem Testament des Heddo, Bischofs von Strafsburg [Stiftungsurkunde des Klosters Ettenheim*)] unter den Zeugen genannt. Er war Comes fisci und hatte bedeutenden Grundbesitz im Elsafs, der Ortenau und dem Breisgau. Unter den Edlen der Franken wird seiner in mehreren Urkunden gedacht, z. B. in den Urkunden Pippins für die Abtei S. Denys aus den Jahren 752. 753. 759 bei *Félibien*, Preuves, p. XXIV. XXVIII. *Mabillon*, de Re D., p. 491. 493. Nach *Schoepflin*, Alsatia illustrata, I, p. 668. 787 war *Chrodoard* identisch mit dem Grafen Ruthard oder Rodard, dem Gründer der Abteien Schwarzach und Gengenbach. Ueber den Vorschlag des *Ch* ist schon an mehreren Stellen gesprochen worden.

[3]) Vergl. die eigenhändige Urkunde Karls d. Gr. vom Jahre 790 bei *Félibien*, Preuves, p. XLII., *Mabillon*, de R. D., p. 502, *Bouquet*, V, p. 573: Hrodhardus Comis quondam ab Hunnido, seu ab aliis hominibus per cartas venditionis exinde res aliquas visus fuit comparasse, quae ponuntur in pago Brisigavia in loca nuncupantes Binuzhaim sive et Romaningahoba etc.

[4]) Rümingen. — [5]) Thumringen.

[6]) Kutz, Kutzenweiler, ein zerstörter Flecken, von dem jetzt nur eine Mühle mit dem zugehörigen Bann übrig ist. Das Gebiet gehört zu Baden.

[7]) Wollbach. — [8]) Havingen. — [9]) Aimeldigen.

---

*) *Guillimann*, de Episcopis Argent., p. 106. *Lünig*, Spicileg. Ecclesiast., III, p. 866. *Cointe*, Annal. Eccles. Francor., V, p. 648. *Eccard*, Origin. Habsburg. Austriac., p. 143. *La Guille*, Histoire de l'Alsace, Preuves, p. 16. *Schoepflin*, Alsat. diplomat., Tom. I, p. 37.

[10]) Binzen. — [11]) Oetlingen. — [12]) i. e. appendicibus.

[13]) Marley, Marlen, eine kaiserliche Pfalz. S. in dem Kommentar zu Kap. XXXII. das Verzeichniſs der Pfalzen, Nr. 70. Verschieden davon ist Marlen am Rhein, ein Flecken in der Ortenau, zwei Stunden von Straſsburg entfernt.

[14]) *Félibien* fügt eine Menge von Punkten bei, als ob die Urkunde nicht vollständig wäre. Aber es findet sich keine weitere Spur von Namensunterschriften oder anderweitigen Signaturen im Originale.

XCV.

Diploma Caroli Magni Regis Francorum

concessum Heddoni Episcopo Argentinensi, quo homines ecclesiae Argentinensis ab omnibus vectigalibus immunes declarat [1]).

Carolus gratia Dei rex Francorum ac Langobardorum, ac Patricius Romanorum [2]), omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, domesticis, vicariis, centenariis, vel omnibus missis nostris discurrentibus [3]), vel quibuslibet iudiciaria potestate preditis. Summa cura et sollicitudo debet esse Regum ad ea, que pro oportunitate ecclesiarum Dei fuerint postulata, solerter perspicere et congrua vel oportuna eis beneficia non denegare, sed ea que pro Dei sunt intuitu ad effectum in Dei nomine mancipare. Igitur cognoscat magnitudo, seu utilitas vestra qualiter veniens vir venerabilis Etto Strazburgensis Episcopus clementiam regni nostri supplicavit, ut ubicumque per civitates, vel vicos, castella, aut traiectus, vel portus homines memorate ecclesie, que est constructa in honore Sancte Dei Genitricis semperque Virginis Marie, navigio, aut terreno, id est cum carris aut saumariis [4]), negotiandi gratia irent vel redirent, nullum teloneum quisquam Reipublice administrator ab eis exigat. Propterea per hoc nostre auctoritatis preceptum decrevimus, quod perpetualiter mansurum esse iubemus, ut nullus vestrum de rebus, quas navigio aut terreno, id est cum carris et saumariis per regno Deo propitio nostra homines eiusdem Strazburgensis ecclesie negotiandi gratia duxerint, ubicumque accessum habuerint per civitates, vel vicos, castella, aut traiectus, vel portus, excepto Quentowico [5]), Dorestato [6]), atque Sclusas [7]), nullum teloneum aut ripaticum [8]), aut portaticum [9]), aut pontaticum [10]), aut salutati-

cum [11]), aut cespitaticum [12]), aut rotaticum [13]), aut cenaticum [14]); aut pastionem [15]), aut laudaticum [16]), aut trabaticum [17]), aut pulveraticum [18]), aut ullum occursum [19]), vel ullum censum aut ullam reddibitionem [20]) accipere vel exactare audeat, aut hominibus qui eadem mercimonia prevident, ullam inquietudinem aut impedimentum facere presumat. Sed liceat eis per hanc nostram auctoritatem cum navibus et ceteris vehiculis absque ullius contrarietate vel impedimento per universum, Deo propicio, regnum nostrum, ubicumque eis necesse fuerit, libere et secure ire et redire. Et si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut mercati fuerint, vel vendiderint, nihil ab eis prorsus, ut dictum est, telonei exigatur.

Et ut hec auctoritas firmior habeatur, vel per tempora melius conservetur, manu propria subter eam decrevimus roborare, vel de annulo nostro iussimus sigillare. Signum Caroli, gloriosissimi Regis. Rado [21]) ad vicem Hitherii recognovit. Data in mense decembri, anno octavo et secundo regni nostri. Actum Scalistati villa [22]), palatio publico, in Dei nomine feliciter, Amen.

Anmerkungen.

[1]) Diese für das Zollwesen unter den Karlingern äufserst wichtige Urkunde hat zuerst *Grandidier*, Histoire de l'Église de Strafsbourg, Tom. II, Pièces justificat., nr. LXVIII, p. CXVI folgd. nach einer im dortigen bischöflichen Pallast aufbewahrten Urkunde mitgetheilt. Vergl. ***Hüllmann**, Deutsche Finanzgesch. des Mittelalters*, III, 2, 2, nr. V, *B.*, S 222 folgd., aus dessen Nachweisungen wir das Wesentlichste hier beigesetzt und mit mannigfachen Zusätzen vermehrt haben.

[2]) Was die Titulaturformel anbetrifft, so müssen drei verschiedene Perioden in den Diplomen Karls des Grofsen unterschieden werden, wie schon von *Mabillon*, de R. D., II, 3, 7, *Heumann*, de re diplomatica Imper. ac Regum German. II, 47, Tom. I, p. 27, nachgewiesen worden ist.

I. Vom Tode Pippin's bis zur Vernichtung des Langobardenreiches (768—774): Carolus gratia Dei rex Francorum vir inluster.

II. Bis zur Annahme des Kaisertitels (774—800): Carolus gratia Dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum.

III. Während des Kaiserthums: Karolus serenissimus et a Deo coronatus magnus et pacificus Imperator, Romanorum gubernans Imperium, qui et per misericordiam Dei Rex Fran-

corum et Langobardorum. Den Titel Patricius Romanorum liefs er nach seiner Kaiserwerdung begreiflicher Weise fort, und nur einmal findet sich derselbe bei *Schannat*, Corp. tradit. Fuldens. (accedit....... Buchonia vetus), Lips. 1724, fol. Cod. probat., p. 83. Die Capitularien, in denen von Schreibern und Abschreibern die Titel oft wunderlich durch einander gemengt sind, kommen hierbei nicht in Betracht, auch aus der Ursache, weil sie meistentheils von Bischöfen, die es so genau nicht nahmen, nicht von den Cancellarien abgefafst wurden.

Mabillon bemerkt, dafs Karl vor Annahme des Kaisertitels in den Urkunden den Buchstaben C gebraucht habe (auf Münzen kommen C und K promiscue vor); als Kaiser habe er dagegen durchgängig; wie auch seine gleichnamigen Nachfolger K gebraucht. *v. Eckhart*, de reb. Franc. Orient., II, p. 19 bezweifelt diese Angabe, und auch mir sind einige Fälle bekannt, wo die von *Mabillon* aufgestellte Regel nicht befolgt worden ist. Doch bin ich zu wenig in der Numismatik und ihren Einzelnheiten bewandert, um ein genügendes Urtheil über Stücke zu fällen, die als κειμήλια aufbewahrt werden. Oft fehlt in der zweiten Periode der Titel Patricius Romanorum. S. *Mabillon*, a. a. O., p. 497 (ao. II. regni Italiae); *Martene*, Vet. Scriptor. et Monument., I, p. 51 (ao. XXIV. regni Italiae); bisweilen selbst der Titel Rex Langobardorum, z. B. bei *Ughelli*, Italia Sacra, Tom. V, p. 326. Merkwürdig ist die Titulatur: Karolus gratia Dei Rex Francorum et Romanorum et Langobardorum (bei *Ughelli*, I, p. 412). Karolus Serenissimus u. s. w. findet sich bei *Baluze*, Capitul. II, p. 1400. Karolus Excellentissimus et a domino [Deo] coronatus etc. bei *Ughelli*, II, p. 199, V, p. 263. Carolus divina ordinante clementia Imperator Augustus steht im Chron. Vulturnense bei *Du Chesne*, III, p. 677.

[3]) Es sind die Missi dominici gemeint.

[4]) *Saumaria*, chevaux de somme, *Saumthiere*. S. *Du Cange*, II, p. 346. VI, p. 55.

[5]) Quentowicus, id est vicus ad Quentum, quem idem esse ac monasterium S. Jodoci, vulgo *Saint Josse sur mer* in Picardia, colligit Baluzius, Not. ad epist. XI. Lupi Abbatis Ferrariensis. De Quentowico sic habet Chronicon Fontanellense, cap. 15, ad a. 788 ap. *D'Achery, Spicileg.*, Tom. III.: „Geroldus super regni negotia [a Carolo magno] procurator constituitur per multos annos, per diversos portus ac civitates exigens tributa atque vectigalia maxime in Quentawich.“ Quentawich

non amplius exstat, nec supersunt eius rudera, quibus vera et certa eius sedes indicari possit. Dicunt hi esse *Quen-le-vieil*, illi *Saint-Josse sur mer*, alii *Berck*. Probabile est ex dissertatione Diario Virodunensi mensis Januarii 1758 inserta, p. 35—39, Quentowicum esse antiquam Britanniam, quam Nicolaus Sanson suspicatur esse hodiernum Abbevilla.

[6]) Batenburg oder Wyck-te-Duerstede im Herzogthum Geldern.

[7]) Sluis in Flandern, l'Écluse noch jetzt von den Franzosen genannt.

[8]) *Droit de rivage*. Tributum quod solvebatur in ripis, vel pro aggeribus riparum tuendis, vel pro mercibus, quae in ripis exponebantur, vel etiam pro facultate terendi ripas ad subvehendas naviculas. *Ducange*, V, p. 1453. S. das Diplom Ludwigs des Fr. vom J. 814, bei *Bouquet*, VI, p. 468. Capit. ai. 800, c. 1. Hierher gehören ferner Navaticum, Schiffsgeld (Caroli Calvi dipl. apud *Ducange* s. v. Navaticum), Barganaticum, Barken- oder Kahngeld (Chron. Virdunense ai. 755, bei *Bouquet*, V, p. 372), Nautum, Ueberfahrt, Fährgeld, das Schleusengeld (Pippini Regis Capit. Metense, a. 756, c. VI).

[9]) *Portage*. Teloneum, quod exigebatur in portarum transitu. *Ducange*, V, p. 674. *Thorgeld*. Vergl. Ludovici Pii Capit. ai. 820, cap. 1.

[10]) Brückgeld, pontage. S. *Ducange*, V, p. 664. *Bouquet*, VI, p. 755, erklärt es auch für den Brückzoll der durchfahrenden Schiffe. S. die Urkunde Pippins vom J. 753 bei *Bouquet*, V, p. 700. das schon angeführte Diplom Ludwigs des Fr. v. J. 814, *Bouquet*, VI, p. 468; Ludovici P. Capit. ai. 820, c. III.

[11]) Droit d'heureux abord, erat ius exigendi salutis, sive xenia, vel praestationes, quae fiebant ultra debitum censum aut debitam praestationem. *Ducange*, VI, p. 107. *Sol par livre*. Naturalabgift von Handelswaaren. S. die eben angeführten Diplome Pippins und Ludwigs des Fr. und die angegebene Stelle des Chronic. Vird. Hierher gehören Sagmaticum, Saumaticum, Summaticum, *Waaren-Geld* (Diplom des Königs Dagobert bei *Doublet*, a. a. O., p. 656.) Mutaticum; Mustaticum, Mestaticum, Muta, *Mauth* (s. das Chron. Virdunense, a. a. O.). Hierunter war ursprünglich eine Abgabe für die Erlaubnifs, Lebensmittel herbei oder vorbei zu führen, verstanden. S. Arnolfi Regis dipl. ai. 898 bei *Meichelbeck*, Hist. Frising., I, p. 147 und die übrigen bei *Hüllmann*, S. 226 angeführten Stellen.

[11]) Tributum pro via cespitibus munienda. *Ducange*, II,

p. 625. In anderer Bedeutung Vectigal quod ex cespitibus, seu praediis locatis censitabatur. *Bouquet*, IV, p. 765. Nach *Hüllmann*, S. 227 *Rasengeld*, Abgabe für die Erlaubniſs der Anfurth an freien Plätzen. Die letztere Bedeutung erhellt deutlich aus den dort angeführten Stellen. Diploma Pippini Regis ai. 753, *Bouquet*, V. p. 700. Carol. R. Capitul. V. ai. 806, c. 11. Ludovici Pii Capit. ai. 814. Das Diplom desselben bei *Bouquet*, VI, p. 643: *naves* nullum cespitaticum u. s. w. Das bei *Du Cange* s. v. cespitaticum angeführte Diplom Karls des Kahlen: neque in mari, aut Rhodano, seu Sagona, — navigantibus, aut *littoribus commorantibus*, requirere audeat — cespitaticum etc.

[13]) *Droit de charroi*, *de rouage*, eine Abgabe für den von den Rädern der Wagen auf den Landstraſsen angerichteten Schaden. *Du Cange*, V, p. 1511. *v. Eckhart*, Comment. de rebus Franciae Or., I, p. 569. Vergl. auch das Diplom Pippins (unter nr. 11), die angeführte Stelle in der Chronik von Verdün, das Capitulare V. Karls vom Jahre 803, c. XXII, Capitular. lib. VI, 243. Appendix Marculfi, nr. XLV, bei *Baluze*, Capitul. II, p. 460. Hierher gehören auch Temonaticum, Deichselgeld (das angeführte Diplom Ludwigs des Frommen vom Jahre 814), Volutaticum oder Vultaticum, Fuhrgeld, Rollgeld (das Diplom Karls des Gr. für die Abtei St. Denys, bei *Doublet*, a. a. O., p. 709), Plateaticum oder Plantaticum, Straſsengeld (die Urkunde des Königs Pippin von Aquitanien vom Jahre 813 bei *Baluze*, II, p. 1431), Silvaticum, Waldgeld (das Capitulare Ludwigs des Frommen vom Jahre 820, c. I.).

[14]) Cenaticum ist wahrscheinlich gleichbedeutend mit dem französischen Worte *étapes*. Pastus vel refectio, quam milites exigebant ab hospitibus suis, dum in stationes suas sese conferebant. *Du Cange*, Tom. II, p. 724. Hiermit verwandt ist die Tractatoria legatariorum, deren Formular wir in den Beilagen Nr. LXV. S. 190 mitgetheilt haben. Es waren nehmlich darunter die Briefe und Scheine gemeint, durch welche der Inhaber in den Stand gesetzt wurde, auf Kosten des Staates zu reisen und zu zehren. So kommt das Wort schon bei Cicero, dem jüngeren Plinius, Tacitus, Iulius Capitolinus u. a. vor. Vergl. L. 27. §. 2 ff. ad leg. Cornel. de fals. L. 137, §. 2 sqq. d. V. O. Die Abhandlung von *Reiche*, de diplomatibus et tractatoriis, vulgo *Post- und Küchenzetteln* u. s. w. habe ich zu vergleichen keine Gelegenheit gehabt. Nicht zu verwechseln damit ist die Trastura oder Transtura [pedagium s. das Diplom Friedrichs I. vom Jahre 1179 bei *Lünig*, Specileg. ecclesiast., P. II,

p. 1090. Diplom Martins IV. vom J. 1282 bei *Guden*, Cod. diplomat., Tom. II, Frankf. 1747, 4., p. 222; pedaticum bei *Radevicus*, gest. Frider. I., II, 5.; pulveraticum oder pulveragium im Chron. Virdunense a. 755, a. a. O.; dem Capitulare V. Karls des Grofsen vom Jahre 803, c. XXII; dem oft angeführten Diplom Ludwigs des Frommen vom J. 814; dem Diplom desselben vom J. 831, bei *Bouquet*, VI, p. 572. Capitular. VI, 243], welches nicht, wie *v. Lang*, (*Hist. Entwicklung der Teutschen Steuerverfassung*, u. s. w. S. 25. 98) behauptet, das deutsche Wort Strafsensteuer ist, sondern verstümmelt worden ist aus dem lateinischen transitura, wofür auch die Formen Transitus, Transitoria, Transitorium und die Verstümmlungen Stratura, Tractura, Tristura u. s. w. vorkommen. Vergl. *Baluze*, Not. ad Capitular., Tom. II, p. 1196. Man s. Ludovici Pii Capitul. V. ai. 819, c. XVI: ut nullus ad palatium vel in hostem pergens, vel de palatio vel de hoste rediens, tributum quod *trasturas* vocant, solvere cogatur; und Capitul. lib. IV, c. 59.

15) Census pro glandatione et iure pascendi. *Du Cange*, V, p. 241.

16) Abgabe von den Schiffen für Erlaubnifs des Anlegens am Ufer, also so viel wie Ripaticum. Vergl. die angezogene Stelle aus der Chronik von Verdun und das angeführte Diplom Ludwigs des Frommen v. J. 814.

17) *Ducange*, VI, p. 1207 erklärt irrig: Trabaticum tributi species, forte pro trabibus ad publica opera devehendis vel praestandis. Es ist das Schiffziehgeld gemeint, auch Tranaticum genannt. S. das Diplom Ludwigs des Frommen bei *Bouquet*, VI, p. 643 und das Diplom desselben vom J. 831, ebendas. p. 571. Zu den Wasserzöllen gehören noch Mutaticum, *Mauth* (s. oben nr. 10), Navaticum (s. *Ducange* s. v.), wie es scheint nur ein allgemeiner Ausdruck für alle und jede Art von Wasserzöllen, Barganaticum, Barken- oder Kahn-Geld (Chron. Virdunens. a. a. O. Vergl. das Diplom Karls des Gr. bei *Doublet*, a. a. O., p. 709), Nautum, Fährgeld, auch ius passagii (s. die Urkunde des Bischofs Peter von Passau vom J. 1277 bei *Hund*, Metropol. Salisburgens., I, p. 259), und das Schleusengeld, dessen ausdrücklich im Capitulare Metense des Königs Pippin vom Jahre 756, cap. VI. gedacht wird.

18) Vectigalis genus ignotum apud *Ducange*, V, p. 979. Goldastus opinatur esse tributum, quod pensitabatur pro labore viarum et pulvere in viam regiam comportato. — *Grandidier*.

19) D. i. Exactio. S. *Ducange*, IV, p. 1313.

[20]) Hoc nomine *census* vel *reddibitionis* designatur quodcunque tributum vel vectigal in genere. S. *Ducange*, II, p. 485. V, p. 1207. 1215.

[21]) *Wencker*, Not. ad librum Bernardi de Mallinckrot de Archicancellariis Romani Imperii, in den Collectis Archivi, p. 228 behauptete, der hier angeführte Rado (s. *Bouquet*, V, p. 753—756.) sei identisch mit dem Bischofe Rachio (Ratho, Raccho, Reccho, Rheco, Retho, Rachto, Ratto) von Strafsburg, dem Nachfolger des bekannten Bischofs Remigius oder Remedius. Dafs beide verschiedene Personen gewesen sind, erhellt daraus, dafs der Papst Hadrian in seinem Briefe an Karl den Gr. vom Jahre 789 (Epist. XXXIV bei *Bouquet*, V, p. 578) dem Rado nur den Titel Protonotarius et Abbas gab, während Rachio schon seit dem Jahre 783 den Bischofssitz einnahm. Er war zugleich Abt von *Münster* (s. *Mabillon*, Annal. Benedict. XXVII, Tom. II, p. 365. Gallia Christiana, V, p. 775). Der Kanzler Rado dagegen war Abt von Saint Vast d'Arras.

[22]) S. das Verzeichnifs der kaiserlichen Pfalzen im Kommentar zu Kap. XXXIII. nr. 101.

XCVI.

Caroli Magni Constitutio contra Haeresin Felicianam [1]).

Carolus Gratia Dei Rex Francorum et Langobardorum, ac Patricius Romanorum, filius et defensor Sanctae Dei Ecclesiae, Elipando Toletanae Civitatis Metropolitano, et caeteris in partibus Hispaniae Consacer dotibus, Orthodoxae fidei et fraternae caritatis in Christo Dei Filio proprio et vero optamus salutem.

Gaudet pietas Christiana divinae scilicet [2]) atque fraternae per lata terarrum spatia duplices caritatis alas extendere, ut materno foveat affectu, quos sacro genuerat baptismate. Et maxima est sanctae matris Ecclesiae exultatio suorum adunatio filiorum, ut sint consummati in unum, qui redempti sunt in uno, dicente eodem Redemptore nostro Jesu Christi: *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut omnes unum sint, sicut et nos unum sumus* [3]). Unde et in Cantico Canticorum de sancta dicitur Ecclesia: *Terribilis ut castrorum acies ordi-*

nata[4]). Constipata exercitus ordinatio et unanimis bellatorum fortitudo magno solet hostibus esse terrori: sic filiorum sanctae matris Ecclesiae intra murum Catholicae fidei pacifica adunatio aëreis potestatibus nimium constat terribilis, et ignitis malignae perfidiae spiculis omnino impenetrabilis exstat, sicut et verissimus Gentium praedicator et fortissimus Ecclesiae praeliator praecipit, dicens: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela Nequissimi ignita extinguere*[5]), et hoc saeculum nequam libero ad caelestia volatu evadere. *Sine fide* enim *impossibile est placere Deo*[6]): impossibile est, quod omnino ab homine fieri non potest. Principium est salutis nostrae Fides, qua intemerata et integra sanitate confirmata, totius vitae cursus per bonorum vestigia operum feliciter fine tenus currit. *Per fidem* enim (sicut idem praefatus Doctor in epistola ad Hebraeos testatur) *omnes sancti placuerunt Deo*[7]).

Hanc igitur Fidem Orthodoxam et ab Apostolicis traditam Doctoribus, et ab universali servatam Ecclesia, nos pro virium nostrarum portione ubique in omnibus servare et praedicare confitemur: quia non est in alia aliqna salus, nisi in illa, quam pacifica ab initio salutis nostrae unanimitate semper servabat Ecclesia. Pro qua etiam, Viri fratres, et vestra bona devotio, quam nos habere decet in Domino, his partibus fidei vestrae litteras dirigere curastis[8]), nempe ad generales ad sanctissimas aures, ad nos quoque speciales: in quarum utique serie literarum non satis nobis elucebat, an quasi ex auctoritate magisterii vos vestra docere disposuistis, an ex humilitatis discipulatu nostra discere desideratis: tamen sive hoc sive illud vestris inesset animis, petitionem vestram, caritate Christianae religionis cogente, non spernendam esse censuimus, valde desiderantes, Deumque ex intimo cordis affectu deprecantes, quatenus in verae fidei soliditate firmiter utrimque permaneamus, contra fluctivagos huius saeculi aestus, Spiritu Sancto navigium vestri cursus regente, ad portum perpetuae tranquillitatis pervenire mereamur.

3. Ad hanc tranquillitatem capiendam oculus cordis fide purificandus est, et assiduis sanctarum orationum precibus mentis acies illustranda, ut purae veritatis lumen, omni errorum nube expulsa, contemplari valeat, ne in oppiniones noxiae falsitatis temeritas inordinata incautius gradientes praecipitet. Non pudeat Christianum, ubi haesitat, quaerere; ubi nesciat, discere: quoniam pia humilitas discendi sapientiae intrat secreta: et melius est, discipulum esse veritatis, quam doctorem existere falsitatis. Ille ad altiora semper provehitur; ille ad inferiora semper de-

labitur, et inde magister efficitur erroris, unde auditor contempsit esse veritatis. Hanc igitur, Fratres, perniciosam devitantes elationem, sanctorum Patrum et sanctorum Doctorum sacris inhaereamus sensibus: discamus, quae scripserunt; credamus, quae docuerunt, et non declinemus ad dexteram neque ad sinistram, sed per viam Regiam ad Regem et Redemptorem et Deum et Dominum nostrum Jesum Christum concordi fidei et veritatis curramus professione. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio sit ad salutem* [9]), eodem attestante Apostolo: *Iustus autem ex fide vivit* [10]): Si iustus ex fide vivit, quomodo, qui fidem non habet rectam, se vivere aestimat? *Nos nempe non sumus infidelitatis filii in perditionem, sed filii ad acquisitionem animae.* Sequamur Sanctorum Patrum venerabilia in caritate praecepta.

4. Decet enim ut omnium Christianorum una sit fides et unus animus, sicut est *unum ovile et unus pastor.* Qui enim extra Ecclesiastici ovilis septa invenientur, lupina rabie devorabuntur, qui vocem boni pastoris non audiunt, qui ante oves suas ingredietur et egredietur, ut eas ad pascua vitae educat aeternae [11]). Nobis itaque dictum intelligamus, quod egregius praedicator suis carissimis filiis praecipiebat, dicens: *Obsecro vos per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut unum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in uno sensu et in eadem sententia* [12]). Haec habentes Apostolicae auctoritatis praecepta, concordate nobiscum. Diligimus vos: hoc vobis volumus in Domino, quod et nobis: quia perfecta, quam habemus in Christo, caritas congregare gaudet non spargere, adunare non scindere, et inconsutilem Salvatoris nostri tunicam integram servare non dividere, praevidentes hoc idem in pace Christi custodire, quod milites in passione eius observabant [13]).

5. His praelibatis, vestris in Domino valde congaudemus profectibus, ita ut in cordibus nostris fraterno amore vestram, quam patiamini, lachrymabili gemitu condoleamus oppressionem; sed maiore multo tristitia lugemus [14]), si aliquid Diabolica fraude interius oppressionis per infidelitatem vel cuiuslibet schismatici erroris patimini cordibus. Ipse est continuus dolor pectoribus nostris, et pene irremediabile vulnus, nisi per eius misericordiam, *qui sanat contritos corde* [15]) *et vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire* [16]), illi nos laetificent, qui tristaverunt. Vestra igitur correctio, nostra est laetificatio. Desiderantes vos socios habere in fide Catholica et cooperatores in praedicatione veritatis, ut gaudium, quod Christus suis promisit

discipulis[17]), habitet in nobis, et gaudium nostrum impleatur in vobis.

6. Ad impletionem vero huius gaudii, fraterna cogente caritate, iussimus sanctorum Patrum Synodale ex omnibus undique nostrae ditionis Ecclesiis congregari Concilium, quatenus sancta omnium unanimitas firmiter decerneret, quid credendum sit de adoptione carnis Christi, quam nuper novis assertionibus, et sanctae Dei universali Ecclesiae antiquis temporibus inauditis, vos ex vestris scriptis intulisse cognovimus: immo et ad beatissimum Apostolicae Sedis Pontificem de hac nova inventione nostrae devotionis ter quaterque direximus Missos, scire cupientes, quid sancta Romana Ecclesia, Apostolicis edocta traditionibus, in hac respondere voluisset inquisitione. Necnon et de Britanniae partibus aliquot Ecclesiasticae disciplinae viros convocavimus, ut ex multorum diligenti consideratione veritas Catholicae Fidei investigaretur, et probatissimis sanctorum Patrum hinc et inde roborata testimoniis absque ulla dubitatione teneatur.

7. Idcirco vobis per singulos libellos derigere curavimus, quid praedictorum Patrum pia unanimitas et pacifica perscrutatio auctoritate Ecclesiastica invenire statuisset, confirmaret. Primo quid Dominus Apostolicus cum sancta Romana Ecclesia atque Episcopis in illis partibus quaquaversum commorantibus, et Catholicis Doctoribus, sentiret, sub unius libelli tenore statuimus. Deinde secundo loco, quid Ecclesiastici Doctores et Sacerdotes Ecclesiarum Christi de propinquioribus Italiae partibus cum Petro Mediolanensi Archiepiscopo et Paulino Foroiuliancnsi vel Aquileinsi Patriarcha, viris a Domino valde venerabilibus intelligi vel firmiter credi voluissent, suis propriis responsionibus exaratum posuimus libellum; quia ipsi quoque praesentes nostro Synodali Conventui adfuerant. Post haec tenet et tertius libellus Orthodoxorum sanctorum Patrum Episcoporum et virorum venerabilium fidem, qui in Germaniae, Galliae, Aquitaniae et Britanniae partibus, dignis Deo deserviunt officiis, vestrisque obiectionibus sanctarum scripturarum testimoniis roboratas obtinet responsiones. Deinde quarto loco meae propriae unanimitatis cum his sanctissimis praedictorum Patrum decretis et Catholicis statutis consensum subnexui, sicut vosmet ipsi in vestra epistola, quam meo specialiter designastis nomini, rogare curastis, id est, ne subdolis paucorum assertionibus consentirem, sed plurimorum testimoniis roboboratam fidem tenerem.

8. Facio certissime, Deo domino Jesu Christo donante, horum me sanctissimae multitudini et probatissimae auctoritati ve-

